




Comparavit Joannes Evangelista Abbas.

PETRI LAZERI SOC. JESU

DE

VITA ET SCRIPTIS PETRI JOANNIS PERPINIANI

DIATRIBA.



ROMÆ MDCCXLIX.

TYPIS NICOLAI, ET MARCI PALEARINI.
SUPERIORUM FACULTATE.

FRANCISCUS RETZ

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUm Diatribam in Opera Perpiniani a P. Petro Lazeri ejuſdem Societatis Sacerdote latino idiomate compoſitam aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 16. Settembris 1749.

Franciſcus Retz.

PEtri Lazeri S. I. viri doctiſſimi Diatribam de vita, & ſcriptis Petri Joannis Perpiniani perlegi, cum id mihi a Rmo P. S. Palat. Magiſtro eſſet demandatum. In eo Opere, quo Perpinianus illuſtraretur, digniſſimo, nihil contra Fidei, morumque Canones; imo vero omnia cum eruditione multiplici, tum orationis nitore, atque verborum delectu, elegantiſſime, & ornatiſſime ſcripta. In bonum itaque Reipublicæ Literariæ, de qua non una hac lucubratione optime meritus eſt auctor diſertiſſimus, publici juris cenſeo eſſe faciendum.


Fr. Dominicus Vincentius Maria Bertucci
Ord. Præd. S. Theol. Profeſſor.

LEgi librum de vita & ſcriptis Petri Joannis Perpiniani a P. Petro Lazeri S. J. conſcriptum, id mihi Rmo S. P. A. Magiſtro demandante. In eo non tantum a Fide boniſque moribus nihil alienum reperi; ſed ita omnia ſumma elegantia, acerrimo judicio, omnigena eruditione & doctrina pertractata, ut litteratos homines (quid Juventutem dicam, cui hæc ipſe ſcribit?) juvare mirifice poſſit & delectare. Hoc itaque eſto judicium meum; ab his tanti viri edendis laboribus magnam Reip. Litterariæ acceſſionem factum iri.

In quorum fidem &c.

Benedictus Stay.

CAP. I.



CAPUT I.

De consilio iterum edendorum operum Perpiniani, & de genere Eloquentiæ ipsius.

1. *Doctorum hominum judicia de Perpiniano: rerum quas tractandas suscepit dignitas atque utilitas.* 2. *genus ipsum Eloquentiæ hujusmodi; ut pro causarum quas tractat dignitate, vehemens sit; copiosum, adeoque juvenum ingeniis accomodatum: fluidum, nunquam adhærescens; quod sequeretur animi impetum quo ferebatur ad scribendum; qui quidem necessarius est oratori.* 3. *Hanc Perpinianus Eloquentiam consecutus est assidua scriptione, lectione optimorum auctorum,* 4. *præcipue severiorum disciplinarum studio.*

I. CONSILIUM hoc nostrum Petri Perpiniani opera, partim jamdiu edita recognoscendi, partim, quæ ad manus hominum nondum pervenerant, colligendi evulgandique, susceptum est multis justissimisque de causis. Nam primo doctorum homi-

num de eo judicia id postulare videbantur; ut quem illi honorificentissimis verbis ornassent, ejus scripta in tenebris bibliothecarum abdita ne laterent, aut dispersa pluribus in libellis, quorum aliquem comparare sibi quivis non facile poterat, circumferrentur. Non est hoc ignotum hominibus eruditis, quam præclare de Perpiniano senserint aut scripserint Manutius, Muretus, Corradus, aliique doctrina in primis atque eloquentia insignes viri; vix ut alius eo tempore extiterit, quem aut tanto studio vivum ornarent, aut mortuum tam eximiis laudibus prosequerentur: quæ quidem summorum virorum judicia, magis ne a vulgari more discederemus, quam quod necesse esse videretur, hujus operum editionis parti primæ præfigenda curavimus. Deinde rerum ipsarum quas tractandas suscepit dignitas atque utilitas hortata est, ut hanc ejus operum colligendorum curam, licet aliis quibusdam rebus distracti occupatique non negligeremus. Habet enim multa ex severioribus disciplinis deprompta; præsertim vero e mediá Theologia: multa de eorum temporum factis commemorat, vel ipse narrat, ut lumen aliquod allaturi videantur ejus libri illius ætatis historiæ. Non igitur æquum erat tantæ eloquentiæ atque doctrinæ partem ullam domi latere, & foras non efferri, vel non in majorem aliquam hominum lucem celebritatemque venire. Quod si negligeretur a nobis, si illustrare hominem atque ornare non

non conaremur; existeret fortasse, qui ob id inertiæ damnandos nos, castigandosque putaret; quod in libris alterius viri docti atque diserti Francisci Vavassoris factum video ab auctore præfationis ad Amstelodamensem editionem (*a*). Accessit his Perpiniani laudibus quæ idem suaderet, adolescentium, qui in scholis a nobis erudiuntur, utilitas. Quamquam enim illis, ex Magistrorum suorum præscripto, conterendum tempus omne est in lectione veterum scriptorum, nec Cicero unquam dimittendus e manibus; ad eum tamen exprimendum, sapientissimorum hominum judicio, recentioris alicujus lectio multum juvat, qui id ipsum qua ratione fieri possit aut debeat, exemplo suo, veluti digito commostret. Atque id generis est Perpiniani eloquentia: de qua quidem eloquentia, uberius aliquanto hic dicendum; quod nimirum aliquid habuisse videatur eximium ac singulare.

II. Solet hoc disertis plerumque hominibus qui latine dicunt, sive temporum conditione, sive ratione locorum hominumque institutis, evenire; ut nulla ad eos argumenta deferantur, a quibus magnarum rerum conversiones commutationesque pendeant; nec ipsi sane aliud, quam ut auditoribus ne displiceant, & facultatem suam ostentent, plus aliquid sperent se posse dicendo consequi: ut non sit ardor ille dicendi efferendus, neque exere-

(*a*) A. MDCCIX.

re eloquentia nervos ſuos omnes poſſit : Ita blandum potius ſectantur ſermonis genus, palæſtræ magis & olei, quam pugnæ atque armorum. Verum hic Noſter cum in ea tempora incidiſſet, veniſſetque ad eas regiones, in quibus ſanctiſſimæ Religiones nequiſſimorum hominum ſcelere pervertebantur, bellumque erat veræ integræque Fidei, non pravis tantum opinionibus, ſed gladiis teliſque indictum, campum nacta eſt hominis eloquentia, in quo vim omnem ſuam expremeret, frangeretque ſi poſſet, perditorum hominum temeritatem, vel conſilia averteret improborum. Itaque ſæpe pro Religione, ſæpe pro avitis ſanctiſſimiſque inſtitutis dicendum fuit: in quo quidem extitit fecundum viri diſertiſſimi ingenium, dicendique ardor vehemens & gravis. Quamquam ad eam cauſam non ingenium dumtaxat, aut eloquentiæ vires attulit, quæ dicendi illum tantum ardorem concitarent; ſed quod aculeos ipſi veluti ſubigeret, ſummum Religionis defendendæ atque amplificandæ ſtudium; quæque in eo eximia fuit, pietas integritaſque vitæ. Ita cum ingenii præſidia non deeſſent, quamque Jacobus Thuanus de eo teſtatur, excellens quædam eximiaque natura; cum cauſam nactus eſſet tantam, quantam nulla cujuſquam eloquentia tractandam ſuſcepit; hoc quoque conſecutus eſt, quod maxime omnium valuiſſe ſibi Tullius ab bene dicendum narrat, ut illum non ingenii dumtaxat, ſed magna quædam ani-

mi vis inflammaret: ut mirum esse non debeat, tot tantisque præsidiis talem extitisse, qualem Aristophanes Periclem descripsit, ut tonare, fulgere, permiscere civitates videretur. Quod vere de Perpiniano dici a nobis, Lugdunense factum illud, quod paulo post referemus, declarat. Hoc ergo genus eloquentiæ vividum, atque illustre, plenum sanitatis & succi, utilissimum esse adolescentibus, ut recte ad eam artem informentur, quis neget? Sed habet præterea, cur illis hunc præcipue Scriptorem legendum ac versandum putem. Nolo hic de aliis dicere recentioribus viris eloquentissimis, quorum si esse multos negem, qui juvenibus proponi ad legendum, sive etiam ad imitandum possint, videar eorum gloriæ ac facultati velle detrahere. Dicam tamen quod facile ipsi patiantur, & hominum cum hominibus contentionem, quæ semper odiosa est, avertat. Minus idonei illi sunt ad ea in adolescentium mentibus inferenda, quæ putantur primæ illi ætati ad bene dicendum necessaria. Nam cum maxime cavendum adolescentulis sit, ne exsuccam afferant orationem, languidam atque enervem; curandumque, ut ubertatem sequantur, verborumque splendorem & sententiarum: ut redundatiorem orationem profundant & justo ampliorem, facile pati Magister debet; imo vero id etiam curare atque efficere, ne ad illud delabantur, quod est multo deterius nullumque habet in reliqua ætate positum remedium; cum con-

contra exuberantiam illam dies ipſa minuat, atque depaſcat. Malo puer faciat Rempublicam loquentem; malo ab inferis mortuos excitet, ceteraque, quæ Tullius ait eſſe majorum dumtaxat cauſarum propria; ipſe vero vel in minoribus quantumcunque velit afferet atque adhibebit. Quod quidem cum jubeo, ſentio me nihil dicere novum, nihil quod a Rhetorum præceptis & antiquorum Magiſtrorum inſtitutis decretiſque abhorreat. Nam, ut omittam ceteros, habent hoc preclariſſimi duo bene dicendi præceptores Cicero & Quintilianus. Et Tullius quidem (*a*) cum de Sulpicio verba faceret, diceretque eum in cauſa parvula adoleſcentulum audiviſſe, voce, & forma, & motu corporis, & reliquis rebus aptum ad oratoris munus; orationem deſcribit celerem & concitatam & verbis efferveſcentibus & paulo nimium redundantibus. Id vero tantum abeſt ut damnet, ut ad laudem etiam referat; ſubiicitque id nimirum velle ſe, ut efferatur in adoleſcente fecunditas: nam facilius ſicut in vitibus revocantur ea, quæ ſeſe nimium profuderunt, quam ſi nihil valet materies, nova ſarmenta cultura excitentur; ita malle in adoleſcente eſſe, unde aliquid amputetur: non enim poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum. Quintilianus (*b*) vero multo plura habet in hanc ſententiam. Nam ubi vitia propoſuit inter

(*a*) 2. de orat. 21. (*b*) lib. 2. cap. 4.

ter se contraria lascivientis orationis, & aridæ atque jejunæ, statuit multo illud esse deterius, quod ex inopia, quam qnod ex copia profluxit. Atque hæc addit. *Nam in pueris oratio perfecta nec exigi nec sperari potest: melior autem est indoles læta, generosique conatus, & vel plura justo concipiens interim spiritùs. Nec unquam me in his discentis annis offendat si quid superfuerit. Quin ipsis doctoribus hoc esse curæ velim, ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, & satiari veluti quodam jucundioris disciplinæ lacte patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas adstringat. Hinc spes roboris: maciem namque & infirmitatem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Audeat hæc ætas plura, & inveniat, & inventis gaudeat, sint licet illa non satis interim sicca & severa: facile remedium est ubertatis, sterilia nullo labore vincuntur: illa mihi in pueris natura minimum spei dabit, in qua ingenium judicio præsumitur.* Jam vero ubertatem hanc & orationis, quasi exultantis copiam, aut nemo est qui docere adolescentes possit, aut hic Noster: ita persæpe eam affert ad dicendum; vel quod causæ tales sunt, ut jam diximus, quæ id omnino requirant, vel quod harum orationum multas scripsit pæne adolescens; cui ætati a Cicerone & Quintiliano (*a*), plus aliquid in hoc genere conceditur, quam quæ adolevit atque afferre de-

(*a*) Cic. in Brut. num. 95. Quintil. lib. XI. cap. I.

debet cum oratore maturam & canescentem orationem; vel etiam si mavis; ipse peccavit, hoc tamen peccato, quod est illi cum summis oratoribus, qui hac ætate dixerunt & Tullio ipso (a) commune. Huic ubertati orationis plenæ incitationis cujusdam, plenæ spiritûs, addas aliud; quam ego virtutem maximam oratoris existimo, eamque juvenes ut assequantur, maxime debent contendere; quod æquabiliter fertur, quod libere fluit, quod nunquam adhærescit; ut appareat eum subita quadam animi concitatione impulsum ad scribendum accessisse. Non enim existimare debemus Poetas dumtaxat, quod ipsi de se gloriose prædicant, impetu quodam animi ferri ad versus fundendos, & non ceteros qui prosa oratione scribunt, eadem ratione, ac veluti œstro quodam commoveri atque percelli. Itaque bene Mericus Casaubonus in eo commentario, quem de *Enthusiasmo* scripsit, inter cetera genus etiam quoddam fecit *Enthusiasmi Rhetorici*. Ut enim oratio volubilitate quadam sermonis feratur, & veluti sponte fluat; ut prima extremis respondeant, extrema primis; quodque caput est, ut nativam pulchritudinem habeat non fucatam, & externis coloribus illitam, sed simplicem illum candorem, & naturalem suavitatem; denique talem qualem effundunt homines natura eloquentes; necesse est ut uno veluti tractu oratio fundatur & veluti tota confletur: cui postea liman-

(a) Brut. num. 91.

limandæ atque expoliendæ quantumvis diuturna cura, & labor admoveatur: ſed extabit unus veluti ductus & minime detortus atque impeditus curſus orationis. Non ignoro eſſe nonnullos qui aliter faciant, quique in ſcribendo lente progrediantur exprimantque ac veluti extundant ſingula prope verba atque ſententias. Sed non de eo quod quiſque faciat quærimus, verum de perfecti oratoris forma, & ratione condendæ orationis. Hanc vero, quam dixi, ajo ſecutos antiquiſſimos Oratores; imo hinc Oratorum nomen ac facultatem decuſque prodiiſſe. Nimirum cum ſæpe exiſterent graves caſus civitatis, qui virum aliquem expoſcerent, qui ſubita oratione vel concitati populi rumores ſedaret, vel excitaret languentes ſpiritus atque ad pugnam accenderet; hinc primo homines hujuſmodi qui tantum poſſent, conquiſiti; deinde eorum animadverſione atque obſervatione, quæ ſua ſponte facerent, ut Tullius (a) vidit, ars orta eſt quæ id facere certa quadam oratione & modo doceret. Atque hi ob eam rationem πολιτικοὶ ſive civiles nominati, Philoſophi etiam, Rhetores, atque vſitatiori voce Sophiſtæ. Etſi id nomen, cum poſtea repellerentur a gubernaculis civitatis, ſeque ipſi & ſubitum illum ſermonem a Curia ad otioſorum hominum circulos & quavis de re etiam ludicra diſputationem tranſtuliſſent, in in-

(a) 1. num. 32. De orat.

invidiam vocari cœptum, & a gravioribus etiam viris, præsertim a Socrate irrisum ac repudiatum: Nihilominus retenta est in sermone ὁρμὴ & ut de Polemone Philostratus σεμνολογία ἔμπνυς καὶ λαμπρὰ ὥσπερ ἐκ τρίποδος: quod cùm dicentium gravitatem, & verborum magnificentiam, tum Dei veluti afflantis majestatem declarat. Sed de tota hac re ita erudite Ludovicus Cresollius noster (a) ut nihil sit hic immorandum. De Oratoribus vero, arte jam perfecta & constituta, de quibus hic quærimus, affirmare omnino possumus; etiam cum illi spatium ad se comparandum sumebant, domique scriptam orationem deferebant in forum & curiam (nam aliter facere sæpe coactos atque ex tempore dixisse, & proemia Demosthenis separatim edita, & Cicero & Quintilianus declarat) nihil tamen a veteri hac ratione institutoque dicendi discessisse; si eorum commentatio quæ esset diligenter consideremus: nimirum hujusmodi, ut quæ vel ipsis in solitudine vel coram amicis veluti experiendo agentibus & declamitantibus ardor ille dicendi suggessisset & quasi procudisset, ea referrent in scripta & ad veram causæ actionem servarent memoriæque mandarent: quæ quidem ita postea in acie campoque promebant, ut rebus insignoribus e memoria repetitis (ad quas pars illa, quæ Rhetoricæ quarta numeratur

(a) Theatr. veter. Rhetor.

tur a Tullio, Quintilliano, Prisciano, Victorino, Cassiodoro ceterisque refertur) in reliquis finerent se incitatione orationis abripi, verbaque ipsa tunc fere procuderent atque effetrent. Ita fiebat ut ardentius dicerent, & facilius in auditorum animos irreperent: cum non domo allata sed tunc primum efficta oratio videretur. Atque hac plane ratione ex Tullio ipso (a) constat se comparasse Antonium ut adversus Ciceronem diceret in Senatu, declamationibus pluribus in villa institutis, sive ut alibi (b) vocat commentationibus: nec aliter licet existimare de ceteris, vel de Cicerone ipso; qui (c) commemorans declamationes suas, quas judiciis sublatis aggressus erat in Tusculano; satis indicat ex eodem genere esse exercitationum quibus consueverat, quando in foro dominabatur. Laudandus hic vir doctissimus Muratorius qui morem hunc, cum ab eloquenti viro eodemque integerrimo (d) revocatum videret, idem quoque ut a ceteris fieret postulavit. Certe servasse hoc Perpinianum liquet vel ex brevitate temporis ad se comparandum dati. Etenim orationem eam quam habuit Lugduni satis longam, eamque solida doctrina ac reconditiori quadam eruditione refertam, quæ hic est tomo primo IX., habita fuit V. non. Octobris, cum X. cal. primum commentari cœpisset; quem-

(a) Philip. 2. & 5. (b) Lib. 12. epist. famil. 2.
(c) Lib. 9. epist. 18. confer epist. 33. lib. 7.
(d) Paulo Segneri Jun. in ejus vita cap. 9.

quemadmodum ipse testatur scribens ad Benedictum Sardum *epist.* 31. . Ita elegantissimam doctissimamque orationem scripsit undecim dierum spatio : quantum temporis vix ediscendæ ac mandandæ memoriæ alii cuidam satis esse videretur. Anno vero uno, qui proxime insecutus est, octo composuit; quæ ibidem subjiciuntur, quas si quis attente legat, quantaque doctrina abundent, & argumentorum copia, secum ipse reputet; videbit non aliter ab uno homine conscribi potuisse, quam qui impetu quodam atque œstro sive ad dicendum sive ad scribendum commoveretur; non in verbulo quodam consisteret, non in formanda oratione hæreret, vel diem totum in parte una perpolienda limandaque consumeret. Hoc nimirum est oratorem esse, hoc flumine eloquentiæ pollere, præstantissimumque consequi fructum studiorum suorum, atque affici suavissima delectatione quæ ceteras omnes antecellit: quam quî experiri possint ii qui in periodo exprimenda consenescunt, non video. Quamobrem adolescentes hortor ut ad id animum intendant, hoc sibi proponant, laudemque hanc se posse assequi nequaquam diffidant. Nam hæc quidem spes eos non fallet, modo ea subsidia sibi conquirant, quæ sunt a dicendi Magistris perscripta atque usurpata.

III. Et quoniam ingressus sum Perpiniani eloquentiæ formam; & quasi speciem adumbrare, dicam quoque de præsidiis quibus ad eam laudem

dem connisus est : quæ quidem ipse cùm in epistolis suis ad amicos , tum orationibus quibus auditores ad eamdem facultatem informabat declaravit. Ac primo quidem diligenter stylum excoluit ; quem Tullius modo dicendi opificem , modo optimum ac præstantissimum dicendi effectorem ac magistrum vocat. Sardo suo (*a*) veluti rem notissimam prædicat diuturnum in scribendo laborem atque constantiam. Scribens vero ad Franciscum Adornum (*b*) singulis diebus sibi solemne & quasi legitimum esse affirmat scribere quaternas , aut quinas horas. Deide par fuit in illo homine lectio optimorum Auctorum : qua quidem lectione commoveri animum atque incitari ; etsi quivis per se facile experiri potest , testis est Dionysius Hallicarnessensis in eo libro , quem scripsit de admirabili vi dicendi in Demosthene; in quo libro se ex Oratoris illius lectione adeo commotum animo perculsumque narrat ut Corybantium more furere videretus (*c*) . Quam quidem incitationem ad fundendam subito orationem , stylumque ipsum Scriptoris

(*a*) Epist. 31. (*b*) Epist. 16.

(*c*) περὶ τῆς λεκτ. Δημ. δεινότητ. n 22.

(*d*) ὅταν δὲ Δημοσθένους τινὰ λάβω λόγων ἐνθουσιῶ τε, καὶ δεῦρο κἀκεῖσε ἄγομαι... διαφέρειν τε οὐδὲν ἐμαυτῷ δοκῶ τῶν τὰ μητρῷα καὶ τὰ κορυβαντικά, καὶ ὅσα τούτοις παραπλήσιά ἐστι τελουμένων.

exprimendum valere Synesius *in Dione* exemplo suo confirmat; ubi hoc sibi contigisse narrat, ut post auctoris alicujus lectionem, dimisso libro de manibus, ipse tamen ductum orationis sequens, sensa ac verba consequi Scriptoris posset, atque in eadem, quæ ille posuerat, ferme incurreret (a). An vero non idem succedet adolescentibus, quorum ingeniis nihil est magis flexile ac ductile, atque ad imitandum quicquid viderint aut audierint accomodatum? Quod si vernaculam linguam hoc plane modo ediscere potuerunt, ut animo retinerent eas voces verborumque potestatem quæ pronunciari sæpius audierunt; nihil est quod de hac quasi Oratoria lingua desperent, si patiantur eorum aures probatissimorum Scriptorum vocibus circumsonare. Ut concitato navigio, inquit Tullius, (b) cum remiges sustinuerunt, retinet tamen ipsa navis motum & cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum: sic in oratione perpetua cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine & vi concitata. Non enim id valet de iis solum, qui a scribendi consuetudine ad dicendum veniunt, sed ad eos etiam pertinet, qui a lectione optimorum auctorum accedunt ad scribendum; ut, cum ab ea discesserint, reliqua similis oratio consequatur. Quod apud eumdem Tullium aliter explicavit Antonius

(a) Syn. in fin. pag.61. ex recens. Petav. 1633.
(b) 1. De Orat. num.33.

nius (*a*), id ſibi eveniſſe narrans, atque iis qui in ſole ambulant: Ut enim illi etiamſi ob aliam cauſam ambulent colorantur; ita de ſe ait, cum hiſtoricorum libros legeret, ſenſiſſe orationem ſuam illorum cantu quaſi colorari. Optime profecto: nam præter aptam membrorum conformationem, ut elegans ſit, ut concinna, ut nuſquam in verborum inſolentia aut peregrinitate offendat, ſuus eſt etiam orationi color, non in ſingulis verbis poſitus, non in eorum conjunctione dumtaxat, ſed in eo quod vix poteris nomine compellare, Tullius (*b*) vero dixit *habitum orationis*: quem nulla alia ratione conſequaris, quam ea de qua hactenus diximus, aſſidua, perpetuaque lectione. Falluntur enim qui ad Scriptoris alicujus orationem exprimendam ſatis eſſe putant, illuſtriora quædam verba ſive etiam integra loca ſollicite perveſtigare, ſeponere, deſcribere; iiſque poſtea onerant commentationes ſuas. In hos omnino conveniunt illa Lucilii

Quam lepide lexeos compoſtæ? ut teſſerulæ omnes
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

Sed de hoc imitationis genere tam multa licet audacius aliquanto, Eraſmus (*c*), ut pudeat commemoraſſe: præſertim cum exempla doctiorum hominum rem ſatis ſuperque declarent:

(*a*) 2. De Orat. num.14. (*b*) 3. De Orat. num.52.
(*c*) In Ciceronian.

rent . Quin Longolium, cujus Ciceroniana imitatio Erasmo occasio scribendi fuit, Bartholomæus Riccius (*a*) ita defendit contra eos qui imitando Ciceronianum quemdam centonem effecisse jactabant; ut neget versum unu mhoc imitationis genere apud eum reperiri . A quo longius abfuisse Scriptorem hunc nostrum pronunciare possumus . Nam licet quædam apud eum Ciceronianæ sententiæ inveniantur, ita sunt scienter, & loco positæ, ita aptæ nexæque cum reliquis; ut appareat, diuturnæ lectionis quædam esse veluti vestigia, quæ iter suum ingredienti sponte occurrerint, libris remotis; non quasi ipse de industria conquisiverit, & identidem ad librum oculos adjiciens transtulerit ad suum argumentum, sive potius ut pueri faciunt, accomodarit illas alterius orationi. Docuit hoc imitationis genus Perpinianus ipse Oratione VIII. præcipiens Auditoribus suis, Tullium ita notum haberent: *ut & commentantibus & scribentibus, & vero etiam agentibus, multa de scriptis ejus quæ sequerentur, celeriter occurrerent*. Quantum vero fuerit Perpinianus in optimorum Auctorum lectione exercitatus cùm epistolæ ad Corradum, quibus difficilia quædam loca eorum scientissime explanat, & Rhetoricæ institutiones ab eodem scriptæ, declarant; tum ex ejus oratione ipse per se lector æstimabit . De me profiteri possum, quotiescumque insolens qui videbatur modus di-

(*a*) Lib. 5. de imitat.

dicendi occurrit in ejus libris, cum Veteres diligentius conſuluiſſem, ita ab illis hauſtum reperiſſe; ut ſimul conſtaret, illa Perpinianum cum ſcriberet, integrum Auctoris locum animo verſaſſe. Verborum autem illa, illa ſententiarum lumina, quibus tamquam inſignibus Ciceroniana oratio diſtinguitur, ita expreſſit ut in Cicerone uno quaſi tabernaculum vitæ ſuæ collocaſſe videatur. Sed, ut dixi, hæc, nullo admonente per ſe prudens lector intelliget.

IV. Venio ad illud, quod maxime omnium valet ad eum oratorem formandum quem diximus, quem cogitatione celerem lingua promptum:

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδὴ

nec fluere ſolum ſuavitas ſed robur, ſed gravitas, ſed magnificentia orationis ut habitare in ejus ore videatur. Quæ adjumenta talem hominem tantumque oratorem dabunt ut numine veluti afflari, & vi quadam Divina commoveri exiſtimetur, quemadmodum Ariſtides, & multi veterum, teſtibus Cicerone & Quintiliano (*a*), affirmare non dubitarunt? Non ea eſt rhetoricorum præceptorum vis, ut tantum valere putemus; de quibus diſertiſſimus orator ille apud Ciceronem Craſſus hoc judicium tulit; eſſe quoddam ad cognoſcendum non illiberale, ad benedicendum nequaquam neceſſarium; voluitque deridere nos atque

(*a*) lib. 10. c. 7.

atque contemnere homines, qui se Rhetorum præceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur (a). Longius aliquanto mittendus est qui oratoris laudem nomenque desiderat; ad severiorum facultatum officinas; ad scholam reconditarum quarumdam artium ac disciplinarum: idque eodem Crasso auctore ceterisque rhetoricæ artis Magistris; quorum ea apud Tullium sententia extat; neminem in aliquo numero esse posse oratorem qui non sit omnibus ingenuis artibus instructus, omni doctrinæ varietate perpolitus. Quod quidem non eam solum interpretationem habet, quasi id argumenta requirant quæ deferri ad oratorem possunt omnino rerum omnium; sed aliò ea veterum sententia spectat; quod nimirum necesse est ex rerum cognitione efflorescat & redundet oratio (b). Itaque Tullius (c) ne physicorum quidem esse ignarum vult oratorem ob eam causam quò grandior sit & quodammodo excelsior; subditque, *omnia profecto cum se a cælestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiusque & dicet & sentiet*. De se vero profitetur (d) oratorem si modo sit, aut etiam quicumque sit non ex Rhetorum officinis sed ex Academiæ spatiis extitisse. Atque hujus sententiæ, quæ communis fuit veterum Philosophorum sive Oratorum, causam ibidem repetit (e) ex naturæ ipsius constitutione; quam veteres illi dicebant esse

(a) 3. de orat. n. 14. (b) 1. de orat. n. 6. (c) orat. n. 34.
(d) Ibid. n. 3. (e) Ibid.

esse hujusmodi, ut omnnia hæc quæ supra & subter unum esse, & una vi atque una consensione naturæ constricta esse putarent. Nullum est enim genus rerum quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut quo cetera si careant, vim suam atque æternitatem conservare possit. Quod si hęc nimis subtiliora videantur, quam possint hominum sensu aut cogitatione comprehendi, confugiendum docet ad Platonis Academiam; cujus est illa vera vox; omnem doctrinam harum ingenuarum & humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri. Ubi enim perspecta vis est rationis ejus qua causæ rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. Nihil est apud veteres postrema hac Platonis sententia vulgatius, nihil posteriorum hominum tritum magis sermone & litteris; de qua fuse inter ceteros in *Dione* suo Synesius. Cujus hanc vim esse existimo, ut disciplinas quidem omnes complectatur, quarum qui plures diligenter excoluerit, facilius quoque reliquas intelligentia comprehendet, memoriaque tenebit; sive quod eadem sint principia omnium, & quæ vocant, axiomata, unde sua singulæ colligunt; sive quod nulla sit quæ non ab altera aliqua mutuetur, vel non adjuvetur ab altera. Id vero ad Eloquentiam præcipuo quodam jure arbitror pertinere; cujus disciplina sit potissimum a graviorum facultatum cognitione repeten-

tenda. Ut enim aratus ager atque occatus, denique eo diligentioris culturæ genere ſubactus quod ad fruges & fructuoſiores arbores impenditur, lætiores herbas producit quam qui nullo culturæ genere renovatur; ità excultus animus lectiſſimis diſciplinis & quaſi fecundatus, verborum copiam gignit, ut nihil ſit illo eloquentius nihil facundius. Certe Socrates ille Platonicus (a) Periclem ideo ceteris dicendi gloria atque ubertate orationis præſtare affirmat, quod doctorem nactus Anaxagoram eximium temporibus illis Philoſophum, ab eo diligenter omnem naturæ ſubtilitatem, omnem naturalium rerum ſcientiam percepiſſet; eoque præſidio uſus eſſet, ad bene dicendum. Utinam hæc intelligerent noſtræ ætatis adoleſcentes, neque a Rhetorum dumtaxat præceptis, quæ traduntur in ſcholis eloquentiæ laudem conſequi poſſe ſperarent; ſed adderent *circulum* quemdam, ut Veteres appellabant, diſciplinarum; Dialecticam dico, & naturalem, ſive moralem Philoſophiam, quæque illam neceſſario comitantur Geometriæ, Algebræ, Mechanicæ, Aſtronomiæ elementa: deinde ad Hiſtoriam deflectentes & antiquitatis univerſæ cognitionem, atque harum adjumenta quædam in diplomatum ſive antiquiorum codicum peritia, inſcriptionum, nummorum poſita; demum Chriſtianæ fidei dogmata ex Patrum & Conciliorum effatis probe docti; tunc ſe ad Eloquentiam & verborum diſcipli-

(a) in Phedro tom. 3. pag. 270.

ſciplinam referrent. Viderent quanto hæc illis lætiora atque uberiora prodirent: darent etiam Auditoribus ſuis, quod illos ſibi conciliaret tantarum rerum cognitione præditis atque eruditis. Quamquam enim reliquarum diſciplinarum dogmata (quod indocti plerumque faciunt) inculcanda non ſunt; tamen ut Tullius (a) egregie tradidit, apparet atque extat, utrum ſimus eorum rudes an didicerimus. Ut qui pila ludunt, non utuntur in ipſa luſione artificio proprio ſed indicat ipſe motus didicerintne palæſtram an neſciant: & qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen utrum ſciant pingere, an neſciant, non obſcurum eſt: ſic in orationibus etiamſi, propriæ, ceteræ non adhibentur artes, tamen facile declaratur, utrum is qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio ſit opere jactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis actibus inſtructus acceſſerit. Quam id alte demiſerit animo atque expreſſerit ſtudiis ſuis Perpinianus, teſtis eſt ejus oratio VIII. qua auditores ſuos excitans ad avitam dicendi laudem recuperandam, ut quò cura intendenda ſit probe noſcant, nec falſa Eloquentiæ ſpecie fallantur; veram germanamque Eloquentiam deſcribit, atque ea, qua ratione comparari poſſit, ita docet pag. 202. *Hæc ex cognitione rerum exiſtit adjuvante natura & exercitatione; perficitur autem velut extrema præceptoris manu; ut eam non immerito quem-*

 dam

(a) lib. 1. de orat. num. 16.

dam quasi sapientiæ partum dicere possimus. Præclare illud Horatius, ut alia multa; quod in mentibus omnium qui copiose & ornate loqui volunt perpetuo infixum esse debet:

Scribendi recte sapere est, & principium, & fons. *Multos ille vel Poetas, vel qui Poetæ videri vellent, quotidie scriptitare non ignorabat, magnarum artium & doctrinæ subtilioris expertes; plenum tamen & grave carmen dignum auribus eruditis nisi ab eo qui pectus ante complesset plurimarum & maximarum rerum scientia, componi posse sentiebat. Quod si Poeta, cujus omne studium aurium tantum delectationem aucupatur, sine reconditis exquisitisque disciplinis non omnino creditur esse perfectus; oratorem qui magis utilitati servit quam voluptati; nec oblectare solum audientium animos, sed quod vult etiam ab eis obtinere & efficere conatur, quis excellentem esse posse arbitretur, nisi omnem optimarum artium doctrinam mente fuerit ante complexus.* Quæ ubi dixit, Platonis & Tullii auctoritate confirmat, quibus nos etiam testibus usi sumus. Nec vero non hæc quæ alios docebat, adhibuisse ipsum ad eloquentiam præsidia fas est dubitare. Itaque talis tantusque extitit, orator, quem homines disertissimi atque eloquentissimi suspexerunt. Sed argumenta ejus doctrinæ proferemus paulo post, cum singulatim erunt ejus opera recensenda. Nunc de Perpiniani vita & rebus gestis quæcumque commendata memoriæ sunt, referemus; ex quibus, credo,

do, constabit nec illi defuisse quod ad veram perfectamque Eloquentiam Veteres requirebant, mores bonos integritatemque vitæ: quod eò etiam magis expetendum videtur in illo homine, quò sæpius ei pro Religione dicendum fuit; ut ardorem animi de quo supra locuti sumus ad orationem afferret.

CAPUT II.

De vita & moribus Petri Perpiniani.

1. *Perpiniani patria* Elche *oppidum nobile Valentini Regni quod veteres Illicem vocant: ejus puerilis institutio.* 2. *Commoratio Conimbricensis postquam ingressus est Societatem Jesu; primusque aditus ad Eloquentiæ famam.* 3. *Romæ litteras docet, floretque hominum doctorum familiaritate.* 4. *Lugdunum translatus luculenta oratione & sacrarum litterarum interpretatione Catholicam rem tuetur.* 5. *Missus Lutetiam Parisiorum plures habet orationes, obstrepentibus Calvinistis; adversus quos eum Falconius defendit.* 6. *Mors immatura.*

I. DE Petro Perpiniano quicumque scribunt (sunt autem multi clarissimique viri) eloquentiam ejus, atque doctrinam pluribus verbis prædicant (a); hominis vitam & mores aut omnino prætereunt aut vix brevi ora-

(a) V. Clar. vir. judicia tom. 1.

oratione attingunt. Quod miror facere ipſos ſcriptores rerum noſtrarum, Petrum Ribadeneira in Bibliotheca, & Franciſcum Sacchinum in Societatis hiſtoria. Atqui dignus erat, cujus res paulo diligentius perſequerentur. Id facere conatus Antonius Franco (*a*); ſed multo poſt Perpiniani ætatem, quando obſcurata temporis oblivione ſunt omnia. Nos pauciſſima quæ mandata ſunt litteris colligemus, & potiſſimum ex Perpiniano ipſo, quæcumque ille caſu quodam, non certo conſilio, de ſe prodidit. Natus eſt in ea Hiſpaniæ parte quæ ad orientem ſolem ſpectat, in regno Valentino. Itaque Valentinus vocatur in titulo ipſo operum ſuorum (*b*); quod tamen patriæ cognomen abeſt ab antiquioribus editionibus (*c*). Ipſe vero ſe Valentinum nominat in epiſtola ad Andream Vallenſem: nam de ipſo interpretanda ſunt verba illa; *Moneo te & exhortor, ut præceptorem tuum obſerves & colas, ad ejuſque normam acerrimam dirigas, ſi quid hic Valentinus plane abhorrens, & abſurdus, & ab eloquentia Italica longe alienus forte depravavit*. Oratione vero prima quam habuit ad Pariſienſes; *Ipſe quidem*, inquit, *in hac urbe ita vivo, mihi ut in patria mea eſſe videar: veſtrum in conſeſſum ita procedo, me ut apud Valentinos cives meos dictu-*

(*a*) *Imagem da Virtude* tom. 2. lib. 3. cap. 4.

(*b*) edit. Romana oration. an. 1587. Brixienſi 1589. Lugdun. 1593. ac reliquis conſequentium annorum.

(*c*) orationis 1. Pariſiis an. 1566., orat. v. Romæ. 1565., earumd.

ctorum putem. De patria sua, aliud præterea significavit in vita S. Elisabethæ (*a*), cum inter ceteras causas aggrediendi ejus historiam hanc quoque recenset; quod virtute avi ejus, idest Petri Aragoniorum Regis, fuerit miserrima Saracenorum dominatione liberata: quod tamen nullum certum oppidum indigitat, cum Rodericus Toletanus affirmet (*b*), fuisse hoc beneficium commune urbibus omnibus oppidisque & cunctis fere municipiis Valentini regni. Alii tamen (*c*) memoriæ prodiderunt Perpinianum natum esse in Valentiæ oppido, quod populari ipsorum lingua *Elche* appellatur, Mela (*d*) Illicem, Illicios sive Illicium Plinius (*e*) merito creditur

---

ciumd. Brixiæ 1580., Historia Vitæ S. Elisabethæ Colon. 1609., Epistolar. Parif. 1683.

(*a*) lib. 1. pag. 267. *Accedit quod hic labor avi ejus summi viri meritis debetur, qui patriam meam miserrima Saracenorum dominatione liberavit.*

(*b*) lib. 6. de reb. Hispan. cap. 5. *Rex vero Jacobus æmulatione magna contendens parentum magnalia superare, cœpit terras Arabum infestare ... nec unius regni acquisitione contentus, regnum Valentiæ quod multis munitionibus præminebat adiit confidenter; & longis concertationibus civitas infestata invicto regi se victam tradidit & subjectam. Nec se credens rex invictus aliquid peregisse, dum agendum aliquid remanebat, & invadens ceteras urbes regni, tandiu incursibus & cædibus regni incolas coarctavit, donec urbes, castra, & fere omnia municipia Regni Valentiæ Regi inclito reddiderunt, ut jam tranquillitate suis regnis undique procurata, & omnibus adversariis jam obtentis, non habeat quibus moveat ex se guerram.*

(*c*) Nicolaus Antonius in *Biblioth. Hisp.*, Ribadeneira, Franco &c. (*d*) lib. 2. cap. 6. *de sit. orb.* (*e*) lib. 3. cap. 3.

tur nominasse. Nam quamquam eorum locorum sit adeo apud Veteres incerta descriptio ut quærentem fallat; & Ptolemæus, Vossii (*a*) aliorumque judicio, hic omnia turbet; atque ex recentioribus Gaspar Loaisa Illicium velit esse quod postea dictum *Origuella*, Joannes Mariana quod vulgo *Alicante* nuncupatur; tamen hanc quam dixi sententiam video placere viris doctis Petro de Marca (*b*); Joanni Harduino, (*c*), Christophoro Cellario (*d*), Gaspare Escholano (*e*) Petro Wesselingio; præterea Nicolao Antonio, Jacobo Augusto Thuano in Perpiniani patria narranda. Quod si admittirur, nihil sane est quod Perpiniani patria ceteris Hispaniæ oppidis de antiquitatis nobilitatisque gloria concedat. Nam vetus Colonia, eaque immunis fuit, ut testis est Plinius & antiqui nummi Tiberii apud Patinum & Occonem, quibus addendus Paulus I. C. apud quem *Illicitani immunes* ex Pandectis Florentinis leguntur ab eruditioribus Jurisconsultis; & *Colonia Victrix Ilice* insigni pariter nomine habetur in nummis aliis apud Antonium Augustinum. Quamobrem propter hanc nominis amplitudinem & celebritatem, vel propter mercatorum frequentiam, ut Cl. de Marca putat, fieri potuit ut licèt remotior a mari nomen sinui Illicitano daret. Hoc ergo in oppido natus Perpinianus: qui-

(*a*) ad Mel. (*b*) lib. 2. Marcæ Hispanicæ cap. 6.
(*c*) ad Plin. l. c. (*d*) Geograph. Antiq. lib. 2. cap. 1. sect. 3. (*e*) Hist. Valent. lib. 4. cap. 19.

quique ejus res diligentius persequitur Antonius Franco, addit, pertinuisse oppidum ad Carthaginensem Episcopatum & in oppidi illius Curia, sive Parœcia ut ajunt, natum Perpinianum quæ S. Mariæ nominatur: quorum prius illud verum erat illo tempore, quo nondum a Carthaginensi ad Episcopatum Oriolanum constituendum distractum Ilicium cum aliis oppidis fuerat, quod factum Paulo IV. Pontifice, quemadmodum Aubertus Miræus (*a*) tradidit; imo olim in Carthaginensi provincia erat Ilicitanus Episcopus (*b*) qui Conciliis Toletanis interfuisse reperitur. Parentes habuit Melchiorem Perpinianum & Eleonoram Escapeza domi nobiles: nam Perpiniana gens nunc quoque clara apud suos & illustris habetur. Petrus Joannes (nam hoc quoque de nomine prætereundum non est in summa rerum descriptarum penuria) appellatur vulgo, & in titulo orationum quæ illo vivente sunt editæ (*c*); ipse etiam duo sibi hæc nomina adscribit in epistola ad Jacobum Soranium. Qui tamen librum inspexit (*d*) in quem relatum nomen est, cum primum adscriptus fuit in Societatem, legi testatur dumtaxat Petri nomen, putatque aliud sibi ipsum adscivisse postea, quod sanctissimum illum virum præcipuo quodam amore & cultu prosequeretur. De ejus pueritia atque adolescentia nihil

(*a*) in notit. Episcop. V. *Illicis*. (*b*) V. Carolum a S. Paulo in Geogr. sacr. (*c*) Romæ an. 1565.
(*d*) Antonius Franco l. c.

mandatum eſt litteris. Oriolæ tamen ſcholas celebraſſe, atque inde adſcitum in Societatem, nuper edocti ſumus litteris ex Hiſpania datis. De ſtudiorum ſuorum ratione hoc idem Perpinianus oratione *VIII.* pag. 227. *Incideram ego adoleſcens in non optimos magiſtros, a quibus deceptus contuli me ad eos legendos & imitandos, quorum ſimilis nemo, niſi ſit omnino ſtultus, eſſe velit: ibi cum de recto tramite deflexiſſem, laborabam quantum illa ferebat ætas: verum ab eo quod mihi propoſueram longius in dies diſcedebam; tandem errore cognito redii in viam; omne meum ſtudium ad legendum Ciceronem & cognoſcendum penitus converti: tum demum intelligere cœpi, quid ſit compoſite & ornate loqui; tum primum illam Eloquentiæ non pigmentis oblitam fucoque puerili, ſed veram, ſed naturalis ſucci plenam, & ſuo colore florentem faciem aſpexi.*. Hæc ille; quæ omnino ſimilia ſunt iis quæ ſibi pariter contigiſſe narrat alius ſumma eloquentia & eruditione Petrus Bembus(*a*).

II. Exacta adoleſcentia annos natus XXI. pridie Kal. Octobris Conimbricæ Societati Jeſu nomen dedit una cum fratre ſuo Ludovico Perpiniano, qui magna cum integritatis fama vixit (*b*). Annus agebatur a partu Virginis MDLI. & biennium Conimbricæ fuit: quantum temporis inſtituti noſtri ratio fert ut ad pietatis opera exerceantur qui noſtræ familiæ ſe addicunt.

(*a*) *De imitationem ad Joannem Franciſcum Picum.*
(*b*) Antonius Franco l. c.

cunt. De hac Conimbricensi commoratione hæc Perpinianus ad FranciscumAdornum,quem ibi comitem habuerat *epist.16. pag 83.; memini profecto, memini temporis illius, quo mihi tempore felicius* aliud *nullum tempus illuxit, cum in illa Conimbricensi pietatis officina ad omnia tum privatæ tum publicæ virtutis officia quasi denuo fingebamur, & a Deo magistro per optimos religiosissimosque Patres præceptis salutaribus conformabamur; cum illa quæ nunc plerisque, ac mihi etiam ipsi,magis quam aliis, video difficilia atque aspera videri & alia longe majora, nemine vel imperante vel monente, sponte nostra, vel divino potius quodam impulsu faciebamus. Quamquam ego spectator magis eram alienarum virtutum quam auctor mearum. Sed illa ipsa certe multorum egregie factorum contemplatio, quamvis ipse ab illa perfecti officii ratione longius abessem, & magna me voluptate perfundebat, & studium melius instituendæ vitæ mirandum in modum inflammabat, & ad aliquid audendum majores mihi animos addebat*. Biennio post, cum primum Eboræ scholæ a Nostris aperirentur, missus eò Perpinianus ut Rhetoricam doceret, qui IV. Kal. Septembris, quo die docendi initium factum, orationem habuit *sua facultate ingenioque dignam*, ut Orlandinus (*a*) narrat. Nos de ea nihil affirmare possumus, qui nunquam sive editam sive scriptam vidimus:

(*a*) Lib.13.Historiæ Soc. Jesu num.56.

mus : & fortasse Perpinianus hanc , etsi ab Orlandino , ut modo ajebamus , laudatam, tamen quasi primam frugem Eloquentiæ suæ, nondum judicio suo maturam minus postea probavit, neque in vulgus exire cum aliis orationibus passus est. Verùm ea commoratio non diuturna Perpiniano fuit , alioque ille est ad eamdem operam advocatus. Regnabat in Lusitania Joannes III. hoc nomine ; qui simul atque ad imperium venerat, ratus nihil regio animo dignius facturum, neque rem susceptrum sive ad regni gloriam, sive ad civium commodum præstantiorem , quam si litterarum nitorem, qui obsolevisse videbatur, restitueret (a) , juventutique erudiendæ optimos institutores & magistros daret ; huic rei perficiendæ omnem curam cogitationemque adhi-

---

(a) Jacobus Tevius epist. nuncup. Joanni III. commentarii *de rebus apud Dium gestis . Quamquam alioqui quicumque ex litteris fructus provenit , jure optimo ad Te pertinere videatur , qui Lusitanos tuos antea in hoc genere incultos , humaniorumque disciplinarum pana expertes , maximis tuis sumptibus , summo studio , ac diligentia excoli erudirique jussisti . Nam ad hæc fere tempora non solum falsa illa persuasio quorumdam animos infecerat , laude dignum non esse scire litteras ; sed illas discere quodammodo pro vitio habebatur. Tu primus ex mentibus nostrorum hominum fœdam hanc & perniciosam opinionem quæ jam alte radices egerat evulsisti ; qui jam inde a felicissimis regni tui principiis Lutetiam omnium bonarum artium altricem optima cujusque indolis quamplurimos selectos juvenes ad capiendum ingenii cultum mittere curasti ... His veluti jactis fundamentis nobilissimam Academiam , in qua a doctissimis hominibus omnes disciplinæ suo pristino nitori restituuntur* Conimbricæ *excitasti &c.*

adhibebat. Itaque primo delectos ex omni numero juvenes qui ingenio alios antecellere viderentur Lutetiam Parisiorum in S. Barbaræ Collegio Regis impensis alendos erudiendosque miserat. Postea commodius visum est, si juventuti instituendæ sedem in Lusitania constitueret, & Conimbricensem Academiam olim a Dionysio Rege fundatam, deinde, ut rerum humanarum conditio fert, dilapsam, instauraret. Quare magnis propositis præmiis præstantissimos undique Magistros acciverat, cùm severiorum disciplinarum, tùm earum quibus informari puerilis ætas ad humanitatem solet. Verùm, cum hæc in Magistris deligendis substituendisque cura major esse videretur quã ut Regis animus tam multis rebus distractus sustinere posset;& si alteri committeret, vereretur ne gratiæ locus esset, minusque idonei constituerentur, vel moribus aut novis opinionibus de religione corrupti: quod tunc in tanta ipsius diligentia acciderat in Georgio Buchanano; se suosque hac cura liberatum iri credidit, scholis Philosophiæ ac Theologiæ, inferiorumque artium Societati traditis (*a*). Quod Regis optimi consilium Ignatio Lojolæ significatum, cum ipse probasset, simulque respondisset, Doctorum ab Urbe neminem posse mitti, quod indidem non modo Italiæ sed toti Septentrioni suppeditandum esset, Jacobus Miro qui res Societatis in Lusitania moderabatur convocavit ipse suis ex

(*a*) V. Orlandinum lib. 3. num. 83.

ex copiis, numeroque Provinciæ qui docend munus possent sustinere. Ergo *ad ordinandam rem omnem litterariam conversus* (inquit Orlandinus) (a) *quò illustriora exordia faceret locique tueretur dignitatem, præsertim quod Magistris succedebatur præstantibus, accitis Olisippone & Ebora peritis notisque Doctoribus, aliisque aliquamdiu Olisippone tamquam in umbra ad docendum exercitis, præfecit Rhetoricæ ordini Cyprianum Suarium, proximisque duabus Classibus Petrum Perpinianum, & Emmanuelem Alvarum, aliis alios*. Quantum tum fuerit Perpiniani nomen, quoque in pretio haberetur, licet conjecturam facere ex aliis qui sunt illi in eo docendi munere adjuncti, Alvaro inq uam & Suario: quorum alter Grammaticas institutiones, non eas quidem breviores, quibus nunc in scholis utimur, sed fusiores doctioresque & a præclaris Grammaticis vel laudatas vel egregie vindicatas composuit; alter item Majorum nostrorum decreto, Rhetoricas institutiones, breves eas quidem quales hæc facultas postulat, sed quæ optimis præceptis institutisque artis ejus abundent; quæque in externis etiam scholis dominantur: etsi detracto titulo Societatis ejus cui fuit adscriptus: quod in auctore *de Idiotismis linguæ Græcæ* Francisco scilicet Vigerio, Tursellino, aliisque, sive invidia factum ignoscimus, sive negligentia aut ignoratione commissum miramur. Sed ut revertamur ad Per-

(a) Lib. 15. n. 99.

Perpinianum cum Septembri exeunte ejus anni qui fuit MDLV. Magistri discipulique domestici pristinis ex ædibus in novas migrassent, Kalendis vero Octobris rite possessio iniretur, eo die Perpinianus pomeridianis horis habuit eam orationem quæ prima inter editas numeratur. Hanc fausti lætique argumenti subsecuta est alia omnino infausti atque tristis, habita mense Decembri ejusdem anni in funere Ludovici Principis filii Emmanuelis I. Joannis III fratris, qui annos natus XLIX. vitam sanctissime exactam simillimo exitu conclusit. Cum vero Joannes Rex, qua erat insigni pietate ac Religione in superos cælestesque omnes, S. Elisabethæ Reginæ cultus ut Pontificis sanctione augeretur, potestate facta imagines erigendi, annua Sacra faciendi, publica ceremonia comprecandi, a Paulo IV. impetrasset; voluit his honoris significationibus hanc quoque adjungi, ut deinceps anniversaria oratione publice in Conimbricensi Academia laudaretur. Creditum est id munus Perpiniano; qui primum id facere ingressus anno MDLVII. duobus aliis consequenter annis, habitis hujusmodi orationibus totam sanctissimæ feminæ vitam eleganter disertissimeque explicavit: deinde aliud onus additum est Perpiniano, vel ipse sponte suscepit, ut totam rerum gestarum seriem historiamque Elisabethæ litteris mandaret; quod perfecit libris tribus res ejus omnes diligentissime complexus. Juvenem id operis effecisse cum nondum

dum vis illa ingenii atque eloquentiæ deferbuerat; vel ex aditu ipsius historiæ legenti liquet. Quæ quidem omnia adeo brevi elaborasse, tantumque scribendi laborem ad quotidianas scholæ occupationes, & molestias, mirum est adjicere potuisse. Quin aliud vir ingenio promptus, atque alacer animo meditabatur: idque auctore Michaele Turriano, quod utinam perficere potuisset; ut scilicet Beati Ignatii vitam atque universæ Societatis nostræ historiam contexeret; quemadmodum Sacchinus testatur (a); qui tantam fuisse ejus nominis celebritatem affirmat, ut hinc detrimentum aliquod rediret adNostros,& jactaretur vulgo; apud Societatem jacere Philosophiam, florere Humanitatem. Idem hoc habet de ejus Eloquentia præclarum testimonium; *Petrus Perpinianus in admiratione cunctos rapiebat cùm cæteris eloquentiæ partibus, tùm actionis præcipue dignitate. Cum alii quamvis eloquentes vix ad horæ dimidium patienter audirentur, horas ei vel binas, faventes animos, recentissimas præbebant aures*: Quò pluris æstimare convenit in hoc doctorum hominum studio, tantaque eloquentiæ fama,eximiamPerpiniani modestiam,& demissionem animi plane singularem. NamhocConimbricensis commorationis tempore accidit quod narrat Antonius Franco. Cum plures annos primæ classi sive scholæ, ipse præfuisset, alius vero secundæ, Provinciæ Moderatorem adivit vehe-

(a) Sacchin. part. 2. lib. 2. num. 163.

vehementerque ab eo contendere cœpit, ut alteri ſchola ſua traderetur, ipſe ad ejus inferiorem claſſem detruderetur: tantumque potuit ut precibus ejus,& flagitatione victus Provinciæ Præpoſitus conſentiret.

III. Sed æquum non fuit tantæ virtuti conjunctam Eloquentiam ſcholæ illius aut regni finibus contineri. Jacobus Lainius (a), qui eo tempore Societati univerſæ præerat, dimiſerat in Hiſpaniam Hieronymum Natalem cum ſumma poteſtate, ut quicquid ad familiæ bonum utilitatemque conferre videbatur, ſtatueret. Huic dum Conimbricæ immoratur (b), redduntur ab eodem litteræ, in quibus hæc inſuper adjungitur cura; ut quos ad Collegii Romani, quod paulo ante cœperat, res illuſtrandas idoneos nanciſceretur, juberet venire Romam. Nihil magnopere dubitandum Natali fuit quos mitteret. Continuo in Caſtellam ſcribit, accerſens Joannem Marianam; Conimbrica excedere & Romanum iter capeſſere jubet Perpinianum. Romam venit a. MDLXI., & in Rhethoris munere ſucceſſit Annibali Codretto (c), Collegam vero habuit Fulvium Cardulum; utrumque cum pietate tum litteris nobilem. Et Fulvium quidem ipſum mire ſemper dilexit eumque Lugdunum profectus rogat (d) ut ſe *non patiatur carere diu ſolatio litterarum*; atque ad Bartholomæum Romanum ſcribens (e) *non*

(a) Sacchin. part.2. lib.4. n.196. (b) Ibid. lib.5. n.23.
(c) Tabul. mſſ. P. Th. Sil. (d) Ep.19. (d) Ep.21. pag. 125.

non tam, ait, *me Romama tecta movent*, *quam vos*, *quos Romæ reliqui ac præ ceteris P. Fulvius*, *qui cum anguste pateat* (erat enim ſtatura brevis habituque corporis exili) *totus eſt humanitatis ac ſuavitatis plenus* . Fulvius vero pari eum benevolentia remunerabatur, ut ſatis liquet ex litteris poſtea ad Perpinianum ſcriptis. Nec Fulvio ſolum, aut noſtris hominibus carus ac jucundus fuit Perpinianus, ſed ceteris, quicumque tum Romæ habebantur litteris atque eruditione clari; præcipue vero floruit familiaritate Pauli Manutii & M. Antonii Mureti, qui eum vivum ſummopere dilexerunt, & mortuum acerbiſſime ſunt lamentati. Amabant nimirum hominis cùm integritatem candoremque vitæ, tùm orationis nitorem, atque admirabilem Eloquentiæ facultatem. Et de ejus quidem orationibus loquens Sacchinus (*a*), *auditum* eum narrat, *agnoſcentibus Majorum ſuorum ornamenta Romanis*, *eaque ad ſe a peregrino referri homine gaudentibus*; additque *approbationem ac plauſum peperiſſe ſibi*, *laudem & gloriam Deo*, *exiſtimationem familiæ*. Quadriennium Romæ commoratus eſt; quod tamen tempus non videtur omne poſuiſſe in Rhetorica tradenda. Atque hunc docendi laborem cum triennium ſuſtinuiſſet, intermiſſum aliquo intervallo ipſemet docet oratione VIII., quam habuit cum ad eumdem fuiſſet Moderatorum ſuorum voluntate revocatus. *Gaudeo*, ait initio

(*a*) Part.2. Hiſtor. lib.5. num.69.

tio orationis, *vehementerque lætor intermissum anno superiore Rhetoricæ docendæ munus. mihi rursus hoc tempore fuisse mandatum*. Habuit hanc orationem VIII. Id. Nov. anno MDLXIV. Quamobrem videtur superioribus hujus anni mensibus a schola vacasse. Ita vero hoc altero tempore eodem munere perfunctus est, ut qui libros Ciceronis de Oratore interpretatus fuerat antea, nunc Aristotelis rhetoricos libros sibi explicandos proponeret. Itaque hæc habet in in litteris ad Muretum (*a*); scriptis opinor Autumno hujus anni MDLXIV., etsi tempus non præferunt: *Præpositus iterum Rhetoricæ scholæ, a qua me solutum penitus ac liberum esse arbitrabar, de Præfecti nostri sententia statui Aristotelis de arte dicendi libros explicare; ut si nihil tanti magistri subtilitate dignum in lucem potuero proferre (quod ita plane futurum esse video), certe conatus ipse in re perdifficili nonnihil ab auditoribus gratiæ & benevolentiæ consequatur, summique Philosophi nomen apud omnes illustre, juventutis studia vehementer excitet ad discendum*. De hujus quasi, alterius curriculi quod ingressus est Perpinianus hoc anno, scribebat, opinor, ejus æqualis Ludovicus Bosius; cum in ephemerides suas quasdam de Perpiniano scribens, ad hunc annum ejus initium docendi retulit. Atque hoc eodem Romanæ commorationis tempore Perpinianus, præter quotidianam operam positam in scholis, atque

D in

(*a*) Ep. 14. pag. 77.

in orationibus ſcribendis , quas ipſe habuit, alia aliis compoſuit , quorum nonnulla nactus conjeci in tertiam hanc ejus operum partem ; in quibus etiam extat aureum illud opuſculum *de ratione liberorum inſtituendorum litteris Græcis & Latinis* . Præterea recognoviſſe Inſtitutiones rhetoricas Cypriani Soarii idem ipſe teſtatur in epiſtola ad Franciſcum Adornum . Peregrinationes nonnullas ſuſcepiſſe , cùm ex eadem epiſtola patet , ubi Lauretanum iter Religionis ergo ſuſceptum narratur ; tum idem Perpinianus in alia ad Neapolionem Comitulum ſe Peruſiæ fuiſſe ſignificat atque ibidem eum cognoviſſe . Unde fortaſſe profluxit illa, non ſolum cum ipſo Neapolione,ſed cum Paulo fratre aliiſque inita neceſſitudo , quos amanter ſepe compellat pluribus in litteris , nominatque *Peruſinos ſuos* . Scripta eſt epiſtola illa ad Adornum Kal. Februar. A. MDLXV.

IV. Interea mortuo ſuperiore anno XIV. Kal. Febr. Jacobo Lainez Soc. Ieſu Generali Præpoſito , comitia celebrantur ; ad quæ Edmundus Augerius venit e Gallia : quæ cum paulo ante in duas provincias diviſa fuiſſet ; atque earum uni Aquitaniæ , alteri Franciæ inditum nomen eſſet , primam ipſe regebat ; & Lugduni Collegium conſtituendum curaverat ad avertendam Calvinianam peſtem , quæ eam urbem miſere affiixit. Cum ergo ſtrenue ipſe antea pugnaſſet , & pugnam inſtaurare adverſus perditos homines & pravis opinionibus imbutos ne-

necesse esset, dum Romæ versatur, creato summo Societatis Magistro Francisco Borgia, adjutores sibi belli gerendi ab eo efflagitavit, impetravitque ut secum in Galliam Perpinianum adduceret, hominem videlicet exquisita doctrina & singulari eloquentia frangendæ hæreticorum temeritati accomodatum. In itinere; cum esset parum firma valetudine, studiis nimirum atque assidua contentione animi afflicta, Camberiaci incidit in morbum, qui eum valde exercuit ac debilitavit, ut ipse scribit. *epist.* 31. *&* 25. Eo morbo recreatus, cum dedisset valetudini duos aut tres dies, se rursum itineri accinxit, & Lugdunum venit XIV. Kal. Octobr. an. MDLXV. In ea urbe, in qua Calvinistarum furor exarserat, recessumque quemdam pravæ opiniones habere existimabantur, nihil opportunius visum est, quam si Perpiniano munus demandaretur sacras litteras interpretandi. Ipse vero non ante suscipere eam provinciam voluit, quam oratione publice habita proluderet. Est hæc oratio nostræ hujus æditionis IX.. Postridie ejus diei, qui dies erat IV. Non., pauca quædam præfatus explicationem aggressus est sacrarum litterarum. Idem Perpinianus, qui superiorem orationem exitum habuisse satis felicem significavit, hoc die sibi displicuisse in docendo narrat, At eo factus est alacrior & in munere suo fungendo diligentior. *Altera schola,* ait eadem epistola; *dedi operam, ut illam superioris maculam delerem. Conveniunt plerumque* XXII.

audiendi causa. Ternas habeo singulis hebdomadis scholas: quantum intelligere potui delectantur. Hunc ajunt Archiepiscopum imperasse clericis, ut frequentent gymnasium nostrum, & librorum divinorum explicationem audiant. Quare speramus majorem in dies concursum factum iri. VIII. Cal. Novemb. ipse Archiepiscopus visit gymnasium nostrum: venit debita hora paulo ante id tempus, quo soleo dicere. Sed patientissime totam horam, & me quandiu loqui volui, libenter, ut vultus indicabat, & attente auscultavit. Nactus eram locum copiosum, & illustrem & nonnulla etiam doctrinæ tum varietate tum subtilitate responsum: exultavit in eo & triumphavit oratio mea: quocirca institui deinceps non prandere nisi re confecta. Grammaticorum Rhetoricorumque ordines augentur in dies numero puerorum, quibus ego quotidie facio rem divinam. Hactenus de se, rebusque suis ad amicum, ad quem scribentem ipsemet profitetur, libere garrire etiam ea quę alii præterea nemini scribenda putaret; nobis vero subsidio sunt ad cognoscendam quam Lugduni operam Religioni naraverit: de quo item Historicus rerum nostrarum (a); *Ibi in Lugdunensi civitate modico cum auditorio, sed fama ingenti ter in hebdomada sextum Evangelii S. Joannis caput explicare aggressus*. Modicum auditorium quod appellat, id est quod Perpinianus in epistola ad Fulvium amice dolet *auditorum miram paucitatem*, & su-

(a) Sacchinus part. 3. Hist. Soc. lib. 1. num. 81.

& supra narravit XXII. convenire solere ad eum audiendum. Multo sane plures fama hominis & eloquentia ac doctrina excire debuisset. Sed hoc sæpe viris aliis doctissimis evenit, & Petavio nostro; de quo leniter ipse conqueritur in epistola (*a*) ad Mutium Vitellescum; & in Philosophicis sive Mathematicis scientiis idem contigisse summo viro Newtono, qui ibidem postea docuit Whistonus (*b*) indicavit; cum contra ad minus idoneos & multum audaciores Magistros magni interdum concursus fiant, ut ex auditorum frequentia de hominum doctrina aut celebritate judicium fieri nec possit nec debeat (*c*). Magnum vero hac in re virtutis specimen atque exemplum præbuit Perpinianus. Nam ut Sacchinus (*d*) narrat; *id ajebat sibi Dei concessum munere, ut perinde libenter atque accurate paucos doceret ac multos, nec tam auditorum spectaret numerum, quam quid ipsa res a se, & muneris sui perfectio postularet*. Lugduni cum degeret, cum Hæreticis aliquando congressum ipsemet narrat litteris datis ad Emmanuelem Sa. Atque earum congressionum unam fuse exponit in litteris ad Andream Vallensem. Cum iisdem sæpe in itinere disceptavit; præsertim cum extremo Februariio, amne secundo Turnonem navigaret; parumque abfuit, quin a Re-

(*a*) lib. 2. ep. 51. (*b*) in præloq. ad prælect. Astron.

(*c*) Vide si lubet Joannis Burchardi Menckenii dissertationem *De his, quibus singularis quidam ac insolitus auditorum applausus contigit*.

(*d*) part. 3. lib. 2. num. 61.

Religionis hostibus projiceretur in profluentem. Cum enim eadem navi veherentur nonnulli Calviniana labe non leviter aspersi, quibus hominibus solemne est Ecclesiæ corruptos mores prædicare, ipse palam de emendatorum ipsorum moribus dicere cœpit ea, quæ pati illi non poterant; præsertim ubi incidit de Marotto, quem illi habebant Psalmorum interpretem, sermo; ac de Viretto principe Calvinianæ factionis. Longius hæc persequitur in ea epistola. Habet ibidem mansuetudinis suæ ac patientiæ specimen non vulgare: *Non multis*, inquit, *ante Kal. Martii diebus amne secundo Turnonem navigavi, ubi gymnasium nostri habent sane magnifice ædificatum. Sed cum extra urbem ad confluentem Rhodanum in ripa jacerem solus, nautarum moras vix ferens; ecce duo assistunt ex familiis publicanorum, quas in portubus in custodiis habent, qui cum essent ipsi optimarum partium, me vero diversæ factionis hominem nuper Gebenna delatum arbitrarentur; ita miserum & verbis & factis acceperunt, ut me nunquam meminerim contumeliosius fuisse tractatum.* Ille vero has contumelias non solum non ægro animo pertulit, sed delectatus est studio quod ostenderant tuendæ Religionis: quare addit; *tam bonis initiis sperare cœpisse sibi professionem illam non tam jucundam quam fructuosam futuram*. Turnone quamdiu fuerit aut quid egerit, non constat; liquet inde revertisse Lugdunum, unde hæc scripsit pridie Kal. April.

April. an. MDLXVI.; quibus tamen litteris significat jussum se Lutetiam Parisiorum migrare. In epistola ad Fulvium Cardulum Lugduno scripta III. Non. Febr. ejusdem anni hæc habet. *Quid de me futurum sit, omnino dicere non possum. Nostræ provinciæ Præpositus ad Pascha Tolosam ire me vellet; Lutetia ad se vocat.*

V. Et Perpinianum quidem Lutetia obtinuit. Quando huc venerit nihil certi habeo: Majo saltem exeunte vel ineunte Junio huc pervenisse dicendum est; cum III. Non. Junii ibi primam orationem habuerit, alteram XVI. Kal. Iulii, & pridie Kalendas tertiam. Itaque scribens ad Emmanuelem Sa, ante diem XII. Kal. Iulii; *Inde*, inquit, (idest Lugduno), *Lutetiam venire jussus, urbem vidi omnium quas unquam viderim maximam; defensionem Sodalitatis nostræ Cardinali Lotharingio scriptam obtuli; de veteri Religione retinenda, cujus argumenti fuerat oratio Lugdunensis, duas orationes habui inter hæreticorum non modo sibila, verum etiam arma, nunc tertiam meditor.* Exponit hic professionem suam, & quid primum Lutetiæ egerit. Ejus vero orationem exceptam summo bonorum plausu idem eadem epistola significat, dum quasi jocans addit; *curæ inferiores tuis, sed ingenio meo longe superiores: qui nec aurum nec argentum in ærarium Ecclesiæ inferre possumus, hoc nostro ære sumus contenti; quod a vobis uti par erat repudiatum Galli cupide, sine causa fortasse, cupide tamen, ut video, ample-*

ple-

plectuntur : Et epiſtola 32. ad Benedictum Sardum, ubi narravit concurſum magnum factum ad ſe audiendum, atque homines, ut apparebat, nobiles affuiſſe circiter quingentos, Magiſtros ad L. interque eos Leodegarium a Quercu Regium humanarum litterarum Doctorem, qui eam orationem (erat autem Pariſienſis III.) eodem die Magiſtro Regis mirum in modum laudavit; addiditque ejus exemplum a ſe peti, hæc habet; *alia multa ſileo, ne velle videar apud te gloriari. Summa ſit meam orationem, quam Italia veſtra exilio multandam judicavit Galliæ noſtræ valde placere, atque eorum etiam ſermonibus qui nos idolatrarum in numero locoque ducunt; & diſrumpuntur Papiſtam ſemi-Italum exortum eſſe qui Lutetiam excitaret, extra Lutetiam etiam percelebrari; quod ego ſi meam ſpectes laudem, nihili facio; ſin utilitatem eorum quibus places, non eſſe contemnendum puto ſic: habeto; ſi quid de Rhetoricis explicare vellem, nulla non dico gymnaſia, ſed atria multitudini ſatis futura: ſed in animo inducere non poſſum; ſic ab illo genere præceptorum totus abhorreo.* Quod vero bonos excitabat ad Perpiniani Eloquentiam laudandam, idem odio armabat homines a Religione averſos, praviſque e Calviniana ſchola ſententiis imbutos, ut eum vel dicentem intertubare, atque impedire ſibilis conarentur. Rem ita narrat Sacchinus ad A. MDLXVI.

Hiſt. lib. 2. num. 6.

MDLXVI. (*a*) *Accessit idem sub tempus ad Societatis res Lutetiæ decorandas Christiana Perpiniani mens ore potens Tulliano. Huc denique tamquam in campo digno se, majore manum momento collaturus Lugduno missus, & orationes quæ editæ extant de retinenda veteri Religione exorsus, magnum Catholicis nomen peperit. Auditus est cum primum dixit, haud sine Hugonottorum insigni dolore, qui cum ex composito obturbaturi in auditorio stetissent, ubi suam sectam impietatis disciplinam appellari audiverunt, in furias acti, primum sibilis, deinde etiam graviore injuria perturbare dicentem conati sunt. Sed superante eorum petulantiam tùm modestia & eloquentia Christiani oratoris, tum Catholicorum justa ira, qui districtos interposuerunt gladios, nihil deinde attentare ausi.* Ipse Perpinianus in primæ illius orationis exordio sive id præsenserat futurum, sive nihil meditatus ex tempore dixit, hoc de adversariorum sibilis significavit. Nam, posteaquã *detestandam* dixit ac *fugiendam illam novam*, ut ipsi vocabant, *Religionis*, ut ipse sentiebat, *impietatis disciplinam*; subdit: *declarant illi suo sibilo, quid ipsi de Religione sentiant. Verum id me recreat, Parisienses, quod ex eorum murmuratione debilitata & fracta cognoscere potuistis esse paucos.* Tumultus vero tunc exorti narrationem instituit initio alterius orationis, simulque causam objectam, sive potius occasionem arreptam ab adversariis: quæ omnia

E juva-

(*a*) Part. 3. Histor. lib. 2. num. 60.

juvabit hic ex eadem illa oratione repetere. *Nam, ait, si tumultus illius qui superioribus diebus extitit causam quæsieritis, reperietis eum non actione mea, sed paucorum, ne quid dicam asperius, parum modestis vocibus esse commotum... Ac nos quidem primo brevem epistolam in gymnasio nostro fiximus, qua monebamus lectorem, divinis de rebus orationes me crebras habiturum, eorum potissimum causa, qui linguæ Gallicæ ignoratione nullum e sacris concionibus fructum capere possunt... Post aliquanto brevissima scheda per compita significavimus, de veteri Religione retinenda verba me III. Non. Jun. esse facturum... Quid autem erat vel in facto vel in verbis quod jure quemquam posset commovere? non legitimum, non usitatum est, indicare scripto, si quid in tuo gymnasio sit agendum, quod ceteros juvet audire? non omni contumelia oratio illa caruit de veteri Religione retinenda?* ac paulo post: *istis istis, quemadmodum factum suum defendant providendum est; qui communicato consilio domi nostræ, præsente ornatissimo viro Jacobo Soriano Venetorum Legato, Religionis antiquæ defensionem contra Regis edictum exsibilaverunt, neque prius quieverunt, quam Jacobum Rodericum Falconium juvenem animo præstantem, qui hoc se primum adversus Deum pietati, deinde caritati erga præceptorem suum debere arbitrabatur, ad arma invitum impulerunt*. Hinc intelligimus quis fuit in primis ille Catholicorum, quem Sacchinus ajebat

bat juſta ira commotum contra Calvinianorum ſibila diſtrictum gladium interpoſuiſſe. Hic ille eſt Rodericus Falconius, de quo Paulus Manutius ad ipſum Perpinianum ſcribens epiſtolarum ſuarum *lib. 7. ep. 25.* ait; *beneficium enim certe non mediocre neſcio quod, ſed quantum eſſe poteſt maximum a te habeo, quod mihi amicum dederis Jacobum Rodericum Falconium prudentiſſimi & optimi viri filium, ipſum iis litteris ac moribus ornatum, ut cum me vel negotia, vel ipſa jam ætas ab amicorum conſuetudine removeat, hoc tamen juvene quotidie fere utar jucundiſſime. Ac ſæpe de te ſermo, illo libenter præclara tua facinora pro Chriſti gloria narrante, me libentius audiente.* Deinde ea ſubjicit quæ ad hoc Pariſienſe factum alludunt, quod tragœdiam vocat, in qua præcipuas partes egerit Falconius. *De tragœdia*, inquit, *mire ſum lætatus, præſertim agente Falconio. De animi tui conſtantia tibi gratulor, Deo gratias ago, a quo iſta manant. Tibi enim certe, & fortiſſimo cuique, niſi divina vis affuiſſet, præſenti diſcrimine, in tanta gladiorum licentia, animus concidiſſet.* Ad eumdem Falconium ſunt Manutii ejuſdem epiſtolæ *lib.* 8. 15. & 21. Ceterum hinc profecto liquet quanta fuerit Perpiniani noſtri conſtantia; cum & orationem illam poſt excitatas tantas turbas ad finem perducere potuerit, & alias poſtea magno dicendi ardore, & vehementiſſimo in defendenda Religione ſtudio habuerit: quod quidem alterius orationis inter

cetera, verba illa declarant (*a*) ; *falluntur si sperant me minis & mortis metu posse terreri. Hanc enim ego non vitam sed mortem: quam suis pollicitus est Christus, quam expectant omnes boni, cujus fruendæ studio interdum efferuntur; illam unam vere esse vitam puto. Quare ut opto neminem facere contra Cristianæ caritatis officium, sic; si quid humanitus accideret; quod in hac urbe intelligo mihi non esse timendum, sed si quid accideret, tamen summi beneficii loco ducerem, eripi mihi brevem miseramque vitam, æternam & immortalibus bonis affluentem reddi.* Huic constantiæ mansuetudinem addidit Christiano viro dignam. Nam fuit qui versus quosdam adversus Perpinianum scriberet: ipse vero etsi versus mali poetæ, ut appellat oratione XIII. (*b*), neque verbis neque sententiis neque numeris probabiles, conviciorum e trivio plenos, facile posset carminum dissimili genere refutare, & inepto conviciatori os impurum obstruere; tamen ita æquo legit animo (ut ipsemet professus est) nihil ut illi respondendum existimarit (*c*):qui tamen post tertiam Parisiensem orationem prorsus obmutuit, quemadmodum *epist.* 32. Perpinianus scribit ad Benedictum Sardum.

VI. Erat Perpinianus parum firma valetudine, ut ipse de se prodit oratione III. (*d*): hanc laboribus vigiliisque omnino debilitavit ac

(*a*) pag. 311. (*b*) pag. 371. (*c*) l. c.
(*d*) pag. 74.

acfregit. Has vigilias suas ipse appellavit sub finem orationis XII. (a) *Testor noctis tenebras, & assiduas vigilias meas. Testor conclave illud conscium mearum & diurnarum & nocturnarum commentationum.* Quare intermittere orationum laborem coactus est, ut initio orationis XIII. narrat, & epistola 32. (b) ad Sardum. Sed cum nihil de studiis suis, nihil de contentione remitteret, accidit quod timendum erat, ut *alienissimo tempore* (ut Manutii (c) verbis utar,) *cum ad eum salutaris doctrinæ dogmata de loco superiore ostendentem omnis omnium concursus fieret, cum hæreticæ factionis insidias patefaceret, impetum frangeret, tela retunderet, florente adhuc ætate, nimis immatura morte, summo ingenio vir, incredibili scientiæ copia, maxima jam apud omnes bene sentientes existimatione & auctoritate*, decederet. Sed audiendus Sacchinus, qui viri eloquentissimi atque integerrimi obitum deplorans, fusius hanc illatam rebus nostris & Catholicis partibus calamitatem narrat. (d) *Dum maxime floret Perpiniani nomen, perque ejus claritatem, quantum Maldonato Doctore Theologia, tantum Latinæ litteræ Claromontani Collegii celebrantur, magna sane jactura lævoque tempore (quantum humana vident consilia) canora illa tuba infracta est.* V. *Kal. Novembr. obiit vir religiosissimus nec sui modo*

(a) pag. 364. (b) pag. 366. (c) lib. 7. epist. 19.
(d) Part. 3. Histor. lib. 2. n. 61.

modo temporis eloquentissimus, verum etiam quo ad Tullianam facultatem haud facile quisquam ulla propius ætate accesserit. Quod si diutius vita suppeditasset, tum præsertim, cum jam unà cum ætate viri maturescebat oratio, nec umbratiles sed veras, adeoque illustres & graves tractabat causas, enimvero expressam posteris Christiani oratoris formam reliquisset haud multum a perfecta distantem. Vere hæc postremo loco posita dici a Sacchino, quicumque doctorum virorum judicia de Perpiniano quæ primo tomo præfiximus leget, videbit. Atque ad eam Eloquentiam de qua fusius antea disseruimus accedebat in eo, quod in dicendo unum dominari Tullius affirmat (*a*), & quo detracto summus orator esse in numero nullo potest; cui item primas dedisse Demosthenes dicitur cum rogaretur quid in dicendo esset primum, imo secundas tertiasque: nimirum actio excellens, ut eam Sacchinus vocat; additque idem de eo; *species erat decora, & tamquam flori juventæ senilem inspergere majestatem natura festinasset, barba & capillus præcanus*. Atque hinc ipse senem se appellat in epistola ad Bartholomæum Romanum (*b*) & in alia ad Benedictum Sardum (*c*), cum ceteroquin objerit annum agens sextum & trigesimum. Id ut representaremus, Perpiniani nostri effigiem dedimus qualem nanscisci potuimus.

(*a*) lib. 3. de orat. num. 56. (*b*) 21. tom. 3. pag. 121.
(*c*) epist. 31. pag. 163.

mus. Hinc oratorum nulli secundus ætate sua habitus: hinc ejus immatura mors a multis sed præcipue a M. Antonio Mureto & Paulo Manutio non sine lacrimis deplorata. Idem Sacchinus Catholicos Parisienses acerbe tulisse hunc summi viri casum narrat, & multis per urbem sparsis Græcis Latinisque carminibus Oratoris memoriam decorasse. Contra Hæretici dissimulare non potuerunt ex publico moerore lætitiam; cumque ferre non possent tam celebrem defensori Catholico superesse famam, quam nonnisi ex eorum refutatione collegisset, contrarios laudationibus bonorum evulgarunt libellos. Quamquam id ille obtinuit non tam naturæ laudibus quam moribus institutisque vitæ ac virtute plane singulari. Fuit in Perpinano eximia quædam animi excelsitas & in perferendis laboribus alacritas atque constantia pari cum suavitate morum & benevolentia conjuncta. Testantur hoc epistolæ ad amicos & sodales suos sive discipulos scriptæ; ex quibus, & alios eum summo amore complexos liquet, atque ipsum virtutem veluti mollitam amicitiâ, teneram ac tractabilem præbuisse: ita sæpe de eorum silentio vel de raritate litterarum conqueritur, desideriumque eorum se moleste ferre significat. De fortitudine vero & constantia, quamvis superius diximus, juvat tamen hic addere quod ad ejus mortem pertinet obitam summa animi magnitudine, ante etiam expetitam. Nam cum ad

Bartholomæum Romanum scriberet de morte sodalium aliquorum, significaretque se pro illis sacra fecisse, addit; *aliquando, & quidem ut spero brevi, idem a vobis beneficium accepturi*. Sacchinius vero loco proxime laudato hæc habet; *Perpiniano tamen jucundum fuit in propugnatione Fidei tamquam in acie occumbere, qui profitebatur, si vel unum a lapsu sustinuisset, luculentum se profectionis in Galliam suæ pretium habiturum*. Hic vero monendus est lector; profectionem illam, etsi parens nutibus eorum quibus se totum regendum tradiderat, libens susceperit; si animi tamen naturalem sensum spectes displicuisse Perpiniano: vel quod affecta valetudine molestias itineris ferre non posset; vel quod in regiones concederet, ut eas in epistola ad Massarellum & Romanum describit, frigidiores, præsertim vero tumultibus maximis turbatas; vel quod dilecta homini omnium lenissimo Italia, & suavissima consuetudo amicorum erat relinquenda; quod significat in eadem epistola ad Bartholomæum Romanum. Paruit tamen, voluntati suæ Moderatorum suorum sive Dei potius voluntatem anteponendam judicans. Itaque ad Manutium scribit; *non mea voluntate Urbem reliqui, sed ut mihi persuadeo Divino jussu: quænam enim ego Divina ducam jussa, nisi ejus, cujus me totum permisi ac tradidi potestati divinis monitis parens*? Itaque cum his in regionibus ad quas venerat, laborum nimio

pon-

pondere fractus succubuisset, præstitit hanc eamdem in morte constantiam: *sub ipsum excessum*, inquit Sacchinus, *cum lectulo circumfusi omnes domestici adessent, precatus primo a Moderatoribus, dein a cetera corona veniam, si quem prudens imprudensve offendisset, eosdem modo adhortans ad perfecte Deo serviendum, modo suavissime Deum & Christum Dominum alloquens, uberem omnibus fletum excivit*. Atque hæc habui quæ de Perpiniano ab aliis descripta; potissimum vero ex libris ipsius expressa lectoribus objicerem, minuta illa quidem, sed quæ tanti viri studiosis non erunt, ut spero, injucunda. Nam si clarorum hominum atque excellentium urbes quas incolebant, domum ubi habitabant, vestes ipsas quibus tegebantur, aliaque quæ in domesticum usum adhibebant. videre delectat; quemadmodum Carneadis exedram illam quam Tullius sibi voluptati fuisse testatur; cur non libeat vestigia quoque morum ac virtutum aspicere ac contemplari? Sed qui Perpiniani cùm animi virtutes, tum vero doctrinam hominis atque ingenium penitus nosse velit, huic libri ipsius (habent enim effigiem quamdam morum ac sanctitatis egregie ab ipso expressam) introspiciendi sunt; quibus spectandis socios nos atque adjutores qualescumque fore profitemur.

CA-

Caput IV.

De Scriptis Perpiniani, quæ hujus editionis Tomo I. continentur.

§. I. De orationibus I. & II.

1. Instituti nostri ratio in exponendis scriptis Perpiniani. 2. occasio habendæ hujus orationis. Floruerat Academia Conimbricensis viris doctis. Primùm fundata a Dionysio Rege an. 1309. etsi aliqui id Joanni III. tribuere videntur; ejus fundationis diploma. 3. Advocati externi doctores, atque in his Buchananus, qui reus factus violatæ Religionis. Externis Magistris substituti indigenæ. 4. Quæ hæc oratione complexus Perpinianus. 5. Eloquentiæ ejus argumenta & doctrinæ. Vere dici, nonnullos antiquorum armasse Philosophiam adversus Christianos; quod præ ceteris affirmat Tertullianus. Bene a Perpiniano Philosophia laudatur si Religioni serviat: id Origenes quoq. atque alii fecere. 6. Joannis III. laudes. Ratio qua Societas utitur in tradendis disciplinis a Bacone de Verulamio laudata. 7. De altera oratione. Series primorum regum Lusitaniæ. Ludovici Principis virtutes ab aliis commendatæ.

I. PErpiniani opera visum est tribuere in partes tres; quarum primam orationes occuparent; alteram *laudationis libri*, ut ipse appellat, in B. Elisabetham Lusitaniæ Reginam unà cum ejusdem vita; tertiam denique epi-

epiſtolæ & minuta ſcripta quædam . Nunc vero conſtitutum eſt nobis ſingula hæc breviter exponere, vel ut hominis doctrina extet apertitus, vel ut gratificemur adoleſcentulis, quibus præcipue illa edidimus ; ut facilius orationis ductum, atque eloquentiæ artificium, & amplificationem, in qua mire Perpinianus excellit, aſſequantur. Neque exponemus ſolum, ſed veterum Enarratorum ſequemur morem; qui, ut Varro, Diomedes, Quintilianus, aliique tradiderunt, in ſcriptis prælegendis , ſi quid adnotatu dignum occurrebat, in eo uberius declarando immorabantur,addebantque de ſuo quæcumque illuſtrare rem poſſe exiſtimabant. Quamobrem meminimus,id veluti profeſſos initio,inſcripſiſſe opus hoc qualecumque noſtrum, *Diatribam* : quo titulo id innuere voluimus, propoſitum nobis eſſe , quod in quotidianis ſermonibus & familiaribus collocutionibus inſtitutis ad tempus terendum fit (quales hoc nomine illas Platonis & Tauri cujuſdam Gellius appellat) ut ex alio in aliud ſermo veniat, nulla certa lege aut modo ; id nunc præſtare in Perpiniani operibus enarrandis ; ut ab effatis ejus, occaſione oblata aut arrepta, ſenſa animi noſtri fortaſſe non inutilia legentibus prodamus. Neque hoc genus ſcriptionis nos ſine magnis auctoribus uſurpamus : quorum utinam, ut genus, ita & modum, induſtriamque imitari poſſemus .

II. Ergo prima Perpiniani oratio inſcribitur

tur *de Societatis Jesu gymnasiis* : cujus orationis habendæ quæ occasio fuerit, exposui in Perpiniani vita : cum nimirum Joannes Lusitaniæ rex hujus nominis III. Academiæ Conimbricensis scholas Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, Philosophiæ; quas Perpinianus *pag.6. Facultates* vocat, nobis tradidit. De eadem tamen Academia Conimbricensi fusius hic aliquanto agendum est : nam de ea sæpe tota hac oratione Perpinianus; & cum initio id exposuisset, quantum onus Sodalitas nostra susceperat, receptis his scholis, cum succederetur Doctoribus ingenio ac doctrina paratissimis; horum laudes postea fuse persequitur. In quo, utitur ille quidem minime recondito, & vulgari artificio ad eos sibi conciliandos; a veritate tamen non discedit. Nam floruisse Academiam Conimbricensem hominibus doctissimis, testantur Scriptores ferme ejus ætatis. Alphonsus Garzias Matamorus in libro quem *de Academis & doctis viris Hispaniæ* scripsit anno MDLIII.:idest biennio antequam hæc oratio haberetur, hæc habet de Academia Conimbricensi : *Hoc prudenti & divino consilio Joannes Serenissimus Lusitaniæ Rex, qui mihi omnium primus honoris & majestatis gratia fuerat nominandus, in decus nobilissimæ gentis, & utilitatem studiorum, inter victrices lauros, quas ex Africa quotidie reportat, his temporibus Conimbricæ fecit. Hic nobili constructa Academia, doctissimos unde-*

cum-

cumque præceptores, amplissimis conditionibus evocandos curavit, quorum illustri, præclaraque nominis fama, non Lusitanos modo intra suum regnum, contineret, sed exteras sejunctissimasque nationes, tamquam in refertissimum rerum omnium mercatum ad suavissimas epulas invitaret. Hector Pintus, qui obiit anno MDLXXXIV. *part.2. Dialog.4. In Lusitania,* inquit, *nunquam adeo eruditi eximiique viri extitere, quam tempore Regis Joannis ejus nominis III. qui Conimbricensem Academiam erexit & instituit totius Europæ celeberrimam, & eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluentem, in quam optimos Professores, quos in toto terrarum orbe potuit seligere, accersiit. Non fuit iis, qui in ejus regno florebant contentus, sed etiam præter hos, alios Salmantica, Compluto, Lutetia, Tolosa, Burdigala, Flandria, Italia, & Germania convocavit.* Quod vero horum alter ait Conimbricensem Academiam a Joanne III. *institutam*, alter *constructam*; id plurimi alii tradidere, hanc Joanni gloriam afferentes, quasi primus ille auctor extiterit. Jacobus Middendorpius *de Academiis lib. 3. Conimbricensis*, ait, *in Lusitania nostra ætate a Joanne II.* (id. III.) *Rege Portugalliæ extructa*: & Jacobus Tevius *in epist. allata.*; *his veluti jactis fundamentis nobilissimam Academiam, in qua a doctissimis hominibus omnes disciplinæ suo pristino nitori restituuntur, Conimbricæ excitasti.*

Ita-

Itaque mirum non est Historicum nostrum, Orlandinum scilicet, scribere; Joanni III. visum esse opportunum *studiorum sedem Conimbricæ collocare, & luculentam Academiam condere*; & Suarez *tom. 4. de Religione; tract. 10. lib. 5. cap. 4. num. 2.* inter *Studia*; ut ipse vocat, celeberrima recensentem Conimbricense; quod quamvis aliis *recentius sit, non tamen* (ait) *doctrina & universalis Ecclesiæ utilitate ac fructu præsertim circa fidei propagationem, inferius existit*; Joannis III. *regali plane munificentia fundatum* narrare(*a*). At instauratio potius illa fuit & renovatio quædam quam prima constitutio Conimbricensis Academiæ. Itaque Benedictus Pereira *lib. 1. Accademiæ num. 43.* Suarii loco allato subdit; *nota, dici fundatum a Joanne III. non quod ille revera fundaverit (prima enim fundamenta jecit Dionysius Rex) sed quod accitis ex toto orbe egregiis præceptoribus instruxerit, & annuo triginta millium aureorum proventu locupletaverit*. Petrus vero de Mariz (*b*) Camillum Borellum reprehendit quod Ioanni II. (ita enim scribit) Conimbricensis Academiæ fundationem tribuat *de præstantia Reg. Catholici cap. 40. num.* 137.atque ex Archivo Academiæ ipsius monumentum producit, quo traditur,primum Academiam constitutam a Dionysio

(*a*) Idem significat Jo:Laurentius Anania tract. 1. Cosmographiæ pag.19. &c.

(*b*) Dialog. variæ lectionis v. pag. 353.

nyſio Rege Olyſſipone A. MCCXCI, Nicolai IV. anno III. atque ob frequentia diſſidia concertationeſque civium cum Scholaſticis deinde Conimbricam translatam ab eodem Rege A. MCCCVIII. Pontificatus Clementis V. anno III. Floruit in ea urbe Academia uſque ad A. MCCCLXXV. quo anno Ferdinandus I. rurſus eam Olyſſiponem adduxit; ibique celebrata eſt ad A. MDXXXIV. Tunc enim Ioannes III. eam in antiquam ſedem & Conimbricenſem civitatem reſtituit, accerſitis undique inſignibus præſtantiſſimiſque Magiſtris. Hæc Petrus de Mariz: quæ item habet Dominicus Antunez Portugal. *de donat. Reg. lib. 2. c. 22.* & Ludovicus Nonius *in Hiſpania cap.* 37. Leguntur autem omnia in proemio legum Academiæ ipſius Conimbricenſis, quod de illa Academia ſcribens recitat Georgius de Cabedo *cap* 37. *de patronatibus Eccleſiarum Regiæ coronæ Regni Luſitaniæ*. Suſpicor tamen in annis conſignandis, atque ad morem hunc noſtrum annorum indicandorum traducendis leviter peccatum, & pro anno MCCCVIII. ſubſtituendum MCCCIX. Hunc enim aperte deſignat diploma Dionyſii, quo Conimbricenſem Academiam fundavit. Dabo hic diploma ipſum Dionyſiii quale exhibuit Souſa (*a*) in monumentis quæ edidit ad Genealogicos libros ſuos confirmandos.

Dio-

(*a*) Provas *da Hiſtoria Genealogica da Caſa Real* Portugueza tom. 1. pag. 75.

„ Dionysius Dei gratia Rex Portugal. &
„ Algarb. universis Christi Fidelibus sa-
„ lutem & frugem vitæ felicis cum devotione
„ Fidei Orthodoxæ. Regalem decet excellentiã
„ invigilare remediis Subditorum ac regnum
„ & regni habitatores magnificare virtutibus
„ præmiorum, ut dum Rex & populus ei com-
„ missus in multiplicatis justitiæ fructibus su-
„ scipiunt incrementum, post humanæ vitæ
„ transitum, ad æternam mereantur beatitu-
„ dinem pervenire. Quippe hæc Rex cultæ
„ justitiæ nusquam melius poterit ducere ad
„ effectum, quam si terram, idest regnum sibi
„ commissum faciat semine multiplicibiliter
„ seminari, ut sic demum per illius gratiam,
„ qui de mortificato semine plurimum fru-
„ ctum affert, regnum emittat palmas ju-
„ stitiæ, & terra germinet fructus suos, sci-
„ licet viros eloquiorum doctrina multiplici-
„ citer insignitos, ut proinde vestræ cœlestis
„ gratiæ viris litteratis ad omne bonum, quo
„ operantibus Rex & regnum in soliditate ju-
„ stitiæ solideatur. Sane Regna nostra Por-
„ tugal. & Algarb. prospeximus fere omni
„ bono quod ad humanam conditionem per-
„ tinet communicata, secundum quem Re-
„ galem Majestatem non solum armis deco-
„ ratam, sed legibus justitiæ & æquitatis
„ oportet esse armatam, ut utrumque tem-
„ pus & belli ac pacis recto valeat gubernari.
„ Cupientes regna nostra virtutum clementia,
& ra-

„ & radiis coruſcare, ad decus & gloriam al-
„ tiſſimæ majoritatis & glorioſæ Virginis ma-
„ tris Chriſti, necnon almi Martyris Vin-
„ centii, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ,
„ quæ cunctorum fidelium mater eſt & ma-
„ giſtra, ac utilitatem publicam regni noſtri,
„ in civitate noſtra Colimbrienſi, quam præe-
„ legimus in hac parte, fundamus & planta-
„ mus irradicabiliter Studium generale, vo-
„ lentes ut ibidem apud Religioſos conventus
„ fratrum Prædicatorum & Minorum in ſa-
„ cra pagina doceat, ut ſit fides Catholica
„ circundata muro inexpugnabili bellatorum.
„ Ibidem & Doctorem eſſe volumus in Decre-
„ tis & Magiſtrum in Decretalibus, per quo-
„ rum doctrina uberrimam Clerici noſtri re-
„ gni inſtrui valeant, qualiter ipſos oporteat
„ in domo Domini converſari, & qualiter &
„ ſtatus ipſorum & Eccleſiarum ſalubriter gu-
„ bernetur ſecundum Canonicas ſanctiones.
„ Præterea ad Rempublicam melius guber-
„ nandam, in prædicto noſtro Studio eſſe vo-
„ lumus in Legibus Profeſſorem, ut Rectores
„ & Iudices noſtri Regni conſilio peritorum
„ derimere valeant ſubtiles & arduas quæ-
„ ſtiones.

„ Præterea ordinamus in prædicto noſtro
„ Studio Magiſtrum in Medicina in poſterum
„ habeatur, ut nunc, & in futurum ſubdito-
„ rum noſtrorum regantur corpora ſub debito
„ regimine ſanitatis.

„ Item in facultatibus Dialecticæ & Gram-
„ maticæ ibidem Doctores esse volumus, &
„ Magistrum, ut per alterum debitum funda-
„ mentun & per . . . . . . acutiorem recipiant
„ intellectum, qui ad majores scientias desi-
„ deraverint pervenire. Quia vero cordi no-
„ bis est prædictũ nostrum Studium ampliari,
„ ad quod cum effectu dare intendimus ope-
„ ram efficacem; idcirco universitatem nostri
„ Studii universos & singulos ipsius Universi-
„ tatis communimus privilegiis infra scriptis.

„ Omnes itaque studentes in nostro Studio,
„ ac ad idem accedentes, ex quo intra Regno-
„ rum nostrorum limites fuerint cum personis
„ & rebus eorum & familiis sub nostra pote-
„ state recipimus, specialiter præcipientes
„ destricte omnibus Iudicibus, Proceribus, &
„ aliis Officialibus regni nostri, ut præfatos
„ Scholares & res ipsorum, necnon servien-
„ tes ab omni oppressione illicita tueantur.
„ Quod si contrarium fecerint, sciant se no-
„ stram indignationem absque dubio incursu-
„ ros, & præter pœnam a nobis transgresso-
„ ribus imponendam, restituturos damna quæ
„ indebite illata fuerint Scholaribus supradi-
„ ctis. Sane quoniam Scholares in nostra ci-
„ vitate Colimbriensi commorantes prærogа-
„ tiva gaudere volumus speciali, ut sub omni
„ tranquillitate studio liberius vacare valeant
„ & doctrinæ, universis ejusdem civitatis ci-
„ vibus cujuscumque status fuerint destricte
„ præ-

„ præcipimus & mandamus, ut nullus eiſdem „ Scholaribus vel eorum ſervitoribus, ſeu „ mancipiis auſu temerario inferre præſumant „ violentiam vel gravamen.

„ Et ſi Scholares quiſquam voluerit convenire ratione criminis vel contractus, vel „ alia quacumque cauſa vel occaſione, adeat „ eorum Iudices ordinarios, ſcilicet Epiſcopum vel ejus Vicarium, ſeu Magiſtrum „ Scholarum, ſi hoc noſcatur ad ſuum „ officium pertinere. Per hoc tamen Legi dicenti, quod Magiſtri in ſuos Scholares jus dicere valeant, non intendimus „ derogare, ſed eum in ſua firmitate perdurare volumus, noſtro Alcaidi, & ejus nuntiis diſtricte inhibendo, ne quacumque occaſione vel cauſa eoſdem Scholares ad judicia ſæcularia pertrahant violente, niſi forte „ in homicidio, vel vulnerum illatione, ſeu „ furto, vel rapina, aut mulierum raptu, vel „ falſæ monetæ fabricatione fuerint deprehenſi. In quibus caſibus etſi aliàs prædictus „ Alcaide & ejus nuntii dictos Scholares flagitioſos capere valeant, ipſos tamen captos „ abſque difficultate aliqua dictus Alcaide „ quam cito poterit & non requiſitus Epiſcopo, vel ejus Vicario, aut Magiſtro Scholarum, ſi ſua intereſt, reſtituere teneatur, „ ut per dictos Epiſcopum, vel ejus Vicarium animadverſione debita caſtigentur.

„ Eiſdem inſuper Scholaribus duximus

 „ con-

„ concedendum, ut Rectores & Consiliarios
„ sibi creare valeant, Bedelium, ac Officia-
„ les alios, per quos status Universitatis in
„ melius perducatur; & quod eadem Uni-
„ versitas habeat arcam communem, & sigil-
„ lum, necnon quod possit per se, vel per
„ alios ordinare libere,& statuere ea quæ mul-
„ tiplicationem Studii & studentium utilitatē
„ & tranquillitatem respicere dignoscitur.

„ Præterea.... audivimus fide digno,
„ quod in nonnullis locis ubi est exercitium
„ studiorum, per habitatores eorumdem loco-
„ rum difficultates non minimæ in condu-
„ cendis domibus in congruum, immodera-
„ tum salarium, vel pretium locationis no-
„ mine a scholaribus exigendo. Sed quia eo-
„ rum est specialiter interendum, qui amore
„ scientiæ facti exules de divitibus pauperes
„ semetipsos exinaniunt; ideo specialem quo-
„ rumdam locorum laudabilem consuetudi-
„ nem ad hoc ipsum Studium prorogantes,
„ providimus regali ordinatione in perpe-
„ tuum valitura, ut duo Proceres nostri Co-
„ limbriensis Concilii, & duo Scholares
„ ejusdem Universitatis idonei annis singulis
„ eligantur, de quorum communi consensu,
„ vel majoris partis eorumdem hospitia ta-
„ xentur fideliter ac juxte: itaque in taxa-
„ tionibus faciendis nulla exceptio persona-
„ rum, penitus habeatur; sed ad hoc exe-
„ quendum legaliter sciant prædicti taxato-
res,

„ res, ex virtute mandati Regis se teneri;
„ quod si inter domorum dominos, & ipsos
„ Scholares super domibus locandis ac pretio
„ locationis plena concordia intervenerit,
„ tunc absque ipsis taxatoribus possit libere
„ expediri, ut quod inter partes convenerit
„ inviolabiliter observetur. Volentibus in-
„ super Scholaribus supradictis gratiam facere
„ ampliorem, edicto perpetuo prohibemus,
„ ut Scholares non possint ejici, seu expelli
„ de domibus in quibus nunc morantur
„ vel morabuntur et in futurum, dum ta-
„ men cum Dominis hospitiorum de salario
„ poterint concordare, vel si super hoc non
„ poterint cum dominis convenire saltem
„ juxta taxationem a supradictis taxatoribus
„ moderandam, retinere voluerint domos
„ conductas ab iisdem tempore retroacto, &
„ aliter de dictis domibus Scholares prædicti
„ non possint expelli, nisi eas personaliter
„ morari voluerint domini earumdem, aut
„ eas vendere voluerint, aut filio seu filiæ
„ vel alicui de ejus linea descendenti matri-
„ monium dare.

„ Ceterum ut dicti Scholares tanto majo-
„ ribus proficiant incrementis, quanto a no-
„ stra regali clementia privilegiorum præro-
„ gativa se senserint perdotari ad memo-
„ riam muneris specialis ejusdem duximus
„ perpetuo concedendum, ut in nostra Can-
„ cellaria nihil ab eis pro privilegiis Univer-
„ sita-

„ ſitatis, ſeu aliis libertatibus nunc......
„ ſigilli..... ſeu ſcripturæ, vel quacumque
„ alia cauſa ſeu occaſione petatur, ſeu exi-
„ gatur a noſtro Cancellario qui nunc eſt, vel
„ pro tempore fuerit vel ab aliis Officialibus
„ qui per nos, vel dictum Cancellarium ad
„ Cancellariæ miniſterium deputentur. Por-
„ ro novimus expedire, ut iiſdem noſtris
„ Scholaribus vagandi materiam amputantes,
„ eiſdem quietem ſtudendi omnimodam præ-
„ paremus, quod cura exequimur vigilanti,
„ dum ab eis negotiorum ſæcularium, &
„ ſtrepitus militaris, necnon mundanæ de-
„ lectationis appetitum ut poſſumus amove-
„ mus. Proinde volumus ac mandamus no-
„ ſtris Commilitonibus, eorum Armigeris, &
„ Rapaucibus, necnon univerſis Soldareiris
„ regni noſtri, & omnibus Inſtitutoribus at-
„ que Mimis, ut deinceps ad domos Scho-
„ larium, vel Doctorum, cauſa ibidem hoſ-
„ pitandi, vel comedendi non audeant decli-
„ nare; inſuper prohibentes Mimis & Solda-
„ deiris ſupradictis, ne a ſupradictis Schola-
„ ribus aliquid præſumant petere, vel alias
„ colore quæſito exigere ab iiſdem. Quod ſi
„ contra noſtræ Serenitatis vetitum a quo-
„ cumque fuerit contrarium attentatum, no-
„ ſtræ prohibitionis tranſgreſſores taliter pu-
„ niemus, quod eorum pœna erit ceteris in
„ exemplum.

„ Hoc quoque privilegii capitulum ſingu-
„ lis

„ lis annis in civitate Colimbrienſi per pæco-
„ nem publicum volumus & mandamus tem-
„ pore debito publicari, ne aliqui per igno-
„ rantiam ſe audeant excuſare. Verum eiſ-
„ dem Scholaribus duximus concedendum,
„ ut ad noſtrum Studium poſſint, & de ipſo
„ per terram vel aquam libere recedere, vel
„ venire cum ſuis equitaturis, libris, familiis
„ & ſupellectilibus; ita quod in quacumque
„ parte regnorum noſtrorum, primiſque oc-
„ caſionibus, nihil ab eis nomine pedagii ex-
„ actionis cujuslibet exigatur, vel etiam
„ requiratur, & qui contra venerit præter
„ damna & expenſas duplum reſtituere com-
„ pelletur.

„ Hcc ſane privilegii capitulum volumus
„ per noſtras patentes litteras intimari uni-
„ verſorum locorum Regni noſtri pedagia-
„ ris, exactoribus, ſeu & publicanis: man-
„ dantes inſuper noſtris Alvaſilibus de Co-
„ limbria, ut ſupra rebus ſupradictis prædi-
„ ctos Scholares quo voluerint tranſportandis
„ concedant eiſdem teſtimoniales litteras,
„ cum fuerint requeſiti, non petatur vel reci-
„ piatur aliquid a Scholaribus ſupradictis pro
„ hujuſmodi litteris ſeu ſigillis, ſed iiſdem
„ abſque difficultate qualibet concedantur.

„ Poſtremo cupientes noſtrum Studium
„ abundare in omni bono & fertilitate quæ
„ nobis a divina clementia ſunt collata, &
„ etiam conferenda, in favorem Scholarium or-
dina-

„ dinamus & ſtatuimus, & mandamus, ut
„ de univerſis partibus regni noſtri ad hoc
„ noſtrum Studium poſſint quæcumque victu-
„ alia libere deportari, non obſtante quacum-
„ que conſuetudine, ſtatuto edito vel eden-
„ do, vel quolibet privilegio conceſſo vel
„ concedendo Civitatibus, Caſtris, vel Mu-
„ nicipiis, ſeu locis aliis quibuſcumque, quæ
„ de hoc indulto plenam & expreſſam non
„ faciunt mentionem. Noviſſime, quod nihil
„ actum etiam credimus pro utilitate noſtri
„ Studii, & ſtudentium in eodem, dum ali-
„ quid ſupereſt agendum, volumus duos pro-
„ bos viros aſſumi de noſtra civitate Colim-
„ brienſi, qui pro honore & commodo Stu-
„ dii & ſtudentium ſollicite vigilantes præ-
„ requirant, & noſtræ Serenitati referant,
„ quæ ipſi Studio & ſtudentibus viderint op-
„ portuna, ac Univerſitati noſtri ſtudii &
„ ſingularium de eadem, immunitates, pri-
„ vilegia, ac etiam libertates ſtudeant fi-
„ deliter conſervare, ſicut ſe digniſſima
„ ratione Conſervatores vulgariter appellan-
„ tur. In cujus rei teſtimonium præſens pri-
„ vilegium prædictæ Univerſitati conceſſimus
„ ſigilli noſtri munimine roboratum. Datum
„ Ulixbonæ 15. die Februarii Rege man-
„ dante Alfonſus Andreas notavit Era 1347.
Eſt certe hic annus eræ Hiſpanicæ 1347. annus vulgaris æræ 1309. Nam ex Petavio *l.* 10, *de Doctrina temporum cap.* 68., & ex aliis paſſim

sim Chronologis, imo ex Perpiniano ipso *de Vita B. Elisabethæ pag.* 179. primus illius eræ annus incidit in annum vulgariis 38. Hic ergo annus MCCCIX. initium dedit Conimbricensi Academiæ quam Dionysius ornavit auxitque, ut legere est in allato diplomate: etsi postea aliter cautum legatur in Regni Lusitani legibus editis An. MDCCXLVII. *lib.* 5. *tit:* 79. & 80. (*a*). Quod vero Joannes III. eam in antiquam sedem, ut diximus, restituerit Conimbricæ, reditibusque auxerit & præceptoribus tota Europa conquisitis instruxerit, ideo ipse quoque illius veluti parens atque auctor perhibetur. Jādiu de ejus laudibus solitū quotannis Oratorem ad Academicorum concionem dicere, liquet ex pluribus editis orationibus. Legimus L. Andreæ Resendii unam hoc titulo; *Oratio babita Conimbricæ in Gymnasio Regio anniversario dedicationis ejus die IV. Kalendas Julii MDLI.* Tota in Joannis Regis laudatione versatur; atque inter cetera hæc de ipsa Academia, postquam Lusitanam gentem litteris floruisse superiori ætate & sua demonstravit: *Sed quia ad cultum ingenii capiendum fere oportebat peregrinari; nimirum quibus ad id conandum aut suæ facultates aut Principis deessent benignitas, emergere nequaquam poterant: eoque fiebat ut paucioribus felicitas ea contingeret. Non est igitur passus, nos ultra ejus rei commoditate destitui, sed nova consti-*

G *tuta*

(*a*) tom. 1. pag. 180. &c.

tuta Academia, quantum doctrinarum, quantum elegantiæ, quantum linguarum ornatiorum apud omnes portionibus habebatur, tantum suo regno simul invexit. Conquisitos undique viros excellenti eruditione præstantes, magnis propositis præmiis & honoribus convocavit. Deinde de urbe ipsa. *Elegit autem urbem hanc, in qua sedes & domicilium sapientiæ collocaret, sive quod ea in media est Lusitania, sive quod loco sita ac cælo minime calamitoso, gravioris aeris offensionibus per admodum raro est obnoxia, sive quod eam urbem voluerit honorare, quæ ab initio rerum Lusitanarum caput gentis & Regum sedes ferebatur. Et sane videtur divinitus esse factum, ut ex qua urbe olim quasi ab incunabulis regni, armatæ legiones egrediebantur, quæ debellatis Maurorum tyrannis, imperium in universam Lusitaniam paullatim propagaverunt; ex eadem nunc armatæ aliter exeant legiones quæ omnem barbariem profligent atque exterminent &c.* Vides iterum ab eò *constitutam* dici a Joanne Academiam. Observa nunc Perpiniani nostri diligentiam, qui in B. Elisabethæ vita, ubi fuse Conimbricæ subjectam vallem, urbemque ipsam describit; non a Joanne III. excitatam sed restitutam Academiam affirmat, *Paulo ante hanc vallem extremam*, ait *pag.* 223., *in colle quodam excelso, & quà radices ejus a meridie flumen subluit, declivi ac pæne præcipiti, in ea ripa Mondæ, quæ conversa est ad Orientem & Aqui-*

lonem sita est Conimbrica urbs perantiqua, sedes ac domicilium veterum Lusitaniæ regum, quæ a summo colle qua clivus est mollior & vergit ad occasum solis, in ripam usque amnis projecta colitur & habitatur non parum frequenter; maxime ex quo Rex Joannes hoc nomine III. antiquum ei restituit litterarum decus: additque quod pertinet ad ejus urbis cognitionem: *Parum constat Eminiumne quondam an Colibria nominaretur. Sed Conimbrica deserta, cujus ad Condexam cognomento Veterem extant vestigia facile nobilitatem urbis declarantia, nomen eò cum civibus forte migravit*. Ejus urbis multi meminere quorum tamen alii aliter appellant. Joannes Gerundensis *Mundam* olim dictam tradit *lib.* 1. *Paralip. Hisp.* quem refutat Ludovicus Nonius *Hisp. cap.* 37.

III. Sed ut redeamus ad viros eruditos atque doctos, quibus, Ioannis III. opera, abundabat Conimbrica, duo veluti eorum genera distinguere videtur Perpinianus *pag.* 2. nimirum externorum hominum procul evocatorum; & Lusitanorum Magistrorum, qui illis in docendi munere, antequam traderentur Societati scholæ, successerunt. Quid enim aliud indicant verba illa? *Atque inde sensim quasi per quosdam annorum gradus ad hæc nostra tempora delabentes singulorum Doctorum, qui sunt in hac aliquando luce versati, laudem atque gloriam ponderate: nimirum primos illos hujus Academiæ patronos tales fuisse compe-*

rietis , quales a potentissimo Rege litterarumque amantissimo accersiri debuerunt , & quibus vix quicquam perfectius in hoc docendi genere Lusitania , illis praesertim temporibus , ausa esset optare .... eos autem qui illis successerunt tam singulari fuisse doctrina fatebimini , tam subtili ac recondita imbutos maximarum artium scientia , tanta in docendo subtilitate ingenii , ut priorum abitu hinc , vix ullam hae scholae jacturam , inde lucrum ingens fecisse viderentur , quae pro doctissimis exteris hominibus doctissimos Lusitani nominis viros accepissent . Viros eruditos Conimbricam a Ioanne unde unde essent accitos testatur Buchananus in vita sua ad A. 1542. *Interea* , inquit , *litterae a Rege Lusitaniae supervenerunt quae Goveanum juberent , ut homines Graecis & Latinis eruditos secum adduceret , qui in scholis quas ille tum magna cura & impensis moliebatur litteras humaniores & Philosophiae Aristotelicae rudimenta interpretarentur . Ea de re conventus Buchananus facile est assensus. Nam cum totam jam Europam bellis domesticis , & externis aut jam flagrantem aut mox conflagraturam videret , illum unum videbat angulum a tumultibus liberum futurum , & in eo coetu qui eam profectionem susceperant , non tam peregrinari , quam inter propinquos & familiares agere existimaretur . Erant enim plerique per multos annos summa benvolentia conjuncti ; ut qui ex suis monumentis orbi claruerunt, Nicolaus Gru-*

Gruchius, Gulielmus Garentæus, Jacobus Tevius, & Elias Vinetus. Itaque non solum se comitem libenter dedit, sed & Patricio fratri persuasit ut se tam præclaro cœtui conjungeret. Hos eosdem nominat Thuanus in elogio Buchanani ad A. 1582. (a). Addit de Joanne Gelida loquens, Arnoldum Fabricium (b). Uberius in his recensendis versatur, Andreas Schottus in *Bibliotheca Hispanica* tom. 3. in ipsius Ioannis Gelidæ elogio, de eo scribens: *Lutetiæ itaque primum ludo cui a Cardinale conditore nomen est, præfuit; deinde Burdigalæ Aquitanico. Nam Andreas Goveanus Burdigalensis Gymnasiarcha, vir de universa Aquitania & litteris, ut si quis alius, optime meritus, homo pius, doctus, & ad regendam juventutem omnino natus, qui in suam Lusitaniam a Joanne Rege revocaretur; & Joannem Gelidam, quem cùm ob mores & doctrinam, tum quod, eum in philosophiæ studio Magistrum Lutetiæ habuisset unice diligebat, rem non satis in Cardinalitio facere cognovisset, eum secum in Lusitaniam cum Georgio & Patritio*

(a) tom. 4. edit. Lond 1733. pag. 99.

(b) tom. 1. pag. 610. *Inde Burdigalam evocatus ludo Aquitanico præfuit, Andrea Goveano Gymnasiarcha interea ad Joannem Lusitanorum Regem in patriam profecto, ut Conimbricæ ludum aperiret; quò & secum cum Gelidam ipsum una cum Patritio & Georgio Buchananis Scotis, Nicolao Gruchio, Gulielmo Guerenta Rotomagensibus, Elia Vineto Santone, Arnoldo Fabritio Vasatensi, aliis, ducere vellet, nunquam patuit persuadere, homini Gallicanis moribus assueto, ut ad suos Hispanos redire vellet.*

Buchananis fratribus Scotis , Nicolao Gruchio & Gulielmo Guerenta Rotomagensibus , Eli Vineto Santone , Arnoldo Fabricio Vasatensi Joanne Costano , Jacobo Tevio , & Antoni Mendez Lusitanis (omnes hi præter Patritium & Fabricium litteras , Gymnasiarcha Govea no , Burdigalæ docebant) ducere voluit , magnis regio nomine propositis stipendiis : sed & ut iret nec prece nec pretio adduci potuit . Legenda præfatio Busini ad epistolas Gelidæ editas Rupellæ A. 1571. Sed præsertim in iis recensendis immoratur Petrus de Maris *dialog. V. var. lect.* Singulorum etiam laudes invenies apud Teisserium , Niceronium , Sanmartanum , Nicolaum Antonium , Andream Schottum, Bailletum , atque hujusmodi historiæ litterariæ Scriptores , apud Thuanii & ceteros qui eorum temporum res persequuntur . Eliam quidem Vinetum Scaliger ita laudat,ut neget quemquam se novisse eo homine præstantiorem . Atque hæc de externis hominibus Conimbricam evocatis ad docendum . Alterum , quod innuit Perpinianus;iis indigenas substitutos , equidem hactenus apud neminem reperi eorum qui ista , scribunt ; & ab A. 1547. quo in Lusitaniam profecti sunt ceteri cum Goveano (in quem annum peregrinationem illam incidisse Thuanus , Nicolaus Antonius , Andreas Schottus ponunt) sive insequenti , quo proemium legum docet, initium factum prælegendis disciplinis, ad A. 1555. quo

So-

Societas in eas ſcholas advocata eſt, non magnus annorum numerus interceſſit. Sed factum fuiſſe vel ex unius Perpiniani teſtimonio, qui id eo tempore Conimbricæ narrabat, planum eſſe debet; & ex eo etiam conjectando aſſequi poſſumus, quod clariſſimos viros qui in Luſitaniam adducti fuerant novimus poſtea, cum diu aliis ſcholis præfuiſſent vel in aliis terris vixiſſent, eſſe mortuos. Ita de Nicolao Gruchio qui Rupellæ obiit A. 1572. & de Vineto, qui, cum diu Aquitanum Collegium moderatus eſſet Burdigalæ fato functus eſt, narrant Hiſtorici. Fortaſſe illa cauſa fuit quod nonnulli eorum in ſuſpicionem veniſſent violatæ Religionis. Itaque Buchananus hæc ſcribit in vita ſua. *Et principio quidem res præclare ſucceſſit, donec in medio velut curſu Andreas Goveanus, morte ipſi quidem non immatura, comitibus ejus acerba, præreptus eſt. Omnes enim inimici & æmuli in eos primum ex inſidiis, deinde palam, animo plane gladiatorio incurrerunt: & cum per homines reis inimiciſſimos quæſtionem clam exercuiſſent, tres arripuerunt, quos poſt longum carceris ſqualorem in judicium productos, multis per eos dies conviciis exagitatos, rurſus in cuſtodiam abdiderunt.* Addit ſibi objectum carmen in Franciſcanos ſcriptum (de quo tunc eum accuſatum narrat etiam Thuanus) deinde crimini datum carnium eſum in Quadrageſima; præterea quamdã ejus vocem, cum fuiſſet ortus ſermo

mo de Euchariſtia; *ſibi videri Auguſtinum in partem ab Eccleſia damnatam multo eſſe proniorem*; demum illum de Romana Religione perperam ſentire. His criminibus reus factus prope ſeſquiannum in carcere detentus eſt; atque anno 1552. libertati redditus inde in Angliam navigavit. Buchanani impietatem præcipue in cauſa fuiſſe, cur alios ſibi Doctores Ioannes Rex conquirendos putaret, Orlandinus ſignificavit, quem nos ſecuti ſumus in Perpiniani vita. Sed & illud credibile eſt, ceteros Buchanani cauſa & duorum quos ſecum comprehenſos dicit, in ſuſpicionem Regi adductos longiorem moram non duxiſſe in Luſitania. Itaque alii conquirendi Magiſtri fuerunt; atque ex Luſitania delecti; quod nolebat Rex ignotis hominibus, quorum non plane perſpecta Religio erat, juventutem erudiendam tradere: & fortaſſe jam tum animo verſabat huic operi Societatem admovere. Utcumque ſit, hos laudat Perpinianus, atque affirmat non fuiſſe externis inferiores.

IV. Nuc reliqua quæ in ipſa oratione Perpinianus perſequitur attingemus, quò juvemus lectores & Perpiniano lucem aliquam, ſi poſſumus, tribuamus. Poſtquam eos laudavit qui functi erant Doctoris munere, de novis Magiſtris, ideſt Sodalibus ſuis loquitur, eorumque tenuitatem excuſat. Noverit tamen lector ſcholas iis traditas, qui tunc doctrina excellere putabantur. Et præter Perpinianum ipſum.

ipsum. Cyprianum Suarium & Emmanuelem Alvarum, quos supra nominavimus, recensere hic possumus qui sunt Philosophiæ tradendæ destinati, Ignatium Martinium quem egregie commendat Georgius Cardosus, & Petrum Fonsecam editis libris suis nobilem. Opem a Deo & Cælestibus precatus Perpinianus exponit *pag.* 5. quid susceperit explicandum tota oratione; nimirum consilium Regis in tradendo Collegio Societati; & quam Societas in docendis litteris viam ac rationem sequatur. De altero hoc primum agit; atque affirmat, eum qui Societatem noverit intelligere debuisse, omnia ab ea ad virtutis studium honestatisque conferri. *Pag.* 7. duo distinguit genera eorum qui sunt in studiis versati; vel qui id sibi dumtaxat proposuerunt ut in illis excellerent; vel qui virtutis causa ea susceperunt. Ex eorum numero plures fuisse ait virtuti ac Religioni inimicos ut Porphyrius, ut Arius, ut Iulianus. Itaque omnino esse virtutem cum litteris, conjungendam. *Pag.* 13. explicat quæ Philosophia *animorum medicina*, *divinumque donum* dicenda; quemadmodum eam Plato & Tullius vocant; nimirum eam quæ viam sternit virtuti; atque iterum colligit, litteris addendam morum sanctitatem. Idem *pag.* 18. probat ex eo, quod nihil sit virium in Philosophia, si ab integritate vitæ sejungatur, ad alios edocendos veram pietatem; imo quod sit hujusmodi, ut pateat hominum irrisio-

irrisioni. Quod si ambæ simul nectantur (*pag.* 22.), nihil affirmat ea esse potentius. *Pag.* 24. ad Philosophiam hanc laudandam excurrit; atque asserit nihil ea esse in hominum vita majus; nihil humano ingenio ac naturæ accomodatius; nihil Christianæ Religioni magis necessarium: quæ singillatim explicat, primum *pag.* 24; alterum *pag.* 26; denique tertium *pag.* 28. idque concludit eleganti apostrophe ad Philosophiam ipsam, in qua lector videbit institisse vestigiis illius quam habet Cicero Tusculanarum quæstionum *lib.* 5. *n.* 2. *O vitæ Philosophia dux &c.* *Pag.* 32. revocat orationem ad id quod dixerat; multum referre, conjungatur necne cum virtute Philosophia; optimum vero esse hanc copulationem quam primum in adolescentia fieri: ad id præstandum Societatem litteras docere in scholis; ut Socios opponat hæreticis hominibus qui hac maxime ratione Religionem oppugnant. Explicato consilio Societatis in scholis patefacendis, *pag.* 34. explicare agreditur Regis consilium in iis tradendis; quod idem esse affirmat; scilicet ut litteris pietas virtusque augeatur. Hanc litterarum curam amplificat a comparatione bellicorum facinorum, atque occasionem captat Regem ipsum laudandi. *Pag.* 39. diluit quod opponi poterat; hanc ipsam litterarum virtutisque conjunctionem proposuisse sibi superiores Magistros: & eos rursum laudat. *Pag.* 40. demonstrat rationem

nem quam Societas ſervat in diſciplinis tradendis; atque in fine orationis ad preces ſe rurſum convertit.

V. Qui orationem hanc attente legerit, videbit, nonnulla quidem eſſe inſperſa quæ redoleant juvenilem ætatem; nihilominus extare ſingularem eloquentiam atque doctrinam. Eloquentiam quidem, quod ea præſtet, quæ ait Tullius (*a*) maxime expeti ſolere in oratore, in quo homines exhorreſcunt, quem ſtupefacti dicentem intuentur, in quo exclamant, quem veluti deum inter homines putant; ut diſtincte, ut explicate, ut abundanter, ut illuminate & rebus & verbis dicat, conficiatque quaſi quemdam numerum verſumque in ipſa oratione. Addas, quod idem uberius declarat loquens de Hortenſio, (*b*) admiratus in eo eam facultatem; ut breviter arguteque incluſo adverſario laxaret judicum animos atque a ſeveritate ad hilaritatem traduceret; ut dilatare poſſet atque a propria ac definita diſputatione hominis ac temporis ad communem quæſtionem univerſi generis orationem traduceret; ut delectandi gratia poſſet digredi parumper a cauſa. Hoc quod eſt omnino difficillimum; & qui facere non poſſunt ita dicunt, ut arida, exſucca, & veluti ſine corpore videatur oratio; nemo fortaſſe aſſecutus eſt felicius Perpiniano; cujus ſermo ita ducitur, ut latius aliquanto excurrat, deinde

(*a*) 3. de orat. n. 14. (*b*) In Brut. num. 93.

de revocetur, ſemperque admirabilem quamdam copiam præferat & ubertatem. Potes hoc in oratione quam enarravimus ſpectare, cum Philoſophiā laudat, cum eos qui ſunt illa abuſi vituperat, cum Regem ſuum ornat. Quam multa vero ſunt quæ ſingularem Perpiniani doctrinam oſtendunt; ut non ſolum in Platonis ceterorumque antiquorum Philoſophorum appareat ſatis eſſe verſatum; ſed in Patrum atque auctorum Eccleſiaſticorum ſcriptis? Nam quod ait, Antiquorum nonnullos Philoſophiam armaſſe contra Chriſtianos, id ex Patribus multi tradidere, præſertim vero Tertullianus *de Præſcriptionibus cap.* 7., ubi de Hæreſibus loquens: *Hæ ſunt*, inquit, *doctrinæ hominum & dæmoniorum, prurientibus auribus natæ, de ingenio ſapientiæ ſæcularis. quam Dominus ſtultitiam vocans ſtulta mundi in confuſionem etiam Philoſophiæ ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis temeraria interpres divinæ naturæ & diſpoſitionis; ipſæ denique Hæreſes a Philoſophia ſubornantur. Inde Eones & formæ neſcio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate; a Stoicis venerat &c.* & ſic deinceps toto illo capite, Philoſophiæ eas, quæ inductæ fuerant, pravas opiniones tribuit; atque affert illud Apoſtoli ad Coloſſenſes *Videte ne quis vos circumveniat per Philoſophiam*. Legeſis Chriſtianum Lupum ad hunc Tertulliani locum, & P. Baltus

in

in egregio opere, quo contra Clericum contendit, Patres a Platonica Philosophia alienos fuisse; Massuetium quoque ad Ireneum. Petavius in Prolegomenis ad Theologiam suam *cap.* 3. scribit; *Res vero per se ipsa loquitur, ac priscarum omnium hæresum quæ primis seculis tribus exortæ sunt historia ipsa testatur, Simonianos, Valentinos, Marcionitas, Manichæos ac ceteros non aliunde quam ex commentis Platonis subornatos esse ad illa fabricanda monstra & dedecora Christiani nominis, quæ cum apud oppugnatores eorum, SS. illos PP. legimus ingenti horrore percellimur.* Cum vero hîc Perpinianus *pag.* 9. de Porphyrio loquatur, Cl. Holstenius in dissertatione *de Vita, & scriptis Porphyrii cap.* 1. *pag.* 8. *&c.* vel ex uno quem edidit Porphyrii libello contendit, non injuria a Tertulliano Philosophos appellatos esse *Hæreticorum Patriarchas*. Vide eum locum. Postquam Philosophiæ, quæ sejuncta sit a pietate, reprehensionem Perpinianus instituit; ne id velle videatur quod nonnulli nostra etiam ætate, qui ex his PP. locis genus ipsum Philosophiæ, sive Aristotelicam, sive Platonicam repudiandam esse contendunt (ut Constantinus ille Grimaldus *part.* 2. *discussionum* suarum) ad Philosophiæ laudes convertit orationem. Idem fecit Christianus Lupus in scholiis *ad caput* 7.: alios, qui eamdem facultatem ornarunt non recensemus; sunt enim infiniti, & in manibus est omnium eloquentissimi

simi viri Jacobi Sadoleti liber *de laudibus Philosophiæ*. Quam vero laudem hic Noster postremo Philosophiæ adscribit; ut sit utilis vel necessaria ad Christianam Fidem tuendam vel propagandam, id huic disciplinæ asseruit vir eloquens ac doctus e sacra Prædicatorum familia Thomas Mamachius (*a*); a quo hæc aliaque habet ingenii & doctrinæ suæ monumenta litteraria Resp; multo vero plura & majora expectat. Perpinianus inter eos qui Philosophiam adhibuerunt ad Christianam Fidem defendendam numerat primo loco Origenem: & jure; fuit enim post Clementem Alexandrinum *l* 1. *Strom.*, inter primos qui palam professus est, Ethnicorum sapientiam damnandam non esse, nec abstinendum ab eorum libris. Itaque defensionem scribere coactus est, ut tradit Eusebius (*b*), atque epistolam *adversus eos qui nimium ejus studium erga hujusmodi disciplinas reprehendebant*: cum nimirum tunc multi Ethnicorum scriptorum lectionem ipsam damnarent; quos enumerat Cotelerius (*c*), & Theophylus Raynaudus (*d*). Extat & epistola ejusdem Origenis ad Gregorium Neocæsarensem, qua id ipsum illi faciendum suadet eo usus exemplo (quod alii etiam usurparunt) Judæo-

(*a*) Orat. *De ratione tradendæ Philosophiæ designatis Orthodoxæ Religionis Propagatoribus*.

(*b*) lib 6. Hist. cap 19. (*c*) in cap. 6. lib. 1. Constit. Apostol. (*d*) *de bon. ac mal. libris.* part. 1. erotem 11. (tom. XI. oper. pag. 311.)

dæorum, ex Egypto Ethnicorum opes adſportantium in Paleſtinam. Optime etiam Noſter ſcribit *pag. 29. Sapientiſſime igitur Majores noſtri quod eſt vel in pugna, vel in omni medendi arte multo maximum, & in quo exclamant homines & admirantur, gladium extorſerunt hoſti de manibus, eique illa ipſa acie caput amputaverunt, qua is ipſorum jugulum petebat; eamque refecerunt morbo medicinam, ex qua vis ejus omnis profluxerat.* Hoc non ad inferiorem dumtaxat ætatem pertinet, & ad Ariſtotelem quem S. Thomas famulari coegit Theologiæ, ut multi tradunt; ſed omnino ad antiquiſſima tempora, & ad vetuſtiſſimum genus Theologiæ; quam ita Patres inſtituebant (quod recte animadvertit Thomaſſinus in prolegomenis Theologiæ ſuæ) ut eſſet ferme omnino contexta ex ſententiis Philoſophorum, ut eos Chriſtianæ Religioni non eſſe inimicos demonſtrarent; atque ex hoc ſcribendi modo *ſtromatum* nomen hi libri invenerunt; quales nunc extant Clementis Alexandrini, & ab Origene ſcriptos fuiſſe Hieronymus teſtatur. Hoc ita eſſe qui Tatiani, Athenagoræ, Theophili, Euſebii ſcripta legerit, videbit; imo qui Paulum ipſum Athenis in Areopago laudaſſe animadverterit Heſiodum, & Orpheum. Atque hujuſce rei cauſa illa erat, quam hic Perpinianus attingit. *Nihil apud Ethnicos ſcripta Prophetarum: nihil Apoſtolorum, nihil Evangeliſtarum auctoritates*

pote

poterant : at Philosophorum monumenta sententiæque plurimum , plurimum Oratorum & Poetarum . Placuit hæc adnotare, ut constaret Perpinianum non rabulam nescio quem de trivio, sed virum esse eloquentissimum, nec eloquentia solum sed doctrina floruisse, atque in Veterum cùm Ethnicorum tum Christianorum libris diligenter fuisse versatum.

VI. Pæne omiseram aliquid de Joanne III. dicere quem hic tantopere Perpinianus laudat. Laudat illum inter ceteros ea quam diximus oratione L. Andreas Resendius ; Eum parentis cujusdam loco Societas habuit habebitque semper. Nam ut ait Sacchinus (*a*) *necdum natam, hoc est ante Pontificiam approbationem, complexus ita perpetuo suis in Regnis, in Europa, Africa, & ultimis Asiæ & Indiarum oris regia munificentia, paternaque benignitate, ita in ceteris Christianorum terris commendatione auctoritateque fovit, defendit, provexit, ut non magis benefici Principis, quam indulgentissimi Patris loco esse in omne tempus posteritati nostræ debeat.* Quæ ubi dixit, recitat B. Ignatii epistolam, qua jubentur Sodales omnes in sacrificiis sive precationibus suis quotidie & nominatim de Rege eodem, simulque de Regina & liberis eorum coram Deo meminisse. Quod ille fecit ut gratiam aliquam Regi beneficentissimo referret ; & simul in eo Regi ipsi gratificaretur, quod vivens etiam expetive-

(*a*) P. 2. Hist. lib. 1. num. 121.

verat. Laurentius Surius in *commentario rerum gestarum* ad A. 1565. partem epistolæ ejusdem Regis affert ad Patres Societatis Romæ congregatos ad Comitia, in hæc verba. *Patres Societatis Jesu, qui nunc estis Romæ in congregatione generali, rogo vos ut petatis a Deo, ut faciat me verum filium & defensorem Ecclesiæ Romanæ, sicut confido me futurum auxilio Dei*. Ex quibus verbis pietas etiam elucet Principis invictissimi; de cujus laudibus cùm ipse Surius, tum reliqui Historici. Nos hic ut Perpiniano sua fides constet, dum bellicas ejus virtutes & Religionem commendat, eo contenti erimus quod Hector Pintus breviter de ipso habet, *Pater* (ait *part. 2. dialog. 4.*) *fuit Patriæ; fidei Jesu Christi, sanctæque Religionis Catholicæ propugnator. Potissimum vero præclaras insignesque victorias a Turcis, Mauritanis, Ethnicis & Indis orientalibus reportavit. Per strenuos duces & subditos quos delegavit, terras inauditas, regnaque incognita detexit, quò homines doctos, Sacerdotes, Religiosos, & Concionatores misit: Ecclesias, monasteria, & gymnasia construxit, ut Religionis norma servaretur, divinus cultus celebraretur, rebusque ad fidem & doctrinam Christianam spectantibus imbuerentur atque erudirentur homines; & natio barbara & irreligiosa, litteris & politia cumularetur, resque ad salutem spectantes perdisceret*. In extrema parte orationis, ut diximus, Perpinianus

explicat viam rationemque qua Societas utitur in disciplinis tradendis, postquam hoc sibi proposuisse affirmavit, ut eruditioni in litteris adjungeret informationem ad pietatem. Hac de re Surius, quem paulo ante laudavimus ad A. 1540. *Noverit candidus lector hujus praeclarae Societatis Patres conatus omnes eò intendere, ut tùm propriae in primis saluti invigilent, tùm totos se proximis Deo lucrifaciendis impendant, fidem Catholicam propugnent et propagent publicis concionibus, praelectionibus, spiritalibus exercitiis, puerorum ac rudium in Christianismo institutionibus &c.* De ratione liberorum instituendorum litteris Græcis & latinis, habes egregium omnino libellum Perpiniani *tom.* 3. *pag.* 88. quem scripsit ab amico rogatus ut gymnasii hujus Conimbricensis in juventute erudienda ordinem demonstraret; atque ipse in epistola huic opusculo prefixa, id se fecisse testatur, complexumque universam illius gymnasii institutionem. An ea quæ nunc quoque in aliis gymnasiis servatur sit omnium maxime probabilis, nihil hic attinet dicere. Omittere tamen non possumus judicium viri celeberrimi Francisci Baconi Baronis de Verulamio *l.* 1 *de augmentis Scientiarum* (*a*); *Nobilissima*, inquit, *pars priscae disciplinae revocata est aliquatenus quasi postliminio in Jesuitarum Collegiis; quorum cum intueor industriam solertiamque*

(*a*) col. 11. edit. Francof. 1695.

que tam in doctrina excolenda, quam in moribus informandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo, talis cum sis, utinam noster esses: & lib.7.(a) *Ad Pædagogicam quod attinet, brevissimum foret dictu; consule scholas Jesuitarum: nihil est enim quod in usum venit, his melius.*

VII. Altera Oratio Perpiniani exhibetur hoc titulo *Laudatio funebris Ludovici Principis, Joannis III. Lusitaniæ Regis germani fratris*; qui titulus satis declarat occasionem qua est habita; annum vero constat fuisse eumdem quo priorem dixit; cum in eum inciderit mors Ludovici. Quamquam hæc omnia statim ipse in exordio explicat; comparans causam nuper habitæ primæ orationis, atque hujus; quod nimirum ibi læta omnia, hic mæroris ac tristitiæ plena inveniantur. *Pag.* 50. aggreditur Ludovici laudes & primo de Majoribus ejus dicit; Nominat vero dumtaxat Alphonsum I., Joannem I., Henricum principem, Joannem II., Emmanuelem I. ejus patrem, Joannem III. fratrem, Henricum principem; eum nimirum qui eodem patre natus Emmanuele prid. Kal. Febr MDXII., primo fuit Archiepiscopus Bracarensis, deinde Ulysipponensis & Fborensis S. R. E. Cardinalis, ac demum Lusitaniæ Rex, obiitque prid. Kal. Octobr. MDLXXX. Alter Henricus princeps, quem nominaverat, fuit Ioannis I. filius, Dux

 de

(a) col. 183.

de Viſeu, Ordinis militum J. Chriſti Magiſter, ſcientia Aſtronomicarum rerum nobilis; de qua eum Perpinianus quoque commendat; & ceterorum ſimul laudes proponit. Primum autem facit Alphonſum, quod is primus inter Luſitaniæ reges numeretur ea dignitate ornatus a populo in campo Ouriquio ob celeberrimam illam pugnam cum Ismario aliiſque Regibus Saracenorum; antea vero Ducis titulum obtinebat, ut conſtat ex diplomate Innocentii III. apud Baronium *ad A.* 1179. Juvabit Ludovici ſtirpem omnem ab Alphonſo ob oculos habere: itaque legenti Perpinianum, eam hic repræſentamus:

Al-

Alphonſus I. Rex. I.

Sancius I. R. II.

Alphonſus II. R. III.

Sancius II. R. IV.

Alpbonſus III. R. V.

Dionyſius R. VI.

Alphonſus IV. R. VII.

Petrus I. R. VIII.

Ferrandus I. R. IX.

Joannes I. R. X.

Eduardus I. R. XI.

AlphonſusV. R.XII. *FernandusDux Viſæi*

Joannes II. R. XIII.

Emanuel I. R. XIV.

Joannes III. R.XV. *Ludovicus Princeps.*

De

De hac Lusitanorum Regum serie nulla dissensio; eamque, qualem nos posuimus, tradunt Duardus Nonius (a) Jacobus Guillelmus Imhof (b) Caramuel Lobkowitz (c) & qui præ ceteris diligentissime est in hoc pulvere exercitatus Antonius Cajetanus de Sousa (d); quorum postremus ita Joannem I. laudat ut hoc inter maxima beneficia a Deo concessa Lusitaniæ deputet, quod hunc ei Regem turbulentissimis temporibus dederit, *tom.2.pag.1.* ut mirum esse non debeat, hunc post Alphonsum nominari a Perpiniano. Fuit vero Joannes II. tanta virtute, ut *Principis Perfecti* nomen antequam regnum capesseret sortiretur; postea *Pacificus* aliisque honorificentissimis titulis appellatus; de quibus ceterisque, quæ Perpinianus memorat, laudati Auctores. His ergo Majoribus ortus Ludovicus Princeps parentes habuit Emmanuelem I. & Mariam filiam Ferdinandi Regis Castellæ & Aragoniæ, quam Emmanuel duxerat, mortua Isabella hujus sorore an. 1498. Duxit & tertiam Eleonoram Austriacam Sororem Caroli V. Imperatoris Philippi Austriaci Regis Castellæ filiam, quæ postea nupsit Francisco I. Regi Galliæ. Natus est Ludovicus V. Non. Mart. MDVI. idque a Patre obtinuerat ut Bejæ Dux diceretur: sed rebus nondum transactis Pater est mortuus.

(a) *de vera Regum Portugalliæ Genealogia*. (b) *Stemma Reg. Lusitan.* (c) *Philippus Prudens*.
(d) *Histor. Genealog.* tom. 2. & 3.

tuus. Testamento tamen eum fratri commendavit, a quo idem Ducatus est attributus; præterea Septa, Convellanum, Almada aliæque regiones. Hunc ergo Principem Perpinianus in ea oratione ita commendat, ut dicat; quæ in Majorum suorum singulis singula ornamenta magna atque divina putabantur, ea universa summa fuisse in hoc uno. Ac primo *pag.* 54. de Mathematicarum rerum scientia agit. In iis multum operæ posuisse, facultatemque adeptum ejus disciplinæ, testatur Petrus Nunez in *tractatu de sphæra* quem illi nuncupavit; item Duardus Nonius *in Emanuele I.* Alia monumenta scientiæ Ludovici profert Sousa *tom.* 3. *pag.* 361. Transit Perpinianus *pag.* 57. ad scientiam rei militaris, & oratoriè persequitur ejus res gestas in Africa. Nam cum Tunetano regno bellum intulisset Carolus V., & auxilia illi Joannes Rex submitteret, Ludovici virtus oblatam sibi occasionem elabi non patitur, turmisque se veluti privatus adjunxit. Joannes autem ubi id cognovit, consultum volens ejus dignitati, comitatum, qui eo dignus esset, misit. In ea vero expeditione prudentiam suam adeo probavit Carolo, ut in omnibus ferme rebus eo consiliario uteretur. *Pag.* 61. Perpinianus liberalitatem ejus, humanitatem, lenitatem, in discordiis componendis studium prædicat; præcipue, quod adeo se morigerum Regi præbuit. *Pag.* 65. de religione ejus agit, deinde

de de modeſtia & deſpicientia rerum humanarum. Religionis teſtimonium luculentum affert Souſa (*a*) nimirum ejus teſtamentum; quod in monumentis ad hiſtoriam ſuam Genealogicam (*b*) integrum recitat: atque eo inter cetera cavit ut captivi quingenti redimerentur, ut virginibus orphanis quadraginta dos conſtitueretur &c. Pompam omnem funebrem inhibet; ſed tantum mandat ut ſepulturæ tradatur loco proximo Patri ſuo, lapiſque ponatur his verbis. *Eſta ſepultura he do Infante D. Luiz filho ſegundo del Rey D. Manoel o Primeiro, e da Rainha D. Maria ſua mulher.* Aliud fieri placuit Joanni fratri, voluitque ſepulcrum parari, quale fratris virtus & ſua dignitas poſtulabat; cumque eodem loco humatus ſit Carolus frater, titulus hic appoſitus.

Magnus conſiliis Infans Ludovicus & armis
Hoc ſilet anguſto, morte jubente, loco.
Frater & hic Carolus, Caroli ſpes altera magni,
Ah niſi marceret flos ubi parturiit.

Laudatur hic in Ludovico Principe conſilium & militaris virtus; quas etiam inter ceteras extollit in ſuperius allata oratione Reſendius; *Nam* inquit, *videtur indignum brevi tantum oratione attingere Loiſidem animoſum Principem, Regis ipſius fratrem germanum, ſtudiis, armis, ac tot aliis nominibus rebuſque magnum, cujus unius conſilio atque animo fretus Cæſar, diſſuadentibus, imo & a cœpto deterren-*

(a) pag. 365. (b) *Prova.* num. 80. lib. 4.

terrentibus iis, qui rei militaris omnium peritissimi habebantur, & urbe potitus est & victoriam gloriosissimam reportavit. Duardus Nonius, inter Emmanuelis filios ubi recensuit hunc *Ludovicum, Ducem Pacensem, & regni Comestabilem*; addit; *Excelluit Princeps hic inter alios sui temporis, militaris disciplinæ studio maxime deditus; armorum, equitandi, venandi, & mathefeos peritus; artium etiam libero homine dignarum non expers; religione in Deum, pietate in fratres, humanitate in omnes nulli secundus*. Sed præcipue modestiam, animique demissionem; & despicientiam rerum humanarum, quam laudavit Perpinianus, effert in primis Orlandinus (*a*) de Borgia scribens: *Nec minus honorifice postea soror eum Philippi Secundi Joanna . . . & Ludovicus item Regis frater, vir suavissimis atque optimis moribus exceperunt. Cum autem ad idoneam Ludovici naturam usus Borgiæ sanctissimus accessisset, & tanti splendor exempli versaretur ob oculos, adeo ad virtutis adytum, pietatisque processit; ut cum eo de capessendo eodem vite genere, remittendoque rebus humanis nuncio plane decreverit. Verum propter infirmitatem & ætatis & valetudinis, Ignatio Borgiæque visum magis e re divina fore, si talis vir a fratris latere non discederet: sed domi suæ cum Rege conjunctus cunctis suo præluceret exemplo: biennioque post, suscepta in volunta-*

I *te*

(*a*) lib. 13. Hist. num. 47.

te perstanti mors intervenit. Sed quamquam ad Societatem se adjungere pro voto non licuit, perinde tamen vitam egit, ac si unus aliquis ex ea esset, nullo fastu, nullo regio apparatu, nullo splendore familiæ. Qui ut exiret ære alieno, ex argentea supellectili, veste, gemmisque divenditis magnam vim pecuniæ redegit. Addit etiam de ceteris ejus virtutibus: *Is castimoniæ paupertatisque vota pro sua conditione statuque, præcipue vero obedientiæ divinas erga leges atque præcepta ultro & sua sponte suscepit. Is erat in precatione frequens; & in templis pietatisque muneribus sua otia traducebat, facilis in convictu, pius in alienis sublevandis leniendisque miseriis, modestus in omni vita, denique humilitatis commendatione præcipuus: is, qui cum in Enxobregam vicum ubi degebat e sancti Rochi confessionis causa Sacerdotem accerseret, mandare puero consueverat, ne quemquam certum e Patribus nominaret sed tamquam privato unique de populo sibi unum aliquem postularet. Fundebat subinde lacrimas, & intimis sensibus sua novissima memorabat, ita se ipse compellans, & secum ipse ratiocinans: quid mihi tandem fiet? si supremo judicii die puer hic Æthiops atque mancipium cælum mihi præripiat, ipse vero detrudar ad inferos? aut certe si plus apud superos ille quam ego palmæ consequatur & gloriæ?* Hactenus Orlandinus, eas virtutes narrans quas ferme in Ludovico laudavit Perpinianus. Obiit Religio-

gioſiſſimus Princeps V. Kal. Decem. A. MDLV.

§. II.

De Oratione III. & IV.

1. *Expoſitio orationis III. quam cum aliis IV. vivens edidit Perpinianus. 2. Oratio IV. habita eodem anno quo ſuperior: ejus ſumma. 3. habere hoc ſingulare divinas litteras ut res ipſæ adhibeantur ad aliquid ſignificandum: jure eos reprehendi qui fabulas Ethnicorum ad Chriſtianæ Religionis res demonſtrandas traducunt: hujus tamen generis aliquid aliquando occurrere apud veteres PP.: plures ineſſe ſenſus litterales eidem Scripturæ loco: Sacras litteras veræ germanæque Theologiæ eſſe fundamentum. 4. De comitatu ceterarum ſcientiarum, quem PP. aſſerunt Theologo eſſe neceſſarium: deſperandam non eſſe facultatum omnium cognitionem, quæ eſt ad Theologiam neceſſaria.*

I. SUperiores orationes, additis tribus de S. Eliſabetha habuit Perpinianus cum eſſet in Luſitania. Romam advocatus, in hac urbe omnium principe ſex habuit, quarum quinque paſſus eſt exire in lucem: quæ erat *de perfecta Doctoris Chriſtiani forma*, quod univerſum argumentum concludere illa oratione non potuerat, cogitabatque aliis qua-

tuor orationibus explicare, domi continuit. Cum vero post ejus mortem ederetur Romæ, Brixiæ &c., factum est ut postremum locum ob eamdem causam obtineret. De ceteris quinque orationibus, hæc Perpinianus Mario Conrado scribit. *ep.* 11. *pag.* 72. *Me quoque ipsum cunctantem & verecundantem quodammodo, & conscientia tenuitatis meæ ab hominum luce refugientem, ut aliquid ederem impulit importunum studium eorum qui se ad nostram disciplinam contulerunt. Nam cum multa nonnulli descripsissent, eaque vulgo plena mendis circumferrentur, de sententia eorum qui nobis præsunt statui, multo esse melius correcta semel diligenter emitti, quam non modo meis, verum alienis etiam erroribus meum in angulis nomen derideri. Quamquam hoc consilium, ne mihi magis noceat, quam prodesse potest, non mediocriter reformido; cum illa corrupta, paucorum in circulis aut etiam in sinu potuerint latere, hæc edita in lucem necessario sint in multorum eruditissimorum hominum manus perventura; quorum ego limata politaque judicia homo ab ultimis barbariæ fluctibus quatuor ab hinc annos advectus, non sine causa perhorresco. Sed audendum tamen aliquid fuit, ut adolescentulorum immoderatæ fortasse, non inhonestæ tamen cupiditati satisfaceremus. Eas igitur orationes quas per hosce quatuor annos habui Romæ, foras dedi: quarum exemplum unum tibi mitto, tùm ut intelligas quanti te faciam; tum*

tum ut judicium hoc toto de meo scribendi genere tuum cognoscam. Hæc scripsit Romæ IV. Kal. Sext. MDLXV. Ea, quam commemorat, editio orationum quinque facta Romæ fuit formis Vincentii Luchini. Ibi de oratione, apud nos II. hæc dicuntur. *Prima de Rhetorica discenda quàm habuit in gymnasio Societatis Jesu cum Scholæ Rhetoricæ præpositus ad explicandos M. Tullii de Oratore libros aggrederetur Prid. Non. Nov.* MDLXI. In ea Horatii versibus ex epistola I. recitatis, ab excusatione orditur ætatis & valetudinis suæ, si minus satisfecerit nunc, quando denuo admovetur tradendæ rhetoricæ disciplinæ: addit etiam de facultate illius cui succedit; *quare non possum equidem non commoveri cum illi præsertim hodierno die succedam, cui, ne si omnia quidem essent integra, me parem esse posse considerem*. Erat is Annibal Codrettus; hunc enim in fastis nostris invenio Rhetorem anno MDLX. collegam Fulvii Carduli; qui sequenti anno cum Lainio Præposito Generali in Gallias profectus Tournonio Collegio atque Academiæ diu Rector præfuit, ut scribit Ribadeneira in Bibliotheca: de eo Orlandinus *lib. 6. n.* 17. *&* *lib.* 8. *n.* 13. Sacchinus *p.* 2. *Hist. lib. 6. &* 8. Quod autem ibidem ait Perpinianus, nunc ad antiquum se ludum revocari, postquam *ludo nostro præfecti illum jam otii & tranquillitatis præmio donandum esse censuerant*; intellige de otio & tranquillitate Conimbricensi. Nam

poſt orationem III. de S. Eliſabetha, habitam, ut diximus A. MDLIX., conticuit Perpiniani eloquentia; quo tempore, ut arbitror, vitam ſcripſit ejuſdem ſanctiſſimæ Reginæ. Etſi, ut in Vita narravimus, breve hoc tempus videri debet tantas res ſcribenti, nec omnino ab aliis occupationibus ſtudiiſque libero. Ergo ad Rhetoris munus iterum vocatus hanc primam habuit orationem non publice, ſed in privato gymnaſio, frequenti tamen Auditorum corona. Orationis tres ſunt partes 1. de tota facultate dicendi 2. de artificio rhetorico 3. de ejus artificii tradendi ac diſcendi ratione. Primo *pag.* 76. cum enitendum nobis ſit ut dignitatem hominis tueamur, duo eſſe ait, rationem, & ſermonem quibus a beſtiis diſtinguimur; illam ad Logicam, hanc ad Eloquentiam ſpectare; quare ut eam excolamus ſumma ope eſſe enitendum. *Pag.* 78. neceſſitatem Eloquentiæ repetit ex eo, quod recte & ſapienter cogitata ſine illa pereant. *Pag.* 81. excolendæ Eloquentiæ hanc quoque cauſam affert, quod ab improbis adhibita ſit ad Religionem oppugnandam. *Pag.* 86. de artificio Eloquentiæ dicit: magnos Auctores, inter naturam, imitationem, & exercitationem vix ullum præceptis relinquere locum; ipſe vero ſtatuit, etſi plus adjumenti ſit ad dicendum in illis tribus vel ſingulis vel univerſis ſine arte, quam ſine illis in præceptis omnibus; tamen perfectam Eloquentiam ſine doctrinæ ratione qua-

quadam non posse existere 1. quod tria illa sine doctrina aut nulla sunt, aut non perpolita: 2. inchoant illa Eloquentiam, hæc perficit; 3. quod qui solis adjumentis naturæ, usu & exercitatione bene dicunt, cum id fortuito faciant, efficere idem non possunt quotiescumque volunt. *Pag.* 89. tertiam partem orationis aggreditur de arte tradenda & discenda. In tradenda vult præcipue spectari debere ordinem; atque hunc ita constituit, ut Grammatica & Dialectica præcedere debeant Rhetoricam. Alia addit *pag.* 91.; ut Magister ne in alienis refutandis diutius commoretur; ne minutis ac spinosis disputationibus ingenia discipulorum attenuet; ut egregium aliquem oratorem proponat ad imitandum, & in eo quæ maxime excellant sedulo demonstret &c. *Pag.* 92. Auditorum officia proponit, ut Magistrum differentem audiant; si quid non bene intellexerint interrogent &c. Concludit orationem vehementi cohortatione ad Eloquentiæ studium.

II. Proxime post hanc orationem collocavimus aliam *de perfecta Doctoris Christiani forma*; quod nimirum maluimus ordinem sequi, quo hæ recensentur in elencho qui præmittitur orationibus ipsis, Bencii sive Tursellini, qui primi eas orationes ediderunt, ut arbitror, cura confecto. Nec vero levis est dubitatio, ita postulare temporis rationem quo est habita. Quamquam enim eam ad an-

num MDLXII. pertinere Sacchinus (a) censuit, qui scripsit; hujusce anni *solemnem studiorum repetitionem, præ cetera nobilitate, Cardinales decem, duoque Principum Oratores primo die quo Perpinianus de Christiani officio Doctoris elegantem orationem habuit, quæ item est edita, honestarunt*: & quamquam in citato orationum elencho (unde forte sua desumpsit Sacchinus) dicitur *habita Romæ coram aliquot Cardinalibus in renovatione studiorum mense Novembri anno* MDLXII.; videtur error irrepsisse in numeris, & legi debere annus hunc proxime antecedens: alioquin cur in eodem elencho præmitteretur orationi habitæ mense Septembri? Hoc etiam indicat Perpinianus, cum initio orationis, se *ab ultimis terrarum partibus non ita pridem advocatum* commemorat: & paulo post; *Ego autem*, inquit, *nescio unde in hanc urbem paulo ante missus pingue quiddam sonans atque peregrinum auribus vstris obstrepere cogor impudenter*. Utcumque sit; nam in hisce rebus subtiliores videri nolumus, de ea oratione hæc idem ipse epistola II. *pag.* 73. *De perfecta Doctoris Christiani forma, qua de re scripseram aliquando, me nescio quid meditari, dixi tum quidem aliquid, quantum licuit per auditores fastidiosissimos: verum nec speciem illam, quam animo comprehenderam, exprimere vel adumbrare potui illa semel hora; nec postea mihi licuit per*

(a) Part. 2. Histor. lib. 6. n. 7.

per occupationes multas atque graves conficere quinque orationes in quas mihi totum illud argumentum fuerat distributum. Quare mihi rem integram esse volui, si quid otii aliquando nec opinanti concedetur. Ergo in hujus orationis proemio, ubi veniam postulavit, quod paulo ante advectus in Urbem homo peregrinus dicat de perfecta Doctoris Christiani forma; quibus de causis adductus sit ad hoc argumentum pertractandum ita exponit: *Ego namque sentiens ea studia jacere maxime, quæ apud homines & natura magnanimos & summam illam sapientiam hominum generi divinitus donatam a plerisque contemni, a paucis ita negligenter tractari, ut uno die repente suffragiis imperitæ multitudinis, & sola voluntate, sine labore, Theologos evadere se posse confidant; & nihil aliud afferant nisi aut immoderatam loquacitatem, aut Sophistarum ineptias plane pueriles, decrevi &c. Pag.* 100. duo genera distinguit eorum, qui in Christiana civitate aliis adjumento esse voluerunt; I. qui id præstant non docendo, sed agendo & excellentissimarum virtutum exemplis; II. qui idem faciunt intelligendi prudentia, & dicendi facultate. Addit perfectum esse genus illud, quod utrumque complectitur: idque tribus maxime rebus contineri. 1. cognitione divinarum & humanarum rerum. 2. facultate dicendi. 3. virtutum ornatu; spondet, se his omnibus de rebus quinque diebus dicturum; propositum vero

vero esse hac oratione primum tantùm eorum complecti. Ac tria illa quidem efficere perfectum Doctorem, didicit, opinor, Perpinianus ex Clemente Alexandrino (a) qui Gnosticum suum (idest, ut Petavius, ceterique passim interpretantur, Theologum) vult primo nosse; deinde id efficere quod ratio suggesserit; ac demum posse quæ alii ignorant pro dignitate tradere. *Pag.* 104. populi Christiani Magistro ait inesse debere magnam Sapientiam; quod huic animorum nostrorum cura commissa sit: nemo autem velit rerum suarum minus intelligentem curatorem: digreditur ad Calvinianos, qui indoctos homines tamquam Ecclesiæ emendatores recipiunt. *Pag.* 106. transit ad exponenda sigillatim scientiam earum rerum quæ sunt Doctori Christiano necessariæ: harum duo veluti genera facit. 1. earum quæ sunt hujus muneris omnino propriæ. 2. quæ extrinsecus aliunde assumi debent, quòd magno ad illas sint adjumento: ad primum genus pertinet Theologia; alterum genus humanas disciplinas omnes, aliasque res non paucas comprehendit. Profitetur se nunc de Theologia dumtaxat acturum; quam laudat. I. a dignitate ob rerum excellentiam quas contemplatur. II. *pag.* 111. a fine; quem extollit a comparatione cum fine Philosophiæ: Theologiæ nostræ summam esse dicit Fidem Spem Caritatem; atque

(a) lib. 7. Strom.

que ad eas virtutes confirmandas omnia dirigi. III. *pag.* 115. ab Auctore; agitque praecipue de scriptoribus Canonicorum librorum. Comparationem instituit Paulum inter & Platonem: auctorem Canonicorum librorum esse Deum; Theologiam oppugnatam a multis semper floruisse; cum multae Philosophorum familiae aliorum disputationibus obrutae atque extinctae defecerint. IV. *pag.* 127. Theologiam laudat a ratione ipsa formaque doctrinae; quòd scilicet non verba solum sed res ipsae quae significantur aliud designent; atque hoc ait esse hujus disciplinae proprium: itaque damnat librum inscriptum *Gesta Romanorum moralizata*; in quo dicitur Pompejus designasse Christum, Caesar malum daemonem &c.; atque ita orationem concludit. Librum quem hic nominat nunquam vidi: fortasse ille est qui in elencho librorum, quorum lectio Christianis inhibetur, recensetur hoc titulo *Gesta Romanorum*.

III. Ceterum in postrema hac orationis parte bene Perpinianus duo quae secernenda sunt distinguit; quorum primum est, fingere multa tum narrando tum describendo, quae ad alia omnino significanda adhibeantur; vel etiam res quae olim acciderunt transferre ad morum disciplinam & praecepta officiorum: alterum; omnia quae gesta sunt aliquando, ad alia declaranda ita adhibere ut simul doceatur, non solum dum narrantur mysticas habere significationes, sed etiam tum cum gererentur aliud aliquid notasse:

taſſe: prius illud a Poetis præſertim ſæpe factum & factitari concedit; quod præter Macrobium, & Proclum, & S. Auguſtinum ab eo laudatos, oſtendit Porphirius in libello *de antro Nympharum*, quem Holſtenius edidit; imo præclariſſimis Italorum Poetarum hoc affingere videas eorum explicatores. Hoc vero alterum affirmat, nullius hominis eſſe ſed Dei ſolius. Itaque alias facultates uno interpretandi genere eſſe contentas; ſacram vero doctrinam quatuor inter ſe diſſimiles ac diſpares rationes accipere explanandi. Atque id omnino præclare vir doctus atque ex celebriorum Theologorum placitis. Nam S. Thomas (*a*); *cum in omnibus ſcientiis voces ſignificent, hoc habet proprium iſta ſcientia, quod ipſæ res ſignificatæ per voces etiam ſignificant aliquid*. Idem poſt S. Thomam habet Lyranus (*b*): idque fuſe defendit Nicolaus Serarius (*c*). De quatuor illis rationibus diſſimilibus explanandi ſacras litteras, nimirum Litterali, Allegorica, Tropologica, Anagogica paſſim Interpretes; ut Serarius ipſe eodem capite, Bonfrerius (*d*), Fraſſen (*e*); & Theologi, ut Vaſquez (*f*), Molina, Valentia, Faſolus, aliique S. Thomæ explanatores. Reprehendit prætereа Perpinianus qui res fictas ab antiquis ad no-

(*a*) 1. p. q. 1. art. 10. (*b*) prolog. 1. Biblior.
(*c*) Prolegom. Bibliac. cap. 21. qu. 9. (*d*) Præloq. cap. 20. (*e*) Diſquiſ. Bibl. lib. 3. cap. 4.
(*f*) in 1. p. qu. 1. diſp. 13.

noſtram Religionem traducere conantur: quod in exemplis quæ affert, de Jano Bifronti, Hecate tergemina &c. jure meritoque facit. Fatendum eſt tamen, nonnulla occurrere in Veterum monumentis his non omnino diſſimilia, quæque oſtendant inſediſſe hanc curam Chriſtianis, ut quæcumque in Ethnicorum fabulis blanda invenirentur ad alliciendos animos, atque illuſtria; ea traducerent ad Chriſtianam fidem explicandam, atque adhiberent ad res noſtras illuminandas. Boſius (*a*), Aringus (*b*), Boldettus &c. exhibent Orphei imaginem in cœmeterio Callixti inventam, quæ citharam manu tenet, eamque feræ circumſtant, quaſi cantus ſuavitate adductæ. Atqui iidem Auctores Ieſum Chriſtum hac imagine expreſſum putant. In quo non eos falli arbitror: nam ſic quoque deſcribunt nobis allegorice Dei Verbum nonnulli vetuſtiſſimi Patres. Euſebius in Panegyrico Conſtantini hæc habet ex verſione Valeſiii. *Orpheum quondam omnia beſtiarum genera cantu deliniiſſe, & inſtrumenti fidibus plectro percuſſis belluarum immanium furorem mitigaſſe, Græcorum fabulæ enarrant. . . Verum ſapientiſſimus omniſque harmoniæ peritiſſimus Dei ſermo, cum hominum animis multiplici infirmitate corruptis omne curationis genus adhiberet, ſumpto in manus inſtrumento muſico a ſua ipſius ſapientia fa-*

(*a*) Rom. ſubterran. lib. 3. cap. 23.
(*b*) lib. 3. cap. 21.

fabricato, humana scilicet natura . . . non brutis ut ille sed ratione præditis animantibus insonuit &c. Vetustior Eusebio Clemens Alexandrinus in *Admonitione ad Græcos* postquam fabulas Amphionis, Arionis, Eunomi, atque Orphei retulit; *Nos*, inquit, *superne e cælis deducamus veritatem una cum clarissima prudentia in montem Dei sanctum, & sanctum chorum Propheticum. Illa autem vel longe clarissima luce emicans undique illuminet eos qui volutantur in tenebris . . . . Ex Sion enim egreditur lex, & verbum Domini ex Hierusalem, verbum cæleste, verus germanusque agonista, qui in mundi totius theatro coronatur. Canit autem meus quidem certe Eunomus non Terprandi modum, neque modum Capitonis, sed neque Phrygium vel Lydium vel Dorium, sed novæ harmoniæ &c.* Manifeste apparet, his veluti symbolis sive allegoriis usos veteres Christianos, quò, ut captus erat Ethnicorum, illustriores facerent res nostras; neque illis quæ ipsorum fabulis ferebantur, de splendore concederent. Addas aliam causam desumptam ex arcani disciplina; de quibus causis non est hic differendi locus, & fusiori nos eas dissertatione alibi complexi sumus. Perpinianus de ratione formaque differens Theologicæ disciplinæ; præter illos quatuor sensus *pag.* 133. hoc quoque intendisse vult Deum, *cui nihil est præteritum, nihil instans; qui omnia & quæ fuerunt, & quæ futura sunt non aliter ac præ-*

sentia

ſentia contuetur; nimirum *ut uno illo & eodem genere quod in verbis propriis translatiſque conſiſtit, miram quamdam oſtentaret diſsimilitudinem & copiam, ſolaque verborum ſignificatione multas nobis & valde disjunctas ſententias explicaret*: quibus quidem verbis ſignificat plures ſenſus *litterales*, ut ajunt, eidem ſententiæ interdum ſubeſſe. Hoc pariter ille dixit auctore S. Thoma; qui id ex S. Auguſtino colligere ſe profitetur *loco all.* ſcribens; *Quia ſenſus litteralis eſt quem Auctor intendit; auctor autem ſacræ ſcripturæ Deus eſt, qui omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit; non eſt inconveniens, ut dicit Auguſtinus XII. Confeſſ. ſi etiam ſecundum litteralem ſenſum in una littera ſcripturæ plures ſunt ſenſus*. Nonnulli Theologi inter quos Vaſquez *l. l.* ſolum concedunt plures ſenſus litterales, qui per quamdam rerum analogiam ac ſimilitudinem cohæreant: ideſt; ut dicere velle videntur, ſi ita conveniant, ut quaſi unam videantur ſubire rationem; ſive ut ſint de rebus plane ſimilibus. Verum, quæ plures litterarios ſenſus admittit qui verbis iiſdem immediate ſignificentur, ea opinio a Serario & *plurium & graviorum Auctorum* eſſe dicitur: fateturque Medina, communiorem eſſe Theologorum ſententiam. Legendus cùm Serarius ipſe, & Fraſſen, & Bonfrerius, qui Vaſquez refutant, tùm alii quos ſupra indicavimus. Quæret fortaſſe quiſpiam, cur de Theologia dicere orſus Perpinianus;

ac de Auctore, sive de ratione ipsa formaque doctrinæ differens, perinde loquatur, ac si illa effatis sacrarum Litterarum tota constaret. Cui respondendum est, idem facere Theologos, ac præcipue S. Thomam; qui quæstionem primam instituens, quasi aditum universæ Theologiæ, atque in ea disputans de ipsa quam traditurus erat facultate ac disciplina, sive ut ipse appellat *Sacra Doctrina*, eodem ferme pacto loquitur; ut dubios faceret viros doctos, quemadmodum videre est in Cajetano, & Vasquez aliisque explanatoribus, quid nomine illo significaret. Sed verum hoc est; sacras Litteras esse germanæ Theologiæ fundamentum: ita ut vetent Patres quicquam inquiri aut affirmari, nisi illas veluti ducem quamdam habeamus. Itaque Auctor de Divinis nominibus (*a*) (quem locum indicat idem S. Thomas. (*b*)) *nemini committendum esse ait, uti dicat vel cogitatione tractet aliquid de supersubstantiali & arcana Deitate, præter illa, quæ divinitus nobis e sacra Scriptura declarata sunt*; quæ verba Ioannes Damascenus (*c*) quoque allegavit atque apud eumdem *in Parallelis* Antipater Bostrensis negat esse juris nostri, cum tantis de rebus verba facimus, ratiocinari, tamquam a nobis ipsis; sed ejus esse, cui talia concredita sunt a Deo, tum prædicare tum Ecclesiam sacris doctrinis scientiaque erudire. Et

(*a*) cap. 1. (*b*) 1. p. qu. 39. a. 2. ad 2.
(*c*) lib. 1. de Fid. orthod. cap. 2.

Et Avitus (a) *epist.* 2. ait esse *minimi effectus quæ tantum de nostro prolata, nullo cælestium Scripturarum adminiculo fulciuntur*. Quæ quidem non in eam partem accipienda sunt, quasi nihil ad Fidem pertineat quod expressum in Libris sacris non invenitur; aut nihil Theologico Doctori attingendum sit, præter ea quæ constat ad credendum nobis esse proposita. Sed primo; fugienda est illa, sive in negligenda Scripturarum lectione, ignavia; sive etiam in interpretando audacia & temeritas, qua fit, ut nonnullis acutuli ingenii hominibus nihil minus negotii facessat quam objecta auctoritas sacrorum Librorum: ita in quamcumque partem volunt se illam convertere posse confidunt, & quæcumque subito explicatio obvertitur menti, eam arripiunt, producunt, deosculantur; ut jam liceat existimare, in hoc Theologiæ genere minus fuisse exercitatos veteres illos Patres, qui contra Hæreticos hujusmodi loca intorqueant, quorum ictum brevibus quibusdam formulis suis Theologi nostri facile declinarent. Deinde; quæ Christiano dogmata continent, illa in docendo præcipuum locum obtineant, diligentiusque tractentur; ut de Theologico illo pulvere nc prodeant edocti Adolescentes ea quæ aut affirment aut negent, salva fides sit; at quorum rationem ex Apostolo parati

 esse

(a) tom. 2. Var. Sirmond. edit. Paris. col. 14.

eſſe debemus ad exihbendum, illa ignorent: qua in re utiliſſimam arbitror Petavii admonitionem illam ad virum Theologum (a); *ſi ſapiat, & laboris ac temporis facere compendium velit, mihi iſtud animadvertat; ut in communibus etiam & ſcholarum uſu detritis controverſiis ne ſit in inquirendo nimius; altiuſque quam neceſſe ſit mentis defigat aciem; ut propoſitæ quæſtionis oras omnes & ſinus ac receſſus peragrare cupiat; ne quid ſit cujus illi ratio non conſtet: habet enim infinita illa curioſitas tùm ingratam ac faſtidii plenam operam; tum jacturam rei omnium pretioſiſſimæ, temporis, quod utilius in rebus aliis hac impenſa dignioribus occupari potuit; tum male apud homines audit eo nomine plerumque Theologia, & in eorum ſermones ac reprehenſiones non prorſus negligendas incidit*. Jubet igitur non ſolum ut a quæſtionibus minus neceſſariis abſtineamus, ſed in iis ipſis quæ inferri vulgo ſolent in ſcholas, brevitatem ſequamur, præſertim adoleſcentibus non ſcientiam ſed ſcientiæ elementa tradentes; & malimus potius aliquid ad privatam vel ipſorum induſtriam, vel noſtram diligentiam, explanationemque reſervare, vel præterlabi omnino eorum cognitionem; quam (ut neſcio cujus argumentatiunculas refutemus) multa omittere quæ capita ſunt Chriſtianæ doctrinæ. Atque hanc brevitatem, rerumque plurimarum miram comprehenſionem omnino

(a) in Prolegom. cap. 6. n. 7.

omnino docuit exemplo suo Theologorum Magister S. Thomas; quibus virtutibus si aliam præterea addas quæ in illo fuit, perspicuitatem, videbis, absolutissimam formam exhibuisse illis temporibus Christiani Doctoris. Quamquam est ea fortasse non aliena a veritate vox magni Theologi ejusdemque Scholastici Gabrielis Vasquez (*a*); *Doctrina S. Thomæ . . . . non tantum vera est sed intellectu etiam facillima esset, nisi Cajetanus & Recentiores aliqui nimia subtilitate obscuriorem reddidissent*.

VI. Argumentum quod sibi exornandum Perpinianus assumpsit impulit nos quoque, ut de ipso genere Theologiæ quæ tradenda est a Christiano Doctore, hæc diceremus. Utinam ille, sicuti hanc partem explicavit, ceteras quoque esset persecutus, de facultate dicendi, de universo virtutum ornatu; ac præcipue partem alteram de cognitione rerum; nobisque exposuisset reliquarum disciplinarum comitatum, qui est perfecto Theologo necessarius. Nam sunt nunc quoque, quales Perpinianus descripsit, *qui sine labore Theologos evadere se posse confidant, & nihil aliud afferant nisi aut immoderatam loquacitatem, aut Sophistarum ineptias plane pueriles*. Atqui majus quiddam est Theologum esse, quod isti ne suspicari quidem possunt. Nam præter ipsam sacræ antiquitatis cognitionem ad Dogmata explicanda necessariam, nec levem aliquam;

K 2 sed

a) in 1. part. disp. 8.

ſed accuratam, ſed diligentem Conciliorum & Patrum, unde Scripturæ ſacræ interpretatio & traditionis teſtimonia petenda ſunt, lectionem; externarum ſcientiarum præſidio circumvallatum eſſe Doctorem Chriſtianum neceſſe eſt. Ac primo Dialectica, ſive appellare eam mavis ſubtiliter diſputantem Philoſophiam; de qua, eſſet necne adjungenda Theologiæ, celeberrimum extat inter Græcos duos Nicephorum Gregoram & Emmanuelem Calecam ortum diſſidium. Et Gregoræ quidem argumenta diſſolvit, & Calecæ aſſertionem confirmat eleganter ſolideque Petavius, & poſt Petavium Thomaſſinus in Prolegomenis ſuis; ut neque ea, neque Eraſmi, aut aliorum convicia potius quam rationes curare amplius debeamus. Verum ea a pleriſque non negligitur. Quod ego factum optaſſem a Perpiniano eſt, ceterarum quoque facultatum quæ minus néceſſariæ alicui videri poſſunt, in Theologicam ſcholam ſuſcepta deductio; ut non liceat ſacris doctrinis erudiri Adoleſcentem, qui civilium quoque ſive prophanarũ diſciplinarum curriculum, & quod Veteres dicebant, *circulum* non confeciſſet. Hoc a Neocæſarienſi Gregorio poſtulavit Origenes (*a*) litteris ad ipſum ſcriptis: *At ego,* inquit, *te omnibus bonæ tuæ indolis viribus incumbere velim in Chriſtianam doctrinam ut finem; ad hunc vero aſſequendum a te optarim, quaſi auxilium e Græcorum* Thi-

(*a*) tom. I. noviſs. edit. pag. 39.

Philosophia adhibori ea quæ ceu circulares disciplinæ & ceu præludia ad Christianismum esse possunt; necnon e Geometria & Astronomia quæcumque ad sacras interpretandas litteras conferent; ut, quod de Geometria, Musica, Grammatica, Rhetorica, Astronomia Philosophi prædicant tamquam Philosophiæ adjutricibus, id nos de Philosophia respectu Christianismi dicamus. Hoc in Basilio laudavit Nazianzenus oratione de ipsius viri laudibus dicta (*a*), scribens, *Quod disciplinæ genus est, in quo versatus non sit, atque ita eximie versatus, quasi in eo solo elaborasset? sic nimirum omnia complexus, ut ne unum quidem quisquam; singula rursus ita ad summum, quasi nihil aliud præterea didicisset.* Deinde (*b*) enumerat Rhetoricam, Grammaticam, Philosophiam, Astronomiam, Geometriam, Medicinam: quod item facit in Gregorio ipso & Basilio vetus auctor vitæ Gregorii. Hoc in Gnostico suo requirit Clemens Alexandrinus qui *lib. 1. Stromatum* (*c*) circulum illum doctrinarum quam *Encyclopædiam* dixere Veteres, Philosophiæ præmitti debere concedit; vult vero preterea ipsam Philosophiam ancillari Theologiæ (*d*): atque huc ille refert Abrahæ, hoc est sapientis, sterilitatem; donec Agaræ Ægyptiæ conjugis consortium nanciscatur: idemque fere habet *lib. 6.* Atque illud exemplum Abrahami Philo quoque affert unde

(*a*) orat. 20. pag. 332. t. 1. edit. Paris. 1630.
(*b*) pag. 333. (*c*) pag. 207. (*d*) pag. 656.

de, opinor, sumpsit Clemens, scribens; *non sumus idonei prolem ex virtute suscipere nisi prius congrediamur cum ejus famula . . . Grammatica Geometria, Astronomia, Rhetorica, Musica, Logica contemplatio universa significatur per Agar Saræ famulam*. Quod quidem nos similiter a Theologo nostro postulamus, non ornatus cujusdam gratia dumtaxat, aut quemadmodum nonnulli in Mathematicarum sive aliarum disciplinarum necessitate probanda ad Theologiam fecerunt; ut, si quando incidat ea de re sermo, promere ipse de suo possit, non quasi ab aliis mutuari; sed adjumentum hoc esse volumus ad ipsam Theologiam discendam. Nihil enim ita juvat ad disciplinam aliquam percipiendam, animoque demittendam, quam mentis quædam celeritas se in quamcumque partem versantis, omniaque in qualibet re cogitatione circumspicientis; & præterea acre judicium de re qualibet, sive sponte occurrat, sive proponatur ab altero, dijudicandi. Jam vero vel nulla patet ad id totum comparandum via, vel hæc una relinquitur, plurimarum cognitio disciplinarum. Etenim multiplicibus rebus iisdemque diversis contemplandis assueta mens, & rerum perceptarum varietate adjuvatur ad quamlibet de novo discendam, cum nullus veluti vultus, & forma obveniat: & multitudo illa cognitarum rerum habet, ad quam formam ex veteribus, hanc de novo occurrentem referat; ut ex jam per-

perceptis auditisque similem reperire aliquam possit. Nec vero onus impono adolescentibus nostris aut novum aut ita grave, ut pares ei ferendo esse non possint. Si enim id ab Oratore suo Tullius exegit, imo ab Architecto Vitruvius; atque hæc erat recepta apud omnes & vulgaris ratio pueros informandi; ut illud quinque sive artium sive scientiarum curriculum quod ἐγκυκλοπαιδίαν vocabant; nimirum Grammaticæ, Rhetoricæ, Geometriæ, Musicæ, Astronomiæ decurrerent; quod ex nostris Lactantius quoque significat (a); cur se sustinendo ei labori parem Theologus noster futurum diffidat, quem omnes olim pueri, omnes Romani Græcique adolescentes obibant. Nam probe animadvertendum est; omnes artes aliter ab iis tractari qui eas ad usum transferunt, atque aliter ab iis qui ipsarum artium tractatum professi nihil in vita sua sunt aliud acturi. *Magister hic Samnitium*, ajebat Tullius (b), *summa jam senectute est & quotidie commentatur; nihil enim curat aliud*: subditque aliter fecisse Q. Velocium; qui ita in ea gladiatoria arte versabatur, ut præcipuam operam foro impenderet amicisque serviret, & curaret rem familiarem; aliaque subjiciit exempla non harum modo artium tenuiorum sed maximarum ac Philosophiæ; atque ad extremum ait; *Ista discuntur facile, si & tantum sumas quantum opus sit, & habeas qui docere fide-*

(a) lib. 3. cap. 25. (b) 3. de orat. n. 23.

fideliter possit, & scias etiam ipse discere. Sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio & quæstio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. Ita fit ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur; memoria studiumque permaneat. Eadem est doctrina Vitruvii,qui in potestatem ait vix cadere, ut in tantis rerum varietatibus elegantias singulares consequi quisquam possit; satisque abunde videri eum fecisse qui ex singulis doctrinis partes & rationes earum mediocriter habuerit notas: denique idem ex Recẽtioribus docet Gerardus Joannes Vossius (*a*); contrarium vero relinquendum existimat,quibus *felicius ingenium, & otium abunde, & Doctorum affatim*. Quin idem habet Noster *orat.* VIII. *pag.* 225. Sed rursus longius avecta est oratio quæ concludenda est Nazianzeni (*b*) admonitione illa. *Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda est, quod ita quibusdam videatur: quin potius stulti atque imperiti habendi*

(*a*) lib. 2. de not. art. cap. 2. §. 16. (*a*) orat. 20. pag. 324. ὐκοῦν ἀτιμαστέον τὴν παίδευσιν, ὅτι τοῦτο δοκεῖ τισιν, ἀλλὰ σκαιοὺς καὶ ἀπαιδεύτους ὑποληπτέον τοὺς οὕτως ἔχοντας, οἳ βούλοιντ᾽ ἂν ἅπαντας εἶναι καθ᾽ ἑαυτοὺς, ἵν᾽ ἐν τῷ κοινῷ τὸ κατ᾽ αὐτοὺς κρύπτηται, καὶ τοὺς τῆς ἀπαιδευσίας ἐλέγχους διαδιδράσκωσιν.

bendi sunt qui hoc existimant; qui omnes sui similes esse cupiant, ut privata eorum inscitia sub comuni deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat & coarguat.

§. III.

De oratione V. VII. & VIII.

1. *Occasio habendæ orationis V.; cum nempe Romanum Collegium inviserent Carolus Borromæus, & Franciscus Vargas.* 2. *Collegiorum Societatis institutio.* 3. *Initia Collegii Romani ad Capitolii radices, & primæ litterariæ exercitationes.* 4. *Ejus angustiæ ex privatis fortunis & publicis calamitatibus: ædium mutatio: in litterariis exercitationibus constantia: disciplinarum Professores aucti.* 5. *nova migratio in locum quem nunc obtinemus. Pii IV. & Ferdinandi Imp. necnon Philippi II. Hispaniarum Regis in idem Collegium amor & beneficentia. Perpinianus Magistris accensetur. A viris prinpibus, doctisque hominibus Collegium cupide visitur.* 6. *Auctus Magistrorum numerus: piæ Sodalitates institutæ. Sallustium suum Aldus Manutius nuncupat Collegio Romano.* 7. *Pius IV. Collegium invisit. Apparatus ad eum excipiendum, quo disciplinæ indicabantur ibi adolescentibus traditæ; eædem quæ olim adhibitæ ad puerilem institu-*

tionem. Oratio VII. Perpiniani. 8. Perpiniani in Collegium Romanum amor. 9. Oratio VIII. in maximis Perpiniani occupationibus; præsertim ob publicam præmiorum distributionem: ejusdem ratio & leges a Perpiniano scriptæ. 10. De fine Eloquentiæ qui est persuasio: ex Platone duo persuasionis genera: alterum, quod a populari genere dicendi & probandi ortum opinionem parit, proprium Eloquentiæ: inepta nonnullorum eloquentia: Eloquentiæ Augustini fructus. 11. Eloquentiæ multiplex usus; atque inter ceteros in disputatione cum Hæreticis.

I. SEquitur Oratio, ut in præfixo olim indice legitur, *ad Carolum Borromæum Cardinalem amplissimum & Franciscum Vargam Regis Philippi Legatum, quam dixit Romæ in schola Rhetoricæ, cum secundum de oratore librum explanaret; illi vero gymnasium Societatis Jesu benevolentiæ & humanitatis ergo viserent mense Septembri MDLXII.* Rem ita narrat Sacchinus (a): *Multi, ut sæpe alias, Procerum benigne Collegium invisere; præque ceteris eximium par Franciscus Varga Philippi Regis Orator, utraque parte Sapientiæ & intelligendi & agendi clarus, & Carolus Borromæus ille vir singularis, jam & Apostolico judicio sanctus, & communi Christianarum gentium quasi suffragia publicus terrarum Patronus, ultro*

(a) P. 2. Hist. lib. 6. num. 6.

tro in clientelam universis & singulis cum pietatis tam mirabili incremento currentibus. Pariter ambos sua primum in Classe Petrus Perpinianus oratione quæ extat excepit: tum intra Collegii septa ipsi multa carminum vi constructi parietes, vario & numerorum & idiomatum genere, salutarunt. Nulla res tamen perinde quam nationum varietas humanissimos Principes delectavit. Cum enim Socios sibi omnes turmatim in suas quosque nationes discretos sisti jussissent; septemdecim linguarum diversarum gentibus in conspectum datis, intra pusillam domum, mundi quasi compendium (cum quidem vicissim natalium discordia & concordia animorum gratiam augerent) pari cum voluptate & admiratione viderunt. Atque hic locus omnino postulat, ut de Collegio ipso Romano, quis ejus esset status & quæ conditio, cum illud nobiles hi viri adierunt atque hanc Perpinianus habuit orationem, dicamus: quod plane perspici non potest, neque ea intelligi quæ de eo sæpe Perpinianus memorat, nisi paulo altius sermonem ordiamur.

II. Sanctissimi ejusdemque prudentissimi viri Ignatii Lojolæ institutis (a) duo sunt domiciliorum genera in quibus Socii degunt: atque unum quidem præcipuum, in quo formati perfectique, veluti exercitati milites,

(a) Julii III. literæ Apostolicæ *Exposuit &c.*, Orlandinus P. 1. Hist. lib. 6. n. 63.

in acie & ſub pellibus habitant; alterum eſt formandis ejus diſciplinæ alumnis deſtinatum, primo quidem ad pietatem per biennium poſtquam familiæ nomen dederunt, deinde in litteris. Quorum domiciliorum magna diverſitas eſt, eaque præcipua; quod, qui ſine diſciplinis impoſito, priora illa incolentes proximorum utilitatibus toti ſerviunt, hi liberali hominum miſericordia nullis certis annuiſque reditibus & proventibus ſuſtentantur. Nullas enim non modo privatas, ſed ne communes quidem fortunas ſtabiles fundataſque vel habent vel habere domus illæ poſſunt, ac ne Collegiorum quidem juvari ſubſidiis. At ne iis qui in Collegiis vivunt variaque litterarum eruditione excoluntur, accuratæ diſciplinæ aliquid moræ inferat quotidiana mendicitas paſtûs, ea annuis fructibus ac proventibus gaudere poſſunt. Atque initio quidem nulla erant Collegia, ita uti nunc ſunt, conſtituta, quaſi diſciplinarum officinæ quædam ubi noſtri externique quicumque vellent in litteris informarentur; ſed publicæ Academiæ gymnaſiaque celebrabantur a noſtris; domi autem dumtaxat erant litterarum exercitationes, quò & inhærerent audita tenacius, & poſtea publicis in gymnaſiis ſpecimen præberetur illuſtrius cùm celeris & præſtantis *ingenii*, tum exquiſitæ & ſingularis induſtriæ. Factum primo eſt eodem anno, quo Pontificis Romani decreto Societas eſt confirmata a Vir-

Virginis partu MDXL., ut (a) cum adolescentes non pauci ejusdem vitæ cupidi ad Ignatium se adjunxissent, præclara illi quidem indole, ceterum, litteris non satis expoliti, Lutetiam Parisiorum studiorum causa mitterentur, vel quod illa, uti antiquissima erat, ita amplissima omnium Academiarum habebatur, vel quod, cum ibi Ignatius ceterique antiqui ejus comites scientiarum se supellectili instruxissent, spes erat, quales primi fuissent, tales quoque ceteros inde prodituros: quod tunc evenit; & Societas quæcumque litteris postea assecuta est, vel docendo erudiendoque homines ipsa valuit, totum id clarissimæ Academiæ, quæ nunc quoque artium scientiarumque parens atque altrix habetur, refert acceptum. Cum vero vel in aliena illi Collegia admitterentur, vel per conducta domicilia errarent, ferme biennio post (b), certam sedem nacti sunt Conimbricæ in Lusitania Ioannis III. Regis beneficentia, & Patavii in Italia in Aloysii Lipomani Episcopi ædibus, quibus non tam habenda gratia quod Sodales domicilio juverint, quam quod viri ipsi laudati judicio suo Societatem probarint: in quo quidem lætandum nobis jure esse video, quod hoc maxime tempore, quo apud nonnullos homines, opinione nostra (ut eis multum largiamur) non indoctos, sua ve-

(a) Orlandinus P. 1. Hist. lib. 2. n. 96. (b) Idem lib. 3. n. 83. (c) Ibid. n. 57. & lib. 4. n. 16.

ro valde ſapientes, ſtudia Societatis traducuntur; utrobique habeamus qui ſummorum illorum virorum exempla ſequantur, beneficiiſque ampliſſimis, & honorificentiſſimis decretis Societatem ornent; in Luſitania quidem Ioannes V. Rex Fideliſſimus; Patavii, ejus urbis Epiſcopus Em. Cardinalis Rezzonico; cui multum eſt quod ipſe privatim debeam; primoſque jampridem Scholæ meæ fructus dedicavi. Poſtea Societate creſcente, (a) cum & privatis aſſiduiſque exercitationibus, & ingeniorum, quæ plurimo cum delectu admittebantur, celeritate, complures in diſciplinis quotidie præſtantes evaderent, ut jam tradere aliis & communicare cum ſuis quæ ipſi ab exteris accepiſſent pari propemodum cum laude poſſent; accederentque ſubinde inſigni doctrina viri omnique eruditione perfecti, qui ſuam continuo poſſent in erudienda juventute operam Societati navare, viſum eſt ejus etiam modi Collegia inſtituere, in quibus & domeſtici præceptores traderent diſciplinas, & eas cum externis quoque communicarent. Res cœpta primum anno MDXLVI. in Hiſpania, Gandiæ; ubi Ducis benignitas (Franciſci nimirum Borgia, qui poſtea Societatem ingreſſus eam Generalis Præpoſitus III. rexit, nuncque Sanctorum honoribus rite colitur) inchoatum ſuperiori anno Collegium

(a) Id. lib. 6. n. 63.

gium sumptibus, auctoritate, exemplo juvabat atque amplificabat.

III. Cum vero idem A. MDL. qui annus Jobelaei sanctitate & magna peregrinorum frequentia fuit Urbi celeberrimus, Romam advenisset, videretque nullum in Urbe principe orbis terrarum constitutum Collegium Societatem habere, de eo fundando (quod Ignatius (a) multis nominibus vehementer optabat) suisque instruendo reditibus, cogitare solicite studioseque cœpit. Atque ut statim fundando initium aliquod daret, sex circiter aureorum millia numeravit, & Iulio III., qui erat Pontifex maximus, auctor fuit, ut certos ei proventus aliquos reditusque attribueret. His pecuniarum a Duce relictis subsidiis, insequenti anno (b) XII. Kal. Martii primordia ducta sunt Romani Collegii conductis aedibus perangustis ad Capitolii radices; ad quas e Professorum domo, primo juvenes numero tredecim studiorum nomine, & qui eis praeesset Ioannes Pelletarius natione Gallus commigrarunt: artes vero tradebantur dumtaxat eae, quibus vel puerilis aetas informari ad Humanitatem solet, vel Hebraici Graecique sermonis eruditio continetur. Verum cum numerus augeretur & domesticorum, & externorum discipulorum, necesse fuit conducere laxiorem domum; cœptumque habitari quà nunc e Professorum domo (de Iesu nomine

(a) Id. lib. 10. n. 45. Id. lib. 11. n. 4.

vulgo nuncupatur) flectitur ad Minervæ. Ea domus erat tunc Capocciæ gentis, postea familiæ Frangipanæ, nomenque retinet apud nonnullos; licet Monachi Congregationis S. Silvestri jam ab anno MDCXXXI. de Laura Frangipana coemerint suamque effecerint. Laborabatur tunc vehementer cùm rei familiaris angustiis, tum externorum Magistrorum petulantia, qui cum cœptum docendi institutum, idque gratis, suis adversari vel emolumentis vel existimationi etiam crederent, nostris valde erant molesti, non obtrectandi solum licentia, sed hostili quodam incursionis genere; cum interdum suis effusi palæstris catervatim currerent ad ludum nostrum cum lasciviente discipulorum juventa, foresque ejus quatere, convulnerare fenestras, docentibus oblatrare, mediasque in exedras petulanter irrumpere non dubitarent. Pervicit tamen vel audaciam hominum vel invidiam, Sociorum patientia atque animi magnitudo; necnon probata in vulgus docendi ratio, eruditioque perspecta: cujus specimen luculentum dederunt, publice habitis coram amplissimis Patribus & magno Præsulum numero nonnullis orationibus, disputationibusque institutis V. Kal. Novembr. anni MDLII. in sancti Eustachii æde: ut in commentariis rerum hujus Collegii adscriptum reperi (a). Quamobrem cum majores, nostras ad scholas concursus

(a) Commentar. ms. P. Thomæ Silotti ad h. a.

ſus fierent, anno inſequenti (*a*) ad trium linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ diſciplinam, facta eſt acceſſio geminæ Theologiæ; tum ejus quæ tota in differendo conteritur, Martino Olavio doctore; tum ejus quæ ſacrorum explanatione Codicum continetur, interprete Andrea Fruſio. Præpoſitus eſt etiam qui ſacris feriis interioris fori quæſtiones cauſaſque tractaret; Philoſophiæque partes ſingulæ ſingulis a Magiſtris unà cum Mathematicorum diſciplina eodem tempore tradi cœptæ: quibus doctoribus ac diſciplinis dabant operam pro ſuo quiſque gradu atque proceſſu e domeſtica juventute ferme ſexaginta. Ut vero ab his Doctoribus quam ſplendidiſſima dicendi primordia fierent, viſum eſt ea capi publico ab ingenii doctrinæque certamine, nobiliſſima ſpectante corona purpuratorum Patrum graviumque virorum, nón ſine vario ac ſpecioſo Rhetorum apparatu & proluſionibus oratoriis. Rem eventumque narrat Orlandinus (*b*) (etſi cetera quoque ex eodem ferme auctore deſumpſimus, atque ejus plerumque verbis uſi ſumus vel ut fidem faceremus, vel quod meliora non inveniremus): *In arenam ac certamen Theologicæ diſciplinæ deſcendit unus Martinus Olavius Collegii Romani (ut tunc appellabatur) Superintendens, præſtanſque Theologus, nullo adhibito de more præſide vel patrono, ipſe ſibi præſes, ipſe patronus. Cum Philoſo-*

(*a*) Orland. l. 13. n. 2. (*b*) l. l. n. 4.

losophis decreta pugna Theodorico Ammenstar-damiensi, præside Balthasare Turriano: cum Rhetoricis Benedicto Pereriæ, Fulvio Cardulo duce. Cuncta prorsus ex dignitate, & celebritati par plausus. Idemque Orlandinus rursus institutas disputationes libellosque prælo A. MDLIV. tunc primum vulgatos, quibus propositiones in prælectionibus assertas ad contradicendum exponebantur, cum Romani Collegii incrementis ita refert: (a) *Romanum Collegium ut discipulorum Sociorumque numero, sic opinione & fama doctrinæ, plurimis parta documentis experimentisque florebat. Edita sunt concertationum spectacula in templo domus Professæ, vulgatis tum primum prælo thesibus de disciplinis omnibus quas tradi a Societate per ejus instituta licet; factaque omnibus congrediendi potestas, & quotquot pugnandi amor accenderat ad certamen admissi; quorum ea frequentia fuit, ut cum totis octo diebus continenter literaria illa concertatio tenuerit, nullus tamen unquam vel domesticis ad id instructis atque paratis, vel alumnis Germanici Collegii locus ad impugnandas propositas theses relinqueretur.* Equidem lætatus sum hujusmodi libellis aliquot (nam in libelli formam, propositionum expositio illa compacta est) inventis; quorum unus hanc habet inscriptionem pagina prima; *Theologicæ assertiones collectæ ex lectionibus, quæ hoc anno in Collegio Societatis*

(a) lib. 14. n. 1.

tatis Jesu & in veteri & in novo Testamento; in Magistro item Sententiarum & D. Thoma Romæ habitæ sunt, quæ nunc proponuntur, ut publicis disputationibus ante novorum studiorum instaurationem excutiantur. Etsi annus adscriptus non est, facile est reperire ex eo quod in eodem pagina subjicitur. *Disputationes inchoabuntur in Collegio Societatis Jesu die Dominico, qui dies XXI. erit mensis Octobris, post orationem, quam Professor Rhetorices hora* XIX. *in eodem Collegio habebit, Præside Doctore P. Martino Olavio Professore Theologiæ ejusdem Societatis.* Aperte indicatur annus MDLIV. ex iis quibus Olavius Collegio Romano præfuit. Idem annus expresse habetur in aliis libellis hujusmodi; quorum hi sunt tituli; *Assertiones Theologicæ de Baptismo & Confirmatione propositæ Romæ cum multis aliis Theologicis Conclusionibus in publicam disputationem anno Domini 1554. mense Octobris in Collegio Societatis Jesu. Assertiones Theologicæ de Sanctissima Eucharistia propositæ Romæ cum multis aliis Theologicis conclusionibus in publicam disputationem anno Domini 1554. mense Octobris in Collegio Societatis Jesu.* Videre est cùm propositiones ipsas plenas frugis bonæ, & a tricis ineptiisque longe remotas; tum loquendi modum ipsum, Theologum redolere in verbis accuratum, perspicuum in sententiis, quique omnino vult intelligi id quod dicit. Similes libellos consequentibus

an

annis editos reperimus: ex quibus libellis illud etiam perspici potest certiori, methodo Theologiam tradi cœptam, ordinemque servatum summæ Theologicæ S. Thomæ. Nam ita eorum unus inscribitur. *De Theologiæ necessitate & commodo, ac de iis, quæ de Dei essentia & ejus actionibus a D. Thoma in primis quæstionibus primæ partis tradita sunt Theologicæ assertiones defendendæ per unum ex Auditoribus Theologis Societatis Jesu in disputationibus, quæ ante instaurationem studiorum hoc anno* MDLV. *Romæ in templo Societatis habebuntur: præsidibus doctoribus qui Theologiam in Collegio ejusdem Societatis profitentur*. Eodem anno ad disputandum propositas propositiones aliquas ex prælectionibus quæ tradebantur ab Interprete sacrorum Librorum ostendit titulus alterius libelli. *Assertiones Theologicæ collectæ ex verbis Esaiæ Prophetæ una cum explanationibus nonnullorum difficilium locorum ipsius Prophetæ: quas defendet unus ex auditoribus Theologis Societatis Jesu in disputationibus, quæ ante instaurationem studiorum hoc anno 1555. Romæ habebuntur, præsidibus qui Theologiam in Collegio ejusdem Societatis profitentur*. Atque eadem ferme ratione consequentibus annis similes libellos editos, similesque institutas disputationes constat; nisi quod scholæ auctæ videntur, & litterariarum exercitationum numerus. Nam A. MDLVI. præter assertiones in Jacobi & Judæ epistolas,

quæ

quæ dicuntur *defendendæ ab uno ex Theologicis auditoribus Collegii ejusdem Societatis*, assertiones alias alius libellus exhibet *de Ecclesia, & Conciliis*, defendendas ab uno ex *Theologicis Auditoribus Collegii Germanici*: quos equidem puto non ad eumdem Theologicæ Doctorem, qui in ea facultate tradenda ordinem Summæ S. Thomæ sequebatur, pertinere, sed ad alium Professorem ejus Theologiæ quæ nunc Polemica solet appellari. Ex hisce libellis illud etiam liquet typographicam quam dicunt officinam in Collegium inductam. Nam in calce primæ paginæ adnotatum est *Romæ in ædibus Societalis Jesu* MDLVI.

IV. Interea Sociorum qui in eo Collegio degebant numerus adeo auctus erat, ut anno superiore MDLV. (*a*) jam centum & quinquaginta numerarentur, imo ad ducentos pervenirent; nec pro numero, proventuum quoque ratio creverat. Etenim ad aureos MD. quos Julius III. ingenti beneficio, ipso Jobelæi anno, postulante Francisco Borgia, Collegio in annos singulos assignaverat, (*b*) nihil hactenus additum fuerat; & successor Julii Paulus, qui ad Collegium sublevandum animum adjecerat, bello repente exorto inter eum & Catholicum Regem impeditus, nihil perfecerat, nec postea rebus compositis revocaverat eam cogitationem. Itaque Ignatius anno

(*a*) Orland. l. 15. n. 5.

(*b*) Id. l. 10. n. 34. lib. 5. num. 6.

anno MDLVI. (a) ad Borgiam ipſum Hieronymum Natalem dimiſit, ut cum eo agens, aliquid in Romani Collegii ſubſidium, ac ſi fieri poſſet perpetuum expediret: in qua demandata ſibi procuratione Natalis, pia Borgiæ & Antonii Cordubæ liberalitate, tantum confecit, quantum tunc paulo laxandis rei domeſticæ anguſtiis ſatis fuit. Sed hoc incommodo Collegium utcumque recreatus longe maximum accepit eodem anno, Ignatii ſanctiſſimi parentis morte; cui aliud acceſſit a belli tumultu, qui Romam maxime anxiam ſolicitamque habuit; præſertim menſe Octobri cum Urbis oppugnatio timeretur. Quo quidem tempore publico Romanorum conſilio & voluntate Pontificis cùm ceteris Sacerdotibus, tum ordinum Religioſorum hominibus ad opera facienda vocatis, noſtri quoque accurrerunt ad ſexaginta. Memoriæ proditum eſt (b), cum terni irent, Alfonſum Salmeronem ſcriptorem egregium, ſacrorumque librorum eximium interpretem, in primo ordine medium veluti agminis ductorem commeaſſe, ingemiſcentibus e vulgo multis, & ad quamdam quaſi ſupremi judicii inſtantis ſpeciem cohorreſcentibus. Mirum profecto fuit, inter bellicas operas armorumque ſtrepitum, litteras nequaquam noſtras conticuiſſe. Nam tribus continenter diebus ante Kalendas Novembris diſputationes primum Theologicæ, dein Philoſo-

(a) Id. lib. 6. n. 38. (b) Sacchinus P. 2. Hiſt. l. 1. n. 37.

losophicæ; postremo tres orationes tribus principibus linguis Latina, Græca, Hebræa, interpositis eadem idiomatum varietate carminibus, habitæ. Disputationes, ut celebriores redderentur, ipse præsens Romanæ Academiæ Rector per seque & suum apparitorem est moderatus. Accessit illud quoque, quod maxime illustrandis rebus nostris valuit, ut has litterarias exercitationes præ ceteris magnis viris cohonestaret cum præclara suorum corona Stephanus Ususmaris Dominicanæ familiæ Generalis Magister; *cujus erga nos paternus animus cernebatur*, ait Historicus noster (*a*); id scilicet censens, veluti rem ad beneficium memoriamque insignem prodendam litteris: quam quidem ipsam, una cum singulari in Societatem nostram amore, renovatam ab eo qui eidem sanctissimæ doctissimæque familiæ præest, nos ipsi superiore anno vidimus. Anno MDLVII. commutata Romani Collegii sedes, migratumque ad longe commodiorem domum Ioannis Baptistæ Salviati in foro quod Ulmi dicebatur; eratque opposita Collegii qnod nunc extat faciei, qua flectitur ad latam viam. Nam ædes illæ magnificentius postea a Cardinali Antonio Maria Salviato instauratæ, ad forum laxandum, penitus sublatæ. Ampliori in domo litteraria res est etiam a Natali Collegii Præside diligentius constituta. Ioannes Polanchus *vir*,

(*a*) Sacchinus lib. 1. n. 39.

(*b*) Id. lib. 1. n. 91.

vir, ut eum appellat Gulielmus Eysengrem(*a*), *doctrina & eloquentia clarus, orator facundus, Philosophus gravis, sacrarumque litterarum scientia nemini secundus*, Evangelium sancti Ioannis explicare orsus; Emmanuel Sa & Jacobus Ledesma, ambo editis operibus nobiles, Theologicam summam S. Thomæ; alter quidem primam secundæ, alter secundam secundæ; & Emmanuel præterea e sacris libris vaticinia Oseæ. Singuli Magistrorum præfationibus prælusere binis; orationibus præterea, & eleganti dramate studiorum initia honestata: disputationes ad id tempus, quo Generalis nostrorum conventus ad Præpositum creandum indictus habebatur, reservatæ. Quod accidit Iulio mense consequentis anni. Res vero, qua ratione peracta, præstat ex Sacchino audire(*b*): *Ad ceteram gratulationem qua Præpositi creatio celebrata est, pro ludis inanibus, salubria ingenii atque doctrinæ spectacula præbita. Locum his, quoniam Societas satis idoneum non habebat, ipse Pontifex destinavit abunde capacem, & pro tempestate frigidam ædem, quam ab figura vulgus Rotundam, Ethnici quod cunctis dicarant Diis, Pantheon nuncupabant. Initium factum postridie Comitiorum, postquam Fulvius Cardulus (orator is bonus erat) eleganti oratione præluserat, Lamberto Avero & Benedicto Pereria, doctis ingeniosisque juvenibus de rebus Theologicis positiones tuentibus.*

(*a*) *Catalog. test. verit.* ad A. 1560. (*b*) P. 2. lib. 2. n. 35.

bus. Praeerant Emmanuel Sa, & Jacobus Ledesma. Generalis, ac reliqui Patres, Praesulum ingens corona, Cardinales octo cohonestabant. Continuatae disputationes in diem octavum, cum diebus singulis multa pro templi foribus carmina proponerentur, quae cupide spectabantur & describebantur a multis. Coetum quotidie puer e Collegii scholas adeuntibus ingenioso quopiam ac venusto dimittens carmine, in diem proximum invitabat. Orationum ingens parata vis erat: tamen cum animadversum esset, non perinde iis, ut disputantium certaminibus, coronam teneri, magnam partem omissae sunt: tamen postremo die Latine, Graece, Hebraice declamatum; datoque dramate, quod plausum maximum tulit, cuncta celebritas clausa. Magna per eos dies Societati accessio facta est ad famam doctrinae atque virtutis; disputantium pariter ac disputationes regentium, quasi in theatro, spectata cùm excellenti scientia, tum modestia singulari. Hæc Sacchinus, qui quidem in disputationum loco demonstrando nunc & superioribus annis an erret, an mutatio aliqua accesserit, & cum alius designaretur, in alio postea res sit peracta, nec scio, nec multum interesse puto. Equidem video ex libellulis nostris unum ita inscriptum: *Assertiones Theologicae disputandae in templo Societatis Jesu, tempore electionis Praepositi Generalis, respondente uno ex ejusdem Societatis Theologis & praeside Theologiae quo-*

dam professore . Romæ in ædibus Societatis Jesu anno 1558. Apud eumdem Sacchinum, (*a*) leges, quis Collegii status esset insequenti anno; cumque summus Pontifex Paulus IV decessisset, quam multis precationibus, piisque operibus instarent apud Deum ut Ecclesiæ Pastorem, Societati parentem optimum daret. Quod quidem contigit evecto ad Petri Cathedram Pio ejus nominis pariter IV. Quem cum Lainius adiisset (*b*), & quam in angusto Collegii res esset inter cetera exposuisset, quæque, si sublevaretur, proventura in universam Ecclesiam commoda sperari possent; Pontifex quatuor e præcipuis Cardinalibus Ioanni Morono, Iacobo Sabello, Alexandro Farnesio, & Hippolyto Estensi negotium dedit circumspiciendi unde subveniri Collegio posset. Hæc a Pio Pontifice Cardinalibus demandata consultatio non præsenti modo difficultati remedium aliquod attulit, sed in posterum certam stabilemque Collegio sedem, eamque opportunissimam dedit. Quod ita gestum est.

V. Camillus Ursinus Marchio Guardiæ vita decedens testamento mandarat (*c*), ut ex aureis nummis XVII. millibus quos Iulius a Ruvere sibi debebat, sacellum ædificaretur in Laterano, altari proximum Christi servatoris *ad Sancta Sanctorum* quod nuncupatur, ad-

(*a*) lib. 3. n. 26. n. 33. 34. (*b*) Idem l. 4. n. 2.
(*c*) Commentar. ms. P. Thomæ Silotti.

adjectis ejus curæ Sacerdotibus decem. Hujus uxor Victoria Tolfia Marchio Vallis, cum esset Pauli IV. neptis, impetravit a Pontifice, utin alium pium usum eam pecuniam transferret, & Virginum monasterium fundaret. Iamque res eo processerat, ut paratis in hoc opus ædibus qnas ipsa habitabat, & a Paulo impetratis quas ipse Cardinalis incoluerat, ejusdem auctoritate vicinis coemptis, templi quoque jactis fundamentis; satis amplum spatium undique ab domicilis vicinorum interjecta via sejunctum comprehenderit insula, & Virgines aliquot e variis monasteriis familiæ capita futuras evocarit. Sed mortuo Paulo Virgines illæ omnes, sive quod magno præsidio orbatæ opus diffiderent processurum, sive alia de causa, ad sua quæque cœnobia digressæ vacuam illam sedem reliquerant. Ea Cardinali Morono aliisque visa est, cùm spatii amplitudine, tum frequentia & salubritate loci opportuna Collegio constituendo. Quare ab eodem Morono admonitus Pius Pontifex rem suscipit; ac primò (a) ad Marchionem ipsam semel atque iterum sui Præfectum cubiculi atque Datarium allegavit, suo nomine rogatum, ut quod destinarat opus in hoc alterum, quod sibi haud ambigue videatur in ampliorem Divinæ Majestatis cessurum laudem, placeat commutare. Deinde, ea consentiente, quicquid publicarum tabularum ad

M 2 legi-

(a) Sacchin. l. 4. n. 5.

legitimam rei transactionem conficiendum fuit, gratuito ut fieret imperavit; & Cardinali Sabello admonente, ut quibus tectum dederat, iis ad alimenta aliquid largiretur; præter quasdam immunitates, quoniam nihil ad rem aliunde se offerebat, sexcenos in singulos annos e suo ærario nummos aureos assignavit. Paternam hanc Pii in nos indulgentiam deberi etiam arbitror Ferdinandi I. Augusti studio quo nos apud Pontificem laudavit commendavitque. Datæ sunt ea de re litteræ Prid. Non. Martii hujus anni; atque inter cetera hæc ibi leguntur: *Etsi autem cupiamus S. V. universam illam Societatem & Collegia eorum, quæ passim in multis regnis & provinciis erecta sunt, commendata esse; fecerit tamen Sanctitas vestra rem liberalitate atque benignitate sua & sanctæ illius sedis diginissimam, si in primis Collegium Romanum dictæ Societatis, gratia & liberalitate sua prosequendum, ampliandum, ac fundandum susceperit. Ex eo namque non solum ad regna & dominia nostra, sed per totam Italiam, Galliam, Belgium, aliaque Regna Christianitatis, & ut accepimus ad Indos usque permulti proximis annis missi sunt viri spectatæ vitæ, atque doctrinæ, & nunc quoque plurimi quotannis in varias mundi partes propagandæ veritatis, Fidei, pietatisque antiquæ Christianæ causa, dispergi dicuntur: quod Collegium nos quidem a pluribus huc usque annis honesta pecuniæ summa annuatim recreavimus,*

mus, eamque haud gravatim etiam conduplicaremus; cum intelligamus id alioquin personarum numero & exercitiis cùm litterariis, tùm pietatis amplissimum, maximis huc usque laboribus & summa difficultate, pecunia hinc inde conquisita, hactenus sustentatum fuisse & etiamnum sustentari; nisi dubitaremus nos in suspicionem venturos quod falcem quodammodo in alienam messem mittamus, quoniam ejus Collegii fundatio ad pietatem S. V. spectare videtur &c. Circiter XII. Kal. Junias (*a*) anni hujus MDLX., rebus ut necesse erat in novo Collegio compositis instructisque, scholæ haberi cœptæ. Quod vero annus processerat, &, ut fit, novæ domus incolæ neque amplius inquilini, conversis studiis ad res omnes domesticas ceterasque ordinandas, satis essent occupati; nullas tum publicas litterarias exercitationes functionesque exhibuerunt, easque ad studiorum renovationem mense Novembri rejecerunt. Id solum invenio factum, illis præsertim temporibus, ad venerationem conciliãdã sanctissimæ Eucharistiæ, quod maximum a Deo nobis impertitum beneficium obscurare impietas barbara nitebatur, perutile; ut cum per aream quæ pro foribus Collegii erat deferri deberet (nam erat octavus dies ab eo die quo tanti beneficii memoria recoli quotannis solet, publicæque supplicationes hujusmodi per urbem institui), ita Collegii faciem exorna-

(*a*) Id. n. 26.

narunt, uti hunc maxime litteris destinatum locum decere videretur: nimirum ingenti numero carminum & linguarum multiplici varietate, & metri; ut cuique genti ratio numerorum est. Ara præterea eleganter extructa; in qua dum ritu consueto parumper divina Hostia deponitur, eam pueri duo, quo cultu mos est Angelos pingi, decenter ornati, facto ad id ingeniose brevi carmine, pie venusteque salutarunt. Probatum hunc apparatum tunc Romæ illis moribus (*a*) Historicus noster testatur; narratque a prima luce fuisse aream legentibus & scribentibus refertam: & illud in urbe omnium nationum frequentia nobili jucundum fuisse, quod quisque suæ gentis ibi poësim inveniens, vernaculam suavitatem in aliena patria solique natalis sui dulcedinem regustabat. Postquam autumnalibus feriis gymnasium siluerat, cum repetenda litterarum studia fuerunt, factum id est ingenti celebritate. Triduo de rebus divinis, quatriduo de naturalibus acriter disputatum est; octavo die Latine, Græce, Hebraice declamatum, & fabula data, summa quotidie virorum nobilium doctorumque frequentia (*b*). In illis Theologicarum rerum disputationibus propositæ assertiones Theologicæ ex prima parte S. Thomæ, ex secunda secundæ, & tertia parte: extantque apud nos libelli ejusmodi, de quo supra diximus, duo; quorum

(*a*) Sacchinus n. 27. (*b*) Id. n. 30.

rum unus primæ partis aſſertiones tantummodo complectitur LV., alter earum duarum partium multo plures. Eſt præterea tertius quidamqui aſſertiones aliquas complectitur in epiſtolam S. Pauli ad Romanos: omneſque hi hunc annum præferunt MDLX. Alium nulla anni nota, ſed tantum hoc titulo; *Theologicæ aſſertiones ex primis capitibus epiſtolæ ad Romanos collectæ una cum expoſitione locorum qui paulo obſcuriores in eis eſſe videntur: quas defendet unus ex auditoribus Theologis Collegii Germanici in diſputationibus quæ ante renovationem ſtudiorum in templo Societatis Jeſu habebuntur, præſidibus iis qui Theologiam in Collegio ejuſdem Societatis profitentur*, ad hunc annum pertineret puto, quo in Doctorum noſtrorum elenchis invenio (*b*), Divinos libros explanare cœpiſſe Emmanuelem Sa, qui antea Theologicæ ſcholæ præerat. Sacchinus Jacobo Avellanedæ cui repetenda Hiſpania fuit, quod Romanum cælum valetudini ſuæ noxium experiretur, ſucceſſiſſe ait in Theologica ſchola Doctorem Ferdinandum Iaen ex Hiſpania miſſum; unde etiam advenerat Petrus Parra Philoſophiæ Profeſſor, vel hoc nomine commendandus, quod Robertum Bellarminum in Philoſophia formarit. Qui hunc proxime ſecutus eſt annus, is Perpinianum inter Magiſtros Romani Collegii connumeravit, addiditque illis qui magnam ei famam

(*a*) Elench. mſ. P. Tom. Silotti.

mam atque existimationem conciliabant; inter quos Sacchinus cùm Perpinianum ipsum recenset, tùm Benedictum Pereira. Plures habitas disputationes colligimus ex libellis quos penes nos habemus; quorum unus assertiones continet *de Pœnitentia & ejus partibus*, alter *de Incarnationis mysterio* tertius *in prima sex capita Evangelii secundum Joannem*; omnes in fronte nuntiant disputandas *ante instaurationem studiorum in templo Societatis Jesu*: unde colligimus morem illum perpetuo servatum, disputationes has eo tempore instituendi. Discentium summa ex Sacchino octingentorum circiter; Nostrorum vero numerus, qui ibi in summa difficultate agebant, longe centenarium excedebat. Hoc enim Sanctissimus Parens Ignatius volebat, ut seminarium veluti quoddam esset, in quod ex nationibus omnibus Socii ad se in litteris virtutibusque formandos confluerent, atque inde spargerentur ad animorum salutem & Dei gloriam procurandam. Cui consilio respondisse eventum litteræ testantur Pii IV. ad Philippum II. Hispaniarum Regem datæ hoc ipso anno, in quibus amantissimus Pontifex, ubi de universo Ordine nostro perhonorifice locutus est, addit (a): *Hujus Ordinis maximum in hac alma urbe Collegium habemus, quod tanquam Seminarium quoddam est aliorum quæ per Italiam & extra ipsam Italiam in Germania & Gallia*

(a) Sacchin. l. 5. n. 158.

lia propagantur. Ex hoc uberrimo Seminario Apostolica sedes instituit delectos idoneos ministros tamquam generosas & frugiferas plantas, alios aliò prout usus evenerit conserendas mittere: qui quidem tum instituendis pie & diligenter pueris, tum prædicando Evangelio, tum ministrandis Sacramentis fructus eos, Domino cooperante, ferunt, quibus hoc tempore Ecclesia Dei maxime indiget. Nullum unquam hi laborem pro Dei bonore, & hujus sanctæ Sedis obsequio recusant. Eunt & navigant ad omnes nationes & loca quocumque mittuntur, etiam ad hæreticos, ad infideles, & ad remotissimas Indiæ partes, sine ullo omnino metu, ejus nimirum auxilio freti cui deserviunt. Itaque multum debemus huic Collegio ita de Religione Catholica merito & assidue merenti, adeo ad Christi D. N. & hujus sanctæ Sedis obsequia parato. Sed ut in hac urbe, tamquam Christianæ Religionis arce & Ecclesiæ capite positum omnibus Ecclesiæ membris prodesse possit, non solum a nobis diligenter tuendum est, qui ei certe non desumus, sed piorum omnium, tuoque in primis auxilio, tua protectione indiget &c. Quamobrem ea quæ ferebatur de hoc Collegio opinio, cùm absentes ad illud animo complectendum, tùm præsentes ad visendum excibat. *Cupide viri Principes*, ait Sacchinus (*a*), *Cardinalesque tum gymnasium, tum interiores Collegii visebant ædes. In gym-*

N *nasio*

(*a*) lib. 5. n. 63.

nasio viam rationemque docendi, Magistrorum ac disciplinarum multitudinem & varietatem, disputationum frequentiam & ardorem, ad hæc conjuncta cum humana scientia cælestis Sapientiæ studia mirabantur. Interius vero in Collegii septis sancta in paupertate Christiana munditia; tam arcto loco multitudo tanta; in multitudine nationum varietas; in varietate adeo numerosa tantus animorum morumque consensus: præterea silentium & quies admirabilis erat. Præcipui tamen e Societate viri bonam valetudinem ac vires integras in tot angustiis, tantaque litterarum ac pietatis contentione, pro Divino beneficio numerabant. Sed illud ante omnia videbatur quasi perenne miraculum, nullo vectigali certo non ali modo tot capita, sed suppetere etiam unde in sarta tecta, concinnandasque subinde novas & extruendas ædes sumptus haud exigui fierent. Atque id de sumptibus factis in tantis rei domesticæ angustiis præcipue contigit anno sequenti MDLXII. quo Collegii templum ædificari cœptum, non id quidem quod nunc extat munificentia Cardinalis Ludovisii amplissimum, pulcherimumque (quin ibi Collegii pars maxima tunc erat) sed aliud concinnum quidem, sed non satis pro usu capax; in quo ædificando primarium in fundamenta lapidem solemni ritu Otho Cardinalis Augustanus misit; perfectum vero & dedicatum est anno MDLXVII.: atque habuisse id præcipuæ dignitatis dicitur

quod

(a) quod nullam in eo profanus sive faber sive famulus operarius partem habuere: ædificatio tota religioso fratrum nostrorum labore stetit; quod nunc mirandum maxime his moribus videri possit. Ceterum quod de cupiditate visendi Collegium Sacchinus idem narrabat, probat quod eodem hoc anno accidit, cum Cardinalis sanctissimus Carolus Borromæus & Franciscus Varga præsentia sua domum nostram honestarunt. Quamobrem devenimus ad id tempus quod quærebamus habitæ a Perpiniano hujus orationis.

VI. Sed paulo longius producendus sermo est. Nam alia extat post biennium habita ab eodem Perpiniano oratio; cum Pontifex ipse Pius IV. Collegium adivisset. Itaque medio hoc tempore, anno nimirum MDLXIII. nostrum hoc gymnasium auctum est duabus disciplinis quæstionum Conscientiæ & Philosophiæ de moribus ex Aristotele. Hæc initio cœpta est anni ab Achille Gagliardo iis explicari qui tertium annum Philosophiam in rerum contemplatione positam audiebant Illa extremo anno in solemni studiorum repetitione promiscue eis qui sacerdotiũ vel gererent vel expeterent. Curionum, sive ut ajunt Parochorum aliorumque acurrit numerus adeo ingens ut ducẽti numerarentur ordinarii auditores. Addita ad tres principes linguas Latinam, Græcam, Hebræam, etiam Arabicæ doctrina,

 quam

(a) Sacchinus lib. 6. n. 3.

quam Joannes Bap tista Romanus ex legatione Memphitica post naufragium sospes reversus, eamque ob rem Venetiis advocatus Romam tradere una cum Hebræa, quæ jam dudum tradebatur, cœpit. Aucto Doctorum numero, & auditornm (cum nostri numerarentur in Collegio CCXVIII.) nova incrementa visa sunt hoc eodem anno pietatis, & litterarum. Primum quidem testantur piæ Sodalitates sive ut nunc dicuntur, *Congregationes*, fieri tunc primum cœptæ auctore Joanne Leonio Belga, infimæ rudimentorum Grammaticæ Classis Magistro: quæ Sodalitates dein B. Virgini præcipuo studio dedicatæ, tam insigni cum juventutis atque aliorum bono, certis formatæ institutis late ad omnes terrarum oras manarunt. Quamquam eorum cœtuum fortasse ante hunc annum rudimenta quædam alibi, ac præsertim Genuæ & Perusiæ inter discipulos inveniantur. De litteris luculentum testimonium habemus Aldi Manutii Paulli F., qui editurus hoc anno Sallustii historiam ab eo recensitam & scholiis quibusdam illustratam Collegio Romano nuncupavit, præmissa hac epistola. *Collegio Romano Societatis Jesu Aldus Manutius Paulli F. Fatebor quod res est: contuli me ad Urbem superiore anno vocatus a Patre, libentissime. Cupiebam scilicet ea præsens intueri, quæ sæpe legeram, & in iisdem locis vestigium imprimere, ubi sedes clarorum vi-*

(a) Sacchinus lib. 7. n. 5. &c.

virorum ac domicilia fuisse cognoveram. Ac me quidem hic permulta delectaverunt ex veteribus monumentis, quæ vel excellentium artificum ingenia, vel mores aut eruditionem superiorum temporum declarant. Sed neque marmoreum ullum æneumque simulacrum, neque septem collium aspectus, neque augusta illa Capitolii facies tantam animo meo jucunditatem admirationemve attulit, quantam Collegii vestri dignitas & ordo; in quo nihil ad inanem voluptatem, aut ad brevem usum; omnia vidi ad æternum solidæ gloriæ fructum, ad certam animorum salutem instituta. Itaque concursus ad vos quotidie majores fiunt, nec dubitandum videtur; cum vobis in ista tam nobili disciplina non honor aut quæstus, quarum rerum spe multorum excitari solet industria, sed divina tantum præmia proposita sint; quin hæc ante paucos annos a summo viro Ignatio Lojola inducta bene merendi consuetudo & perpetua futura sit, & uberiores non in hac modo civitate, verum in universo terrarum orbe fructus ferat. Quæ est enim civitas, quæ gens, quæ natio sanctissimis Christi legibus addicta quæ non probet maxime vestrum institutum, quæ vos non recipiat atque adeo non accersat ad erudiendam juventutem, ad mores conformandos, ad Religionem propagandam? Equidem vel hoc unum, cum innumerabilia sint Divinæ erga nos benignitatis atque clementiæ, maximum statuo esse documentum, quod inter hæc temporum vitia,

quibus jam pæne omnia periere, tantum bonum, tam præter omnium opinionem, tam celeriter disseminavit, ut etiam gentes, nostra demum, patrumque nostrorum memoria cognitæ, longissimo a nobis pelagi, terræque intervallo disjunctæ, a vestris doctoribus ab exitioso idolorum cultu ad salutarem veri Dei venerationem traducantur, omnemque litterarum ac morum elegantiam, quam antea penitus ignorarunt, a vobis potissimum acceptam diligenter colant. Quæ cum ipse mecum cogito; & cum hæc intueor, quæ in urbe Roma sedulo quisque vestrum interpretandis optimis libris, exceptis dumtaxat qui ad jus civile aut ad medendi rationem pertinent, cohortando, monendo, vigilando pro communi emolumento præstat; deberi vobis judico a bonis viris omnia, nec ullam esse tantam laudem quæ cum vestris collata meritis non longe inferior esse videatur. Sed hoc nostrum est, ut id quod debemus, si persolvere non licet, animo saltem ac mente pervolvamus: vestra quidem & sapientia singularis & ad optimam Christi normam directa modestia, quicquid ab hominibus dari potest; id plane totum excludit. Ego tamen studio vestri, & inductione quadam animi, Patre etiam cohortante, qui vestra instituta ad cælum ferre solitus est, feci ut Sallustium & meos in corrigendo labores vobis dedicarem. Nam cum ejus historiam assidue in manibus habeatis, magnaque auditorum frequentia explanetis; commendabit, opi-

opinor, me vobis studium meum; & ut spero, consequar id, quod vehementer opto, ut Patris mei, meamque simul incolumitatem ac salutem piis precibus agentes cum Deo suppliciter curetis. MDLXIII. Kal. Octob. Hæc illa in epistola Manutius, quæ legitur in editione ejus Romana anni ejusdem MDLXIII. & Veneta MDLXVII. continetque egregiam doctorum hominum, cùm Patris tum filii perhonorificum de nostro Collegio judicium. Atque id Pater fecerat etiam cum gymnasium nostrum invisens contemplatus omnia diligenter, *summe cum docentium eruditionem ac facultatem, tum docendi ordinem & industriam laudavit*; ut refert Sacchinus (*a*); qui quidem in hunc annum rejicere videtur ejus adventum ad urbem, quem ex allata epistola constat incidisse in superiores.

VII. Ergo anno quem dicebamus MCLXIV. Pius IV. beneficii gratiæque causa, postquam domum professorum templumque inviserat, venit ad Collegium. In gymnasii atrium ingressus cum unam partem convestitam scriptis carminibus conspexisset; quid ea res esset rogans, & audiens carmina esse super ejus adventu raptim sexdecim scripta linguis quot nationum in Collegio homines erant, gavisus est, ut Sacchinus (*b*) idem narrat: ibidemque posita sella a Perpiniano, nomine omnium, oratione quæ est ordine nostro VII.

 saluta-

(*a*) lib. 7. n. 8. (*b*) lib. 8. n. 18.

ſalutatur. Omnibus eam valde placuiſſe Hiſtoricus laudatus, refert: nec eſt cur aliter accideret; præſertim ſi temporis anguſtias ſpectemus oratori ad ſe comparandum dati. Pontificis *inopinatum adventum* (*pag.* 195.) in ipſo ſtatim orationis aditu vocat. Nam ut Sacchinus habet (*a*) Pius, VII. Kal. Sext. accerſito Lainio ſignificavit, poſtero die ſibi eſſe in animo domum Profeſſorum, Collegium Romanum, atque Germanicum viſere; ut palam omnibus faceret cordi ſibi eam familiam eſſe: ſed eo die ſubortis impedimentis non venit. Venit ergo pridie Kal. Cardinalium ſex & lectiſſimo multorum Præſulum & virorum principum comitatu. In ipſa oratione Perpinianus cùm res ejus geſtas commemorat, tum beneficia in nos collata cum debita grati animi ſignificatione nomine omnium indicat. *Noſtram banc Societatem*, inquit, *ut tempore, ſic etiam dignitate poſtremam, quanto fueris amore complexus; ut alia plurima & certiſſima argumenta prætercam, illa tua quotidiana liberalitas declarat, quæ cum pecuniam non exiguam in ſingulos annos ad banc tantam multitudinem alendam ultro ſuppeditet, omnia a te ſumma nos expectare jubet... Cum antea inquilini in bac urbe erraremus, tu ſtatim ut Pontifex maximus creatus es, nos in boc tam amplo & illuſtri domicilio collocaſti &c.* Quæ verba ex ſuperius a nobis narratis, ut pu-

(*a*) num. 16.

puto, lumen accipient. In extrema oratione hæc habet: *qui suscepto vitæ instituto semper fuimus omnino tui, deinceps tum veteribus tum recentibus meritis tuis tibi magis obstricti pro nostra virili parte, Deo bene juvante, dabimus diligenter operam, ne qua pars officii nostri jure requiratur; atque hoc bonarum artium septi comitatu quem cernis, ut adhuc fecimus, & sedis Apostolicæ majestati, & Ecclesiæ universæ, tum saluti, tum dignitati serviemus*. Ut hæc postrema verba intelligantur necesse est iterum audire Sacchinum, qui apparatum ad excipiendum Pontificem narrans, ubi habitam a Perpiniano orationem commemoravit, subdit: *tum accesserunt lecti pueri, ita ut aptum erat, ad varias disciplinas quæ in Collegio tradebantur referendas ornati: ac præter insignia & ornatum, affixus ad pectus index quam quisque doctrinam ac personam referret rudioribus loquebatur. Doctrinæ erant hæ Grammatica Latina, Hebræa lingua, Græca, Arabica. Tum facultates Rhetorica & Dialectica; mox Mathematicæ disciplinæ Arithmetica, Geometria, Musica, Astronomia; deinde Philosophia de moribus & de natura; postrema princeps ac regina omnium Theologia. Singuli autem pueri, ubi proxime accessissent, brevi ac venusto carmine suam quisque Pontifici scientiam dedicabant*. Utilis est ea descriptio (quod tamen colligi ex superiore narratione nostra potest) ad

co-

cognoscendum quæ tum disciplinæ in Collegio traderentur, nimirum omnes quæ ad juventutem erudiendam postulari possunt: & primum quæ sunt puerilis institutionis, Grammaticam dico, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Astronomiam; quem septenarium disciplinarum numerum passim Veteres prædicant, vel complectuntur libris suis; ut Martianus Capella, Cassiodorus, & qui olim extabant Augustini libri, ut ipsemet fatetur (a); necnon Tzetzes nominavit versiculis celeberrimis (b): deinde alias sive reconditiores quasdam, sive severiores. Ut de apparatu illo dicamus; hæc tum vulgo ho-

(a) Retractat. lib. 1. cap. 6. (a) Chil. 11. sect. 377.

Δευτέρως δ' ἐγκύκλια μαθήματα καλοῦνται.
Ὁ κύκλος τὸ συμπερασμα πάντων τῶν ματημάτων,
Γραμματικῆς, Ρητορικῆς, αὐτῆς Πιλοσοφίας,
Καὶ τῶν τεσσάρων δὲ τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων,
Τῆς Ἀριθμούσης, Μουσικῆς, καὶ τῆς Γεωμετρίας,
Καὶ τῆς οὐρανοβάμονος αὐτῆς Ἀστρονομίας
Ἐγκύκλια μαθήματα δευτέρως, ταῦτα πάντα
Ὡς ἔγραφε Πορφύριος ἐν βίοις φιλοσόφων,
Καὶ ἕτεροι μυρίοι δὲ τῶν ἐλλογίμων ἄνδρες.

homines probabant : itaque , eodem Sacchino narrante , Pontifex adeo delectatus est , ut diceret , multo se plura pro Collegio proque Societate quam fecisset , adhuc facturum . Domum inde reversus , ut domestici renuntiarunt, eo die non nisi de Societate egit,summe laudans ejus instituta , & labores ; eosque qui tam injuste eam vituperaverant gravi oratione perstringens . Nimirum sparsi fuerant ante de nobis , & de doctrinæ penuria rumores,qui minus idoneos demonstrarent,quorum curæ Pontifex Seminarium traderet .

VIII. Satis multa de Collegio Romano diximus occasione accepta a Perpiniani orationibus ; ita ut interdum vereamur ne lectores tædeat ; & nonnulli , ut sunt in nos iniquiores , præconem me veluti quemdam ad illud commendandum , hoc præsertim tempore appositum arbitrentur : quorum sermones nihil me omnino commovent. Nam qui sunt æquiores , minime id rei esse , præsertim sancte affirmanti credent ; ignoscentque ut spero amori meo , quo jamdiu (quid enim pudeat confiteri?) hanc domum sum vehementissime complexus;vel quod diu me educavit optimis disciplinis ; vel quod septimum annũ jam tenet florentem eo otio , quod qui litteris vacant summis semper votis expetiverunt . Nec tamen hæc cum dico in sermone de Perpiniani libris, extra locum dicta existimari possunt . Nam ejus quoque hominis extitit , atque ex scrip-

tis ,

tis apparet cùm erga Urbem, tum in Romanum Collegium amor singularis; ut ejus cogitatione ac desiderio remollescere interdum videretur. *Ego vero desiderium Urbis vix fero*, scribit Paulo Manutio *ep. 25. pag.* 142. & nonullis interjectis rursus; *Ego igitur conficior Urbis desiderio . . . neque vero aut rerum omnium copia, aut viarum nova descriptio, aut ædificiorum recentium pulchritudo, aut veterum ruinarum admiratio movet; quæ vel alibi paria aut majora etiam fortasse reperies, vel omnino si desint, facile contemnas. Tua me, tuique similium, si quis tamen similis tui, sed eruditórum hominum consuetudo me, qua necessario carendum est, movet vehementer . . . .* En unquam *non jam* patrios *sed* vestros longo post tempore fines, *neque* pauperis & tuguri congestum cespite culmen, *sed* nectare & ingentis manantia tecta Manuti: *nosti reliqua*. Horum in numerum, quorum desiderio angebatur, comprehendisse illum præsertim Sodales suos, significat familiarius scribens ad Bartholomæum Romanum auditorem Romæ suum Lugduno: *Quoties ego in pergula inambulans & intuens in Alpium juga, matrem ingeniorum & artium Italiam, parentem Religionis Christianæ Romam, domum Patrum, vestrum gymnasium, denique vos omnes mihi videor intueri? quoties mihi venit in mentem illud canere Melibœi Virgiliani carmen:* En umquam *non*

(a) ep. 21. pag. 125.

non jam patrios, *sed* Latios longo post tempore fines: *neque* pauperis & tuguri congestum culmine tectum *sed*; & veteris Romæ surgentia marmore tecta, post aliquot, mea regna videns, mirabor, aristas? *Quamquam non tam me Romana tecta movent, quam vos, quos Romæ reliqui, ac præ ceteris P. Fulvius, qui cum anguste pateat, totus est humanitatis ac suavitatis plenus. Verum Urbis desiderium & vestri, cælestis civitatis expectatione superatur &c.* Sæpe vero cum æqualibus aut amicis suis expostulare videtur, quod illum Romæ retinendum in Collegio non putarint. In litteris ad Fulvium Cardulum Collegam olim suum; *Nostræ*, inquit, *provinciæ præpositus ad Pascha Tolosam ire me vellet; Lutetia ad se vocat: ego neutrum recuso: sed Tolosæ Lutetiam quantum in me est antepono: quamquam vos equidem utrique anteferrem, nisi vos quemvis alium, quam me, multis partibus maluissetis. Nunc vero & vobis absque me bene esse gaudeo, & mihi absque vobis esse non male spero.* In eamdem sententiam hæc ad Sardum, *epist.* 32. *pag.* 171. *Summa sit, meam orationem, quam Italia vestra exilio multandam judicavit, Galliæ nostræ valde placere &c.* Quid illæ adeo suaves, adeo multis verbis repetitæ salutationes? Quid de litteris Romanorum Sociorum ad eum redditis lætitia, de earumdem intermissione aut raritate querelæ? *Gaudeo & triumpho,* scribit ad eumdem Sardum,

non

non esse te immemorem nostri. At ad Bartholomæum Romanum. *Quid non mihi proficiscenti ceteri auditores mei, qui vel etiam erant, vel aliquando fuerant pollicebantur? quid me sperare non jubebant? Vix equidem temporis mihi satis futurum arbitrabar ad eorum litteras legendas, aut & ad inscriptiones ipsas inspiciendas. At tertius hic mensis est a profectione mea; neque cujusquam nisi tuas & Pompeii litteras adhuc vidi . . . Accepi quidem a Benedicto, accepi ab Andrea pauca quædam verba: sed ea sitim magis intenderunt meam, quam extinxerunt*. Sed nihil singulare Perpiniani studium in Collegium hoc nostrum magis demonstrat, quam perpetua illa in eodem amicis commendando cura. Paulo Manutio, cujus magna Romæ erat æstimatio, nunquam ferme scribit, quin de eo studiosissime, cupidissimeque perscribat. *Collegium nostrum Romanum*, inquit *epist. 25. pag. 145., quod tibi commendem non est, cum memoria teneam multas pugnas a te pro ejus existimatione fuisse pugnatas. Hoc tantum dicam, scire me, te, quæ tua est apud omnes auctoritas, magno præsidio posse esse veritati, & vero etiam sæpenumero fuisse. Quicquid ejusmodi feceris, id me pluris esse facturum, quam si omnia in me unum studii & amoris & benignitatis vel officia, vel beneficia contulisses*. Et in altera ad eumdem epistola ferme iisdem verbis *pag. 148. Nostrum Collegium, quod tibi commendem non est, pro*

quo

quo sæpe te sciam magna contentione pugnasse. Sic tamen habeto, quicquid ejusmodi pro veritate, innocentiaque feceris, id mihi gratius futurum, quam si me vacuum omnibus beneficiis ornares. Hæc ad historiam Perpiniani vitæ spectabant: sed in summa festinatione scribentem cum præterierint, valent hic ad longiorem de Collegio Romano sermonem; studiumque nostrum vel excusandum, vel etiam commendandum. Deinceps pergam ea dumtaxat dicere de Collegii Romani rebus quæ ad Perpinianum pertinent, & lucem aliquam dare possunt orationi, quam postremam habuit in Collegio Romano.

IX. Hujus habendæ causa fuit quam in Vita diximus, quod ad Rhetoris munus, quo absolutus fuerat, rursum revocaretur. Scripsit vero illam in multis gravissimisque occupationibus, de quibus ad Franciscum Adornum (a) scribens, postquam Lauretanum iter suum explicavit, subdit; *Cœperam ante profectionem Rhetoricas institutiones nostri Cypriani Soarii recognoscere, ut iterum emendatiores, & si quid aut addi, aut demi, aut mutari necesse esset, meliores ederentur. Post reversionem cum P. Natalis urgeret, paucis diebus multorum mensium opus perficiendum fuit. Dijudicandæ erant eorum orationes atque versus, qui ea lege subierant scribendi certamen, ut victoribus primis & secundis præmia publice daren-*

(a) epist. 16. pag. 87.

darentur : ego fui ad illud arbitrium cum aliis delectus. Constitueram tres Aristotelis de arte Rhetorica libros explicare, aderatque jam fere tempus, quo initium interpretandi a me fieri oporteret: ad hoc autem munus imparatus accedere turpe esse ducebam : adolescentes principio ad eloquentiæ studium cohortandos existimabam. Hæc autem cohortatio quam hic narrat, ipsa est oratio de qua loquimur. Quod vero præmisit, dijudicandas fuisse eorum orationes atque versus, qui ea lege subierant scribendi certamen, ut primis & secundis victoribus præmia publice darentur; designat primo factam in Collegio Romano præmiorum distributionem, hoc nimirum anno MDLXIV. de qua Sacchinus (a): *Hoc primum anno Romæ Latinas Græcasque litteras, & Eloquentiam discentibus præmia publice distributa. Ea fuere selecta veterum monumenta, certatoribus convenientia, eleganter & sumptuose compacta, liberalitate Cardinalis Farnesii. Transacta res celebritate nonnulla est. Proximo Kalendis Novembris Dominico die productum in scenam drama, multa nobilitate, & aliquot Patrum Purpuratorum spectantibus. Argumentum erat, Divinum cultum, reiquepublice utilitatem, non inanem ostentationem, curiositatem, aut aliquid eorum quæ perperam vulgus sectatur, esse studiorum finem debere. Dramate peracto, proposita in pulpito mensa cum præmiis. Ad eam*

(a) P. 2. Hist. l. 8. n. 38.

eam judices qui certantium probarant ſcripta conſederant. Tum unus e pueris præconis vice functus, poſt ſolemnem præfationem, Quod bonum ac felix eveniret, initio ab Rhetoribus ducto, nomina citat victorum. Ut quiſque vocatus erat, progreſſum in ſcenam pueri excipiebant duo: alter deſtinatum ei porrigens præmium, diſticho ad id commode facto gratulabatur, alter protinus verſiculis item binis, acuta gravique ſententia ab inſolenti gloriatione deterrebat. Inſignem id ſpectaculum & Proceribus voluptatem, & diſcentibus alacritatem attulit. Hæc Sacchinus, qui addit præmiorum maximam abſtuliſſe partem qui in Collegio Germanico convictores educabantur; quod nimirum floreret id Collegium frequentia, nobilitate, ac diſciplina: quas quidem laudes nunc quoque in eoſdem nobiliſſimos ſtudioſiſſimoſque juvenes convenire, qui ibidem aliquandiu fuimus, teſtari poſſumus. Perpinianus ſe ad illud arbitrium delectum ait. Verum alias præterea fuiſſe illius partes ſuſpicamur; atque ipſum fuiſſe qui leges tum quaſdam ſcriberet, quas in codice ipſius epiſtolarum mſſ. invenimus; ubi præmiſſo etiam Perpiniani nomine hæc leguntur; quæ placet hic deſcribere.

Forma Præmiorum Publicorum

Collegium Societatis Jeſu Pio Lectori.

Quoniam adoleſcentes, qui ad bonas artes cognoſcendas incubuerunt, nulla res majori ſtudio di-

ſcendi inflammat quam annua certamina, & præmia data victoribus; idque ita eſſe reipſa experti ſumus, exiſtimavimus. ne hanc quidem animorum excitandorum rationem nobis prætereundam eſſe, qui tantum operæ & induſtriæ in juventute bene inſtituenda collocamus. Quam rem ſperamus & magnum ſplendorem litteris, & juventuti non mediocrem fructum, & Chriſto parenti & Deo alutis noſtræ nonnihil apud homines gloriæ allaturam. Vale & præmiorum rationem legeſque certaminis ex hac tabula cognoſce.

Præmia Publica.

Primæ Claſſi, quæ Rhetorum eſt, ſex præmia proponentur; duo ſolutæ orationis Latinæ, duo carminis, duo linguæ Græcæ.

Secundæ Claſſi, quæ eſt Humanitatis ſex item præmia pari ratione dividentur.

Tertiæ Claſſi, quæ eſt prima Grammaticorum, quatuor præmia, duo proſæ orationis Latinæ, totidem carminis dabuntur.

In quarta, quæ eſt ſecunda Grammaticorum, poſt publicam præmiorum celebritatem ſua quoque victoribus præmia privatim diſtribuentur.

Leges ad præmia publica pertinentes.

I. *Scribendi certamen in tres dies diviſum eſto. Primo die Latina oratione: ſecundo carmi-*

ne

ne Latino : tertio Græco sermone certanto .

II. *Omnes in suam quisque Scholam tempore primæ exercitationis matutinæ diebus constitutis conveniunto .*

III. *Accepto argumento scribendi , totis tribus horis nemo a sua Schola egreditor , neque cum alio extra gymnasium colloquitor : qui secus faxit , quod is postea scripserit , ejus nulla ratio habetor .*

IV. *Si quis longius spatium ad rem accuratius perficiendam expetet ; is modo ne pedem e Schola efferat , neque ultra XXIV. horam tempus proroget , quamdiu voluerit maneto .*

V. *Suam quisque orationem accurate descriptam & quo signo maluerit obsignatam , sine nomine tamen , cum discedere volet , gymnasii Præfecto reddito : aliam item chartam , in qua cum nomine sit idem signum expressum , diligenter obsignatam , ne nomen inspici possit , eidem dato .*

VI. *Gymnasii Præfectus omnia sedulo & fideliter asservato , neque chartas nomina continentes , priusquam factum sit judicium , resignato .*

VII. *Judices tres & docti & religiosi , qui nesciant cujus quæque sit scriptio , deliguntor . Hi perlectis omnium scriptis , & re diligenter inspecta , de comuni sententia victores tum primum tum secundum in unoquoque genere declaranto . Quod si quis de Judicibus vel manum cujusquam agnoverit , vel alio argumento con-*

jecerit cujus sit oratio quæ in certationem venit, ejus de illa judicium irritum esto.

VIII. *In judicio cujus melior erit orationis forma, is ceteris omnibus, licet multo plura scripserint, antefertor: Si qui genere ipso & stylo pares inscribendo erunt; qui recte scribendi rationem studiosius fuerit secutus victor esto. Si observatio etiam recte scribendi fuerit in duobus omnino par, plura paucioribus anteponuntor. Si qui & orationis habitu & orthographia & longitudine ac brevitate prorsus æquales reperientur, illi qui elegantius expresserit litterarum notas præmium, adjudicator. Si quis in omnibus generibus scribendi ceteros omnes vicerit, is etiam omnium generum præmia consequitor.*

IX. *Judicio perfecto, solus gymnasii Præfectus, remotis arbitris, chartas in quibus nomina certantium cum signis adscripta erunt resignato, nomina victorum ex signis diligenter, ne erret, investigato; cognita nemini enuntiato.*

X. *Constituto deinde die, quanto maximo fieri poterit apparatu, in conventu hominum & frequentia nomina victorum publice prædicantor; & in medium procedentibus, præmia cuique sua honorifice dividuntor. Si quis non aderit, nisi commeatum antea justis de causis acceperit a Præfecto, præmium vel optimo jure sibi debitum amittito.*

Lex

Lex Privatorum Præmiorum.

In præmiis quæ Classium inferiorum Auditoribus privatim distribuentur, eadem, quoad res feret, observator. Sed si qui omnibus aliis rebus pares videbuntur, qui melius tenebit Christianæ disciplinæ rudimenta is alteri præponetur.

Hæc in eo codice, qui epistolas Perpiniani continet, aliasque ejus oratiunculas sive proemia & gratiarum actiones, quas hic tomo tertio habes, reperi: suntque hæc de divisiône præmiorum ad verbum ferme descripta in Ratione nostra atque institutione studiorum anni MDXCI. edita *pag. 86.* &c.; licèt posterior anni MDXCVIII. & MDCIII. quæ postrema tandem recepta & probata est, longius abeant aliquanto. Visum est autem ista non omittere, tum quia ad historiam hujus Collegii pertinent eorum annorum, quibus Perpinianus ibidem vixit; tum quia valent ad sedulitatem Majorum nostrorum industriamque cognoscendam in iis excogitandis omnibus, quæ inflammare animos juvenum possunt ad studia litterarum. Atque id de publica distributione præmiorum commendatur etiam in antiquissima Ratione studiorum edita anno MDLXXXVI. *pag. 258.*; modo Moecenas aliquis (excedunt enim ista privatas Collegii facultates) inveniatur. Atque inventus est memoria nostra

Em:

Em. Cardinalis de Cunha qui illud institutum renovavit anno MDCCXXI. liberalitate usus & magnificentia, cùm ejus gentis propria, tùm vero sua; præmiaque fuerunt amplissima distributa, & tragœdia data. Adfuerunt Cardinales numero XXIII. Præsules LXX. fabulam vero illam præterea ter datam fuisse, semperque placuisse in commentariis nostris scriptum inveni.

X. Redeundum nunc est ad orationem Perpiniani, quæ inscribitur *ad Romanam juventutem de avita dicendi laude recuperanda*; additurque in indice orationum; *quam habuit Romæ in gymnasio Societatis Jesu, cum Aristotelis artem Rhetoricam interpretandam suscepisset VIII. Id. Nov. MDLXIV.* Initio ejus significat, intermissum Rhethoricæ docendæ munus a se iterum suscipi: atque ubi explicavit quæ argumenta ipse habeat ad id alacriter obeundum, de ipsius Eloquentiæ præstantia sive necessitate disserit, & dignitate artis ipsius tradendæ. Hanc vero statim Eloquentiæ speciem proponit quam veteres maxime & Tullius describunt; qua ita orator excellit rebus omnibus, ut ei turpe sit (quod & Cicero scripsit (a)) quidquam aut spectari aut audiri libentius. Hanc ait ex cognitione rerum existere adjuvante natura & exercitatione, perfici autem velut extrema Præceptoris manu. In hanc rem plura habet atque ejus ferme

(a) Orat. n. 71.

me generis, quæ nos ſupra cum de Perpiniani Eloquentia diſceptaremus, perſecuti ſumus; Aliam vero inanis profluentiæ & ſtultitiæ loquacis fucatam ſpeciem, multis verborum quaſi medicamentis oblitam, rerum, ſucco, & ſanguine, atque eo qui ſanguine diffunditur colore carentem, quam nunc fere ſolam imperiti falſo Eloquentiam vocant; hanc aſſerit eſſe omnium irriſione ludendam. Ubi hanc Eloquentiæ germanam ſpeciem exhibuit, *pag.* 204. adhortationem aggreditur ad dicendi laudem recuperandam; ac primo, quod eam vere Romanorum ſit; & antiqua tempora commemorat quibus maximi oratores floruerunt; donec oppreſſa Rep. idem finis videtur fuiſſe imperandi & bene dicendi. Hanc ergo hæreditatem ſola humanarum rerum varietate amiſſam, recuperandam eſſe. *Pag.* 206. hæc ipſa hæreditas quam præclara ſit, oſtendit 1. ſpectato fine benedicendi. 2. uſu. Quibus quidem ea videtur complexus, quæ de Rhetorica diſſerens apud Platonem Socrates, facit in eo dialogo qui inſcribitur *Gorgias* totius diſputationis partes duas. Primo enim de Rhetoricæ definitione quærit, qua finis comprehenditur; ac deinde de uſu. Perpinianus finem eſſe ait, ut auditorum animos in quamcumque partem Orator velit impellat, atque ingeneret in eorum mentibus perſuaſionem. Neque in hoc ab eo diſcedit quod in eodem dialogo dicitur. Nam Socra-

tes;

tes; id colligens quod fuse Gorgia dixerat, ait Rhetoricam esse πειθοῦς δημιουργὸν (1) sive persuasionis artificem; quod & Tullius & Quintilianus aliique deinceps communi consensu tradiderunt. Id vero præclare Perpinianus quod persuasionum duo genera distinguit. Primo eam quæ a subtili & accurato dicendi genere profecta veram & exquisitam rei propositæ scientiam parit; alteram quæ a populari quodam genere dicendi & probandi orta, opinionem tantum & fidem in eorum qui audiunt animis gignit: primam quam a Platone ait διδασκαλικὴν appellatam, ceterarum ait esse propriam scientiarum sive facultatum, quæ omnia resecant ad vivum,& quascumque res explicandas susceperunt, eas quam possunt diligentissime, non tam ad multitudinis ingenium, quam ad ipsarum vim & naturam accomodate persequuntur; ita ut sæpe laus sit vel maxima a populari sententia quam longissime abesse: alteram vero quæ Eloquentiæ est propria, hanc omnia explanatius dicere & uberius & ad communem hominum sensum accomodatius: in eaque nihil esse vitiosum magis, quam a communi judicio & a vulgari consuetudine sermonis abhorrere. Est hæc Tullii doctrina iisdemque fere quibus ille utitur verbis, contexta; qui etiam sæpe popularem hanc

(1) Εἴτι ἐγὼ συνίημι λέγεις,ὅτι πειθοῦς δημιουργός ἐστιν ἡ ῥητορική.

hanc facultatem vocat, cujus idoneus judex ſit multitudo. Neque ſolum orationis modum adhiberi vult qui a communi ſermone non abhorreat, ſed res ipſas atque argumenta quæ afferuntur, jubet eſſe hujuſmodi quæ populi captum non excedant: *Hæc enim noſtra oratio* (ait *lib. 2. de Orat. n.* 38.) *multitudinis eſt auribus accomodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda quæ non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur*. Sed inſignis eſt Platonis locus in Gorgia quam noſter laudat; ubi poſtquam duo eſſe inter ſe diverſa probavit *μεμαθηκέναι*, & *πεπιςευκέναι* duas illlas perſuaſionis ſpecies conſtituit; quarum una pariat *πίςιν* ſive fidem, altera *ἐπιςήμην* ſive ſcientiam, ac ſubdit, Rhetoricam eſſe artificem primæ illius, non alterius (1); cui cum aſſenſus eſſet Gorgias ſubjicit; orator igitur non ea facultate eſt præditus, ut in foro ceteriſque cœtibus res juſtas ſive injuſtas doceat, ſed ut fidem tantum faciat: non enim poſſet tam exiguo tempore plebem res tantas docere (2). Quid ergo iis facias noſtrorum

P tem-

(1) Ἡ ῥητορικὴ, ὡς ἔοικε, πειθοῦς δημιουργός ἐςι πιςευτικῆς, ἀλλ' οὐ διδασκαλικῆς περὶ τὸ δίκαιό ντε καὶ ἄδικον.

(2) Οὐδ' ἄρα διδασκαλικὸς ὁ ῥήτωρ ἐςὶ δικαςηρίων τε καὶ τῶν ἄλλων ὄχλων, δικαίωντε

temporum oratoribus qui de rebus ſacris ad populum dicunt, non ſolum eo genere elocutionis, ea circumductione verborum, ut, quod Cato dicebat de Græcorum Poetis aliam linguam loqui videantur; ſed præterea ſubtilioribus ſibi argumentis agendum putant, atque hoc maxime contendunt ſemper ut afferant aliquid quod probandum ſit; probationes vero afferunt hujuſmodi quæ oſtendant exquiſitius illos, quam vulgus hominum, ſtuduiſſe litteris? Hos non ego ſeptis Philoſophorum aut Theologorum, quorum nomen ambire videntur, concluderem, ſed ad puerorum ludum amandarem, inter quos artis ſuæ ipſa elementa, quæ ignorant, ediſcerent: Atque ex iſtorum grege nonnullos deſcribit hic Perpinianus; quorum alter cum de rebus divinis dicendum eſſet, Ariſtotelæa quædam propoſuit, alter quæſtionem e media Theologorum ſchola: qui quidem hoc aſſecuti ſunt (quod nunc quoque Oratores noſtri) ut docti, ſi amici eſſent, de illorum impudentia pudore afficerentur; ſin minus, ſtultitiam irriderent; indocti vero oſcitarentur. His *pag.* 209. opponit Auguſtinum qui eloquentia ſua tantum potuit ut Cæſareæ in Mauritania antiquiſ-

---

ωντε ϰ̀ πέρι ϰ̀ ἀδίκων, ἀλλὰ πιστικὸς μόνον. οὐ γὰρ δὴ που ὄχλον γ᾽ ἂν δύναιτο τοσοῦτον ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ διδάξαι οὕπω μεγάλα πράγματα.

quissimum quoddam ludi genus & nefarium quod *Catervam* vocabant tolleret. Narrat hoc ipse Augustinus (*a*). *Denique cum apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plusquam civilem, quam catervam vocabant: neque enim cives tantummodo verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi per aliquot dies continuos & certo tempore anni solemniter dimicabant, & quisque ut quemque poterat occidebat. Egi quidem graviter, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus & moribus eorum avellerem pelleremque dicendo: non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri & delectari, flecti autem lacrimis indicabant. Quas ubi aspexi, immanem illam consuetudinem a patribus & avis longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat vel potius possidebat, devictam, antequam reipsa id ostenderent, credidi; moxque sermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ferme octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est*. Hactenus Augustinus; cujus eloquentia non unicum illum fructum retulit, sed alios præterea multos uberrimosque; de quibus cùm ejus vitæ scriptores, tum Pauli-

P 2 nus

(*a*) lib. 4. de doctr. Christ. cap. 24.

nus & Cassiodorus; quorum quidem postremum, (a) dum eum vocat *debellatorem hæreticorum, defensorem fidelium, & famosorum palmam certaminum*, non scripta ejus tantum, sed dicentis eloquentiam laudare putem; uti & Prosperum, sive quemvis alium auctorem carminis in obtrectatorem Augustini, dum ait.

Verte gradum: fuge perniciem; stratosque rebelles
Oris Apostolici fulmine ubique vide.

Certe in Basilii epitaphiis hoc de illo Gregorius, si is tamen est ejus auctor (b);

Βροντὴ σεῖο λόγος, ἀστεροπὴ ὁ βίος.

ac de Ephiphānio Ennodius (c); *Jam si ad sermonem illius veniamus, nunquam sic diras aspides verborum digitis incantator Thessalus violentis poterit evocare carminibus, quomodo ille effectum petitionis suæ a negaturis extorquet*. Quamobrem bene Perpinianus addit, se multa generis ejusdem commemorare posse.

XI. Explicato Eloquentiæ fine transit ad usum; & *pag.* 211. primum ponit in regendis civitatibus; quod ejus scientiæ Eloquentia ponatur a Platone & Aristotele comes quædam & ministra. *Pag.* 213. præcipue usum explicat in sacris concionibus, de quo multa dixere post Humbertum de Romanis virum sanctissimum e Prædicatorum familia, Augustinus Valerius, Ludovicus Granatensis, Franciscus Panigarola, Franciscus Romanus,

(a) Institut. Div. litter. cap. 22. (b) tom. 2. op. Naz. pag. 153. (c) in V. tom. 1. Var. Sirmond. edit. Parsi. col. 1660.

nus, Ludovicus Carbo, Carolus Regius, Abbas de Bretteville, Platina &c. Adjungit alios usus in legationibus & consultationibus. *Pag.* 216. præcipue necessariam Eloquentiam docet ad agendum cum iis qui a vera Religione discesserunt, *quibuscum* ait *agi sine verborum & sententiarum splendore non potest*: Quod verissime ab eo dici ex iis constat, quæ in libellis suis Heterodoxi adversus nos scribunt, ludentes sæpe irridentesque infantiam in loquendo nostram & in scribendo barbariem ac verborum fecem cum summa obscuritate conjunctam. Vir doctus atque in hoc pugnarum genere exercitatus Andreas Duvallius (a) de iis differens quæ in eo requiruntur, qui pugnare cum Heterodoxis velit; primo exigit ut vir sit doctus, idque declarans ait *Ceterum per viros doctos & qui argumentis hæreticorum probabiliter non commovebuntur, non intelligimus eos, qui tantum in Theologia Scholastica sunt versati: hi enim ut plurimum non sunt ita apti; & cum suis responsionibus & distinctionibus non adeo excultis se interdum hæreticis ridendos exhibent: expertus ego, & non ignarus mali aliis succurrere didici. Sed intelligimus eos qui præter hanc scholasticam disciplinam sacras litteras norunt, & qui scripta Patrum aliquo pacto pervolutarunt; ita ut locos scripturæ, quibus hæretici abutuntur probe teneant; quo loco, quo capite quo versu ha-*

(a) Tractat. de Fide qu. 7. art. 7.

beantur, ne locus ille ab hæreticis objectus illis novus & inauditus appareat; deinde sciant ejusmodi locis satisfacere, non more scholastico, qui nimirum est compressus & abstrusus, sed facili, plano, & quantum natura rei patitur, cuique pervio. Atqui hæc perspicuitas modusque in docendo planus & facilis Rhetoricæ artis adjumenta desiderat. *Ego vero, Patres religiosissimi* (verba sunt notabilia Perpiniani nostri) *magnopere interdum doleo, nos qui a veritate stamus a falsitatis defensoribus, studio, assiduitate, cura, labore, diligentiaque superari; & cum antiquissimæ ac fidelissimæ provinciæ loquacissimis hominibus abundent ad omnia divina & humana jura pervertenda, reperiri tam paucos eloquentes viros, qui sapientis orationis gravitate sceleratos impiorum conatus aut frangant, aut retardent: quorum si magnam copiam in illis terris haberemus, auderem equidem polliceri; brevi omnes illas civitates ab erroris & nequitiæ castris ad veritatis & Ecclesiasticæ disciplinæ signa quæ reliquerunt esse redituras*. *Pag*. 217. transit ad privatos usus Eloquentiæ in eruditis sermonibus, in epistolis conscribendis &c. *Pag*. 218. redit ad cohortationem, propositis adjumentis quæ Romani adolescentes habent ad Eloquentiam comparandam. *Pag*. 220. viam demonstrat qua perveniri ad Eloquentiam possint: illa præclare; *Et quoniam incorrupta Latini purique sermonis, omnibus vitiis detractis, integri-*

gritas, quasi solum est & fundamentum Oratoris, illa prima debet esse cura, ut Latine quam elegantissime & apertissime loquamini: deinde, quoniam inanis est & deridendus omnis orationis ornatus, nisi subsit res digna hominum auribus ab Oratore percepta & cognita; danda est opera, ut omnes & divinas & humanas disciplinas adjungatis; verum ita ne totam in eis perdiscendis conteratis ætatem, sed cognoscatis modo fontes ipsos, unde tantum postea quantum necesse est hauriatis: tum pervolutandi sunt ornatissimi quique Scriptores, Oratores maxime, quorum lectione veluti pabulo quodam alitur oratio, & exemplis multis atque illustribus ad imitandum animus informatur. Deinde de imitatione differit; præsertim Ciceronis, quem ita vult suis auditoribus esse notum, ut & commentantibus & scribentibus, & vero etiam agentibus multa de scriptis ejus, quæ sequantur, celeriter occurrant. *Pag.*222. quosdam vituperat tunc recens exortos tam in Dialecticis quam in Rhetoricis doctrinæ veteris emendatores; quorum unum qui Topica Ciceronis explananda susceperat, narrat, præter pauca quædam a Boethio compilata, nihil nisi mera convicia bonum interpretem attulisse. Denique *pag.* 224. eò redit ut horteur juvenes ad recuperandam avitæ Eloquentiæ gloriam; quòd Majores in ea acquirenda tantopere elaborarint; quòd ceterarum rerum amissam possessionem, quivis studeat recuperare.

rare. Hæc postrema fuit oratio quam Perpinianus Romæ habuit ad Rhetoricæ studium inflammans auditores suos. Quantum illi profecerint non novimus. Sed Fulvius Cardulus Perpiniano scribens VI. Kal. April. MDXVI. *in meo gymnasio*, ait, *mirum frigus, cum auditores habeam vix triginta. Ego vero paucioribus etiam essem contentus: cetera tam superiorum quam inferiorum ordinum, frequentiora quam solebant*. His tamen contentus fuisse videtur Perpinianus ob ingeniorum præstantiam. Et adjumenta quidem recensens quæ habebant Auditores sui ad Eloquentiæ laudem consequendam; *Ingenia*, inquit *pag. 219.*, *tanta sunt, quanta me usquam videre memini; vidi autem multa præclara*. Notabilis omnino locus, atque externi hominis præclarum testimonium de Romanis ingeniis, imo Italiæ universæ: nam ad hanc urbem ex omni ferme Italia homines confluunt. Itaque ad ceteras laudes quas Virgilius in primis persequitur (*a*), atque in Virgilium Cerda, ceterique ejus Poetæ enarratores, hæc quoque adjungenda, quam attigit Plinius (*b*); Cicero etiam indicavit; cum Græcis antetulit Romanos sive Latinos, scripsitque in libro Tusculanarum quæstionum I. (*c*). *Meum semper judicium fuit, omnia Nostros aut invenisse per se sapientius quam Græcos; aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent in quibus*

(*a*) Georgic. II. (*b*) lib. 3. cap. 5. (*c*) n. 1.

bus elaborarent. Quod quidem in posteriora quoque tempora optime convenit; cum nemo ignoret, extinctas in Europa litteras, ab Italis hominibus, Francisco in primis Petrarcha ex suscitatas. Quid postea? quantum aut artes aut scientias Italia homines promoverunt? Nolo hic Vincentium Gravina (a), Hiacynthum Gimma (b), Ludovicum Antonium Muratorium, aliosque Italos homines commemorare hæc de Italis prædicantes: Satis sit externum, quique in manibus est omnium proferre hæc scribentem; (c) *C'est à l'Italie que nous devons la renaissance des Lettres en Europe où plusieurs Siècles de barbarie les avoient fait presque entierement oublier ... Les Italiens sont très capables des Sciences les plus abstraites quand ils sont tant que de s'y appliquer. Mr. Cassini a poussè l'Astronomie aussi loin qu' il ètoit possible. L'Architecture & les arts qui y ont un grand raport comme la Peinture, la Statuaire, la Sculpture &c. nous sont venues d'Italie; & les Italiens qui embrassent l'Art Militaire deviennent asses souvent des grands Capitaines, dignes d' etre comptez avec les Heros de l'ancienne Rome. La Poesie & la Musique y sont cultivèes avec succès.* Addere poterat Theologiam, in qua omnium consensu Principes Petrus Lombardus, & S. Tho-

(a) Opusc. 3. (b) Idea dell'Istoria leteraria d' Italia. (c) Martinier Diction.

S. Thomas Aquinas; Physicam in qua Recentiorum hominum industriæ facem veluti prætulit Galileus. De Jurisprudentia nemo negat, in Italiæ gymnasiis, post instauratas litteras, primum sedem invenisse. Quod spectat ad Medicam facultatem legendus Bartholomæi Cortii liber *De inventis præcipuis Italorum in Medicina*; de humanioribus vero litteris Marchio Joannes Josephus Ursius, Justus Fontaninus, Scipio Maffejus &c.

§. IV.

De oratione VI.

1. *Sententia Perpiniani de eo, de quo viri docti contendunt; an Hebræis olim affulserit cognitio mysterii Trinitatis.* 2. *an hoc mysterium expressum in sacris Litteris inveniatur: communis ferme PP. de eo & Theologorum consensio: iidem affirmant alterum, idest Hebræos nonnullos hoc in sacris Litteris agnovisse.* 3. *constare etiam videtur, ad eosdem traditione pervenisse hoc mysterium.* 4. *non tamen id intelligendum de omnibus Hebræis, cum esset ea revelatio admodum obscura. Plures hujus obscuritatis causas PP. afferunt. Theologi duas veluti classes Hebræorum distingunt* Majorum & Minorum. *Iidem fidem tantummodo implicitam* Minoribus *concedunt.* 5. *Nec Mysterii Trinitatis explicita fides,*

des, nec Christi Divinitatis his erat praecepta: quid contra objici solet. 6. an suboluerit hoc mysterium Ethnicorum sapientioribus. 7. summa totius orationis Perpiniani.

I. INter hanc postremam orationem aliasque, de quibus jam diximus, intercedit Oratio VI. In eo indice quem sæpe appellavimus, inscribitur; *De Deo Trino & uno optimo maximo & Ecclesiæ consensione, habita Romæ sanctissimæ Trinitatis feriis, in summorum Pontificum sacello, præsente Pio IIII. Pontifice Maximo*, A. *MDLXIII.* De eadem oratione Sacchinus (*a*): *Die Pentecostes in sacello Pontificio, quod aliis etiam temporibus satis frequenter faciebat, Fulvius Cardulus dixit; & octavo post die Petrus Perpinianus orationem habuit de Deo Trino & Uno, quæ edita extat: uterque, quam meriti erant, approbationem adepti.* Nihil in hac commendatione gratiæ locum esse voluit Sacchinus. Nam ut de Perpiniano loquar; hîc si uspiam alias, qua fuerit in divinis rebus scientia, quantum in PP. lectione exercitatus abunde declaravit. Totam orationem in duas veluti partes distribuit: in quarum prima de ipso mysterio quæcumque traduntur sacris litteris; aut CC. auctoritate, & PP. doctrina explicata sunt, exponit: in altera ad mores rem traducit; & ex

(*a*) P. 2. Histor. l. 7. n. 8.

ex ea quæ in hoc myſterio exiſtit cum Perſonarum multiplicitate ſumma Unitas, gradum ſibi facit ad dicendum de Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſione. Illuſtrem vero aditum facit orationi, ingreſſus de eo dicere, de quo noſtra quoque ætate vehementi contentione certatum eſt; an nimirum myſterii hujus cognitio antiquiſſimis hominibus aliquando affulſerit. Ergo poſtquam in exordio de gaudio, lætitiaque dixit, quam par eſt Chriſtianos die hoc ſolemni feſtoque præſeferre; argumenti magnitudinem difficultatemque ex eo præcipue repetit; quod ineffabilem eſſe, nec cognitione comprehendi poſſe Dei naturam, vel Noſtri, vel Ethnici ſcriptores dixerunt: atque oratione ad ipſum Pontificem converſa, precationeque ad Deum inſtituta, narrat duas de Divinitate ſententias pugnantes inter ſe olim extitiſſe Judæorum & Ethnicorum. *Nam Judæi*, inquit, *dum ea quæ de uno Deo ſacris Litteris aperte ſunt tradita imprudenter defenderent, neque cæci viderent quæ de trina hypoſtaſi propter ipſorum tarditatem occulte ſignificarentur, in illum errorem miſeri inciderunt, quem nunc Majorum ſuorum falſis opinionibus aſtricti, valde pertinaciter tuentur; ut non modo naturam divinam, verum etiam hypoſtaſim unam crederent. Contra illæ nationes, quæ imbutæ pravitatis erroribus, vel monſtris quibuſdam atque prodigiis, vel certe rebus nihilo ſe melioribus Divinum principatum tri-*

tribuerunt; dum partim multitudinem Deorum a superioribus acceptam obstinatis animis retinere conarentur, partim populi metu unum verum Deum ratione pervestigatum & inventum profiteri palam & colere non auderent: ut hypostases, sic etiam naturas divinas permultas, vecordes atque amentes induxerunt. Addit mediam veluti utrique errori intercessisse veritatem, quam in medium profert Ecclesia Christiana, unam esse prædicans naturam divinam, triplicem hypostasim. *Id*, ait, neque *divinis in Litteris Judæi, præter admodum paucos, agnoverunt*; neque ceteri Ethnici sapientes *aut animo comprehendere aut attingere suspicione potuissent, nisi Deus ipse mortalibus ultro nec opinantibus patefecisset.* Quod si in Sybillarum carminibus, Trismegisti, & hujusmodi libris nonnulla inveniuntur quæ mysterii hujus indicationes quædam esse videntur; quod de Zoroastro & Chaldæis Psellus tradit; item in Orpheo, Platone, ejusque Philosophi familia nonnulli hæc odorati esse videntur; id eos non ex se aut humanæ scientiæ facultate, sed tradita ab Adamo per manus posterorum accepisse affirmat. Atque hinc factum, ut Plato antiquitatem religiose secutus congruentiora rectæ fidei dixerit, quam Aristoteles, qui non ita antiquitati hæreret. *Videlicet*, inquit, *in hisce rebus indagandis, eruendis, demonstrandis, non acies ingenii sed fama valebat; quæ quò longius ætate procedebat,*

bat, eo erat obſcurior; eo magis falſa veris affingens, ut ſolet, ab illa prima integritate diſcedebat. Hic eſt veluti aditus hujus orationis; qui quidem valet ad beneficii magnitudinem explicandam nobis a Deo collati, cum diſerte adeo hoc myſterium tradidit; quod antea nunquam fecerat. Verum multa hic complexus eſt Perpinianus, de quibus acerrimæ contentiones excitatæ ſunt inter eruditos viros non ſolum Catholicos, ſed Heterodoxos.

II. At plura quidem diſtinguenda ſunt quæ nonnulli ſæpe confundunt. De Hebræis enim cum loquimur, quæri poteſt: 1. An in ſacris libris inveniretur expreſſum myſterium hoc de Deo Trino & Uno: Deinde an Hebræi qui ſacros libros legebant id in illis libris viderint: 3. An præterea idem ad eos traditione pervenerit: 4. An hujuſmodi myſterium ita vel ſcriptura vel traditione eſſet propoſitum, ut illud fide ſua comprehendere inter cetera dogmata tenerentur. Ex his primum plerique ampleƈtuntur, qui veteris Teſtamentis locos inculcant Judæis, ut probent myſterium Trinitatis. Prævivere antiquiſſimi Ignatius, Juſtinus, Cyprianus Tertullianus, Origenes, Athanaſius, Euſebius, Hilarius Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Ambroſius, Auguſtinus, Theodoretus, Iſidorus Peluſiota, Gregorius Bæticus dictus &c. ordientes a primis Geneſeos verbis ubi in Hebræo

bræ verbum אלהים pluralis terminationis jungitur cum verbo singulari ברא : deinde, cum de hominis formatione sermo inducitur veluti inter plures *faciamus hominem &c.*; & cum Domini nomen repetitur, vel cum alio jungitur ejusdem significationis; ut ejusdem libri Geneseos *cap. 19. v. 24. Et Dominus pluit . . . . ignem a domino de cælo*; Hebraice ויהוה המטיר .. אש מאת יהוה מן־השמים in Græco LXX. καὶ κύριος ἔβρεξεν...πῦρ παρὰ κυρίου ἐξ οὐρανοῦ. Quæ loca afferunt cùm TT. cum Magistro (*a*) tùm qui adversus Judæos scribunt, Petrus Galatinus toto libro II. *De arcanis Catholicæ veritatis*, Raimundus Martini in *Pugione Fidei* (*b*), Lyranus in opusculo (*c*), Paulus Burgensis in *Scrutinio Scripturarum* (*d*), Victoria Porcheti (*e*) &c. Aliò quidem pleraque istorum referunt Heterodoxi Joannes Drusius, Christophorus Cartwirghtus, Hugo Grotius &c.; quibus id concedere videntur Bellarminus, Cajetanus, Bonfrerius, aliique Catholici, atque in primis Alfonsus Tostatus in opusculo *de SS. Trinitate*. Verùm & horum plerique non negant. alicubi in V. T. subobscure saltem mysterium hoc indicatum; & Tostatus ipse, licèt nolit ex auctoritatibus V. T. Personarum divinarum pluralitatem esse *necessario convincibilem*, con-

(*a*) lib. 1. dist. 2. (*b*) part. 3. dist. 1.
(*c*) legit. in fin. Biblior. cum gloss. edit. Lugdun. 1590.
(*d*) dist. 9. cap. 2. (*e*) part. 2. cap. 5.

concedit *persuasibilem* esse. Quid? quod prudenter sane Bonfrerius (*a*) & Pererius (*b*) putant, utrumque Deum intendisse, atque ita se idiotismis, & Hebraicæ linguæ modo accomodasse, ut uno eodemque tempore mysterium etiam indicare vellet: imo Hebræum ipsum sermonem ita volunt adinventum atque a Deo institutum, ut eadem verba peculiarem ejus linguæ phrasim & nativam elegantiam admitterent, simulque magnum hujusmodi mysterium, quasi cortice verborum, occultatum tectumque continerent. Liquet profecto multa V. T. loca Christo convenire ex Matthæi *capite XII. vers.* 44. ubi illud psalmi CIX. *Dixit Dominus Domino meo*, Christus affirmavit de se esse dictum: & Paulus *ad Hebræos I. v.* 5. aliud psalmi II. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, de Christo interpretatur. Quin etiam Christus ipse provocat ad Scripturas, atque ad eas Judæos amandat, ut intelligant ipsum Deum esse; *scrutamini Scripturas; illæ sunt quæ testimonium perbibent de me* (*c*): quem locum Paulus Burgensis operi suo inscripsit, voluitque nomen imponere *Scrutinii Scripturarum*. Ergo hoc primum pro comperto haberi debet; & bene scripsit Alexander III. in epistola ad Soldanum Iconii; professionem hanc fidei de Deo trino in personis *non tantum a Christo & ejus sequacibus traxisse exordium, sed a Moyse, & Patriarchis*, *at-*

(*a*) in cap. 19. Genes. (*b*) ibid. (*c*) Joa. 5. v. 39.

atque Prophetis suum habuisse fundamentum: quod nonnullis prolatis V. T. testimoniis declarat. Ex hoc autem primo sequitur & verum esse alterum. Non enim credibile est nullum horum locorum intelligentia comprehendere potuisse sanctissimos Patriarchas atque Prophetas. Imo Rabbinis id suboluisse fusse probat ex eorum scriptis Josuas Arndius in diatriba *de mysterio Trinitatis* (*a*): quorum etiam nonnulla profert Basnagius in rerum Iudaicarum historia (*b*); ptæterea ii quos supra allegavi.

III. Quod tertio loco quærebamus, an præterea idem mysterium ad Hebræos traditione pervenerit; id non pauci adstruunt. Et sane ab Abrahamo transmissã ad posteros hujus mysterii cognitionem sive etiam ab Adamo, primisque illis Patriarchis, omnino dicend um videtur. Nam hos cognovisse, Deo illis demonstrante, essentiæ unitatem, trinitatem personarum, Patres afferunt: ex quibus id facit præcipue S. Ambrosius (*c*) afferens locum illum Genesis ubi Abraham dicitur tres Angelos vidisse, unum adorasse: item eumdem locum exhibens Augustinus (*d*): Cyrillus quoque Alexandrinus (*e*), qui addit edidicisse

Q Abra-

(*a*) Fasc. V. Thomæ Crenii pag. 283.
(*b*) tom. 3. lib. 4. cap. 5. edit. Rot. 1707.
(*c*) lib. *de Cain & Abel* cap. 8. num. 30.
(*d*) lib. 2. *de Trinit. cap.* 11.
(*e*) lib. 1. *contra Julian.* (t. 6. par. 2. p. 19. ed. Paris. 1638.)

"Ὅτι

Abrahamum, *quod in sancta atque consubstantiali Trinitate concipiatur unius & incorruptæ naturæ perfectio ac complementum.* Potuit ergo maxime ab Abrahamo hæc traditio ad posteros transmitti : quod laudatus Cyrillus innuere videtur scribens (a) ; *non igitur ignoravit progenitor noster Abraham adoratum in sancta Trinitate, terræ & cœli, omniumque rerum architectum, nec ab eo deducti Isaac & Jacob aliter senserunt ; sed paternæ virtutis vestigia insistentes, ejus quoque fidem ardenter secuti sunt.* Et Ludovicus quidem Thomassinus (b) ex ipsis sacrarum litterarum testimoniis colligere se posse putat, fluxisse ab Abrahamo duas sapientum scholas ; quarum altera ad Moysen

&

Οτι καὶ ἐν ἁγίᾳ καὶ ὁμουσίῳ νοεῖται τριάδι τὸ τῆς μιᾶς τε καὶ ἀκηράτου φύσεως πλήρωμα.

(a) ibid. *pag.* 21. Οὐκ ἠγνόηκε τοίνυν ὁ προπάτωρ Ἀβραάμ, τὸν ἐν ἁγίᾳ τριάδι προσκυνούμενον τὸν γῆς τε καὶ οὐρανοῦ καὶ τῶν ὅλων δημιουργὸν ... οἵ γε μὴν ἐξ αὐτοῦ γεγονότες Ἰσαάκ τε φημὶ καὶ Ἰακὼβ πεφρονήκασιν οὐχ ἑτέρος. ἀλλὰ τῆς πατρῴας ἀρετῆς κατ' ἴχνος ἰόντες τῆς αὐτοῦ πίστεως γεγόνασι ζηλωταί.

(b) De SS. *Trinitate* cap. 33.

& Israelitas pertinuerit; altera ad Idumæos & Arabes, quibus cum accenseretur Iobus, hinc apud eum Dei unius & trini expressa inveniri testimonia; quæ quidem inter omnia V. T. censet esse antiquissima. A Majoribus vero suis, addit, accepisse Philonem quæ ipse in hanc rem prodidit; ipse vero Thomassinus consideranda sibi sumit (*a*): quæ tamen Petavius aliunde advocat (*b*). Hæc tria quæ hactenus indicavimus, non seorsum sed simul si apta conjunctaque considerentur, videbimus exstare aliquid, quod negari vix possit; in libris scilicet Veteris Testamenti nonnihil de Trinitatis mysterio significatum esse, quod accedente Traditione veluti interprete, Iudæorum animos illustrare, atque informare de re tanta potuerit.

IV. Obscurum tamen remanebat plerisque non adeo perspicacibus, & in Scripturis legendis cognoscendisque parum exercitatis: qui quidem, ut erant ingenio rudi atque imperiti, ne ad Ethnicorum errorem de pluribus Diis deflecterent, edocendi non videbantur. Quamobrem (quod quarto loco vestigandum esse diximus); nequaquam Hebræis omnibus mysterium illud innotuerat. Hanc obscuritatem affirmat Nazianzenus, & saltem in plerisque Hebræorum mysterii illius ignorationem: quod nimirum tantam lucem ferre non potuissent: itaque sensim veluti erat hominum ocu-

(*a*) cap. 36. (*b*) lib. de Trinitate cap. 2.

lis objicienda. *Sic*, inquit, (*a*) *se res habet; ut in V. T. Pater aperte prædicetur, subobscure vero indicetur filius; cum modo in novo Testamento uterque manifeste ostendatur: atque eadem obscuritate Spiritûs Sancti Divinitas proponatur, Sed enim tutum illis temporibus, non erat, apud eos qui Patris divinitatem nondum plane imbiberant, filium aperte prædicare: cum vero nondum filium esse Deum cognoscerent, Spiritum Sanctum velut graviorem quamdam sarcinam, si ita loqui fas est, ingerere; ne id ipsis accideret quod hominibus qui cibis opplentur, aut solis radiis objiciunt oculos infirmos. Faciendum itaque fuit, ut paulatim, accessionibus veluti quibusdam, & ut David loquitur, gradibus ascenderemus de gloria in gloriam, & Trinitatis lux splendoribus suis illuceret*: Hactenus Nazianzenus. Causam vero illam obtendendæ hujus obscuritatis; ne scilicet Iudæi ad plures Deos delaberentur, clarius

---

(*a*) orat. 37. de Spir. S. tom. 1. p. 608. edit. Parif. 1630. Ἔχει γὰρ οὕτως. ἐκήρυττε φανερῶς ἡ παλαιὰ τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν ἀμυδρότερον. ἐφανέρωσεν ἡ καινὴ τὸν υἱόν, ὑπέδειξε τοῦ πνεύματος τὴν θεότητα. ἐμπολιτεύεται νῦν τὸ πνεῦμα σαφεστέραν ἡμῖν παρέχον τὴν ἑαυτοῦ δήλωσιν. οὐ γὰρ ἦν ἀσφαλές, μήπω τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος ὁμολογηθείσης, τὸν υἱὸν ἐκδήλως κηρύττεσθαι.

rius explicat Chrysostomus (*a*). Nam sibi proponens Pauli illud: *nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia; & unus D. J. C. per quem omnia*: ideo ait adjectum *unus*; ne putarent plures Deos induci: subditque hoc ipsum fuisse in causa, cur Iudæis non clare & manifeste, sed obscure & raro Filius Dei a Prophetis significaretur. Theodoretus (*b*) id quoque urget, ex eo quod in Ægypto dudum Hebræi versati essent, & multorum Deorum cultum ibi observari vidissent: hinc ne ad eam impieta-

(*a*) hom. 5. de incomprensibili Dei natura n. 3. (t. 1. p. 484.) Τοῦτο γοῦν καὶ αἴτιον γέγονε τοῦ μὴ σαφῶς, μηδὲ φανερῶς, ἀλλ' ἀμυδρῶς πως καὶ σπανίως διὰ τῶν προφητῶν γνωρισθῆναι τοῖς Ἰουδαίοις τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.

(*b*) de curat. Græcar. affect. serm. 2. (tom. 4. pag. 496.) Ἐν Αἰγύπτῳ γὰρ αὐτοὺς πλεῖστον διατρίψαντας χρόνον, καὶ τὴν πολύθεον τῶν Αἰγυπτίων μεμαθηκότας θρησκείαν ὁ πάνσοφος κύριος, οὐκ ἐναργῶς ἅπαντα τὰ περὶ τῆς τριάδος ἐξεπαίδευσε δόγματα, ἵνα μὴ πρόφασιν πολυθείας λάβωσιν, εἰς τὸν τῶν Αἰγυπτίων ἐπιῤῥέποντες πλάνον. οὐ μὴν παντάπασι τὰ περὶ τῆς τριάδος ἀπέκρυψε δόγματα τοῖς ὕστερον ἐσομένοις, τῆς ἐντελεστέρας θεολογίας καταπείρων τὰς ἀφορμάς.

tatem deflecterent, povidentissime Deum noluisse omnino Trinitatis mysterium aperire: nec tamen penitus occuluisse; sed abstrusioris Theologiæ veluti semina quædam jecisse. Quod postremo loco dictum probat allatis pluribus V. T. locis, quibus ait sububscure trinitatem Personarum videri esse indicatam. Iam vero primum quod ipse asseruerat, atque alii Patres attigerunt; de metu ne Personarum Trinitatem edocti Iudæi ad Ethnicismum delaberentur, valet in tempora etiam longe ab Ægyptiaca commoratione remota. Ob eam ipsam causam Trinitatis mysterium disciplinâ arcani comprehensum fortasse est; ut Cyrillus Hierosolymitanus declarat scribens (*a*); Ethnicis nequaquam declarari mysteria Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: nec de iis solere se loqui palam coram catechumenis. Omitto consequentium ætatum reliquos Patres. Præterire tamen non possum Gregorii M. locum (*b*); qui quidem locus allatus legitur in scripto Hadriani Papæ pro Synodo Nicæna II. (*c*) *Sancti Patres*, ait, *quos per sanctam Scripturam ante legem fuisse cognoscimus*

(*a*) Catech. VI. num. 29. Οὐ γὰρ ἐθνικοῖς τὰ περὶ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος διηγούμεθα μυστήρια, οὐδὲ τὰ περὶ τῶν μυστηρίων ἐπὶ κατηχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν.

(*b*) hom. 16. in Ezechielem (*c*) tom. 4. collect. Hard. col. 814.

mus unum quidem Omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem esse noverunt; sed eamdem Trinitatem quam cognoverant, aperte minime prædicaverunt... Data autem lege rudis ille Hebræorum populus mandata Decalogi servare conatus est: sed tamen de cognitione sanctæ Trinitatis eruditus non est. Et quamvis hanc spiritales PP. perfecte cognovissent, multitudo tamen Synagogæ nec invenire mysterium Trinitatis potuit, nec quærere scivit. Superveniente autem gratia per Testamentum novum, omnis fidelis populus unum Deum Trinitatem esse cognovit, & virtutem Decalogi ejus agnitione complevit. Hanc obscuritatem affirmarunt, quos supra adduximus Tostatus, Cajetanus, Bellarminus; quibus addendus ex multis, qui proferri præterea possent, Lorinus (*a*) diligentissimus Psalmorum interpres (nam ex Psalmis multa horum locorum proferri solent), qui ex locis sane obscurissimis collectum a PP. Trinitatis mysterium ostendit accerrimo illo quo ferebantur studio vel Iudæos vel Hæreticos homines revincendi; ut ex horum locorum multitudine argui non possit, evidentem fuisse ejus apud omnes & receptissimam cognitionem: præsertim cum eorum locorum nonnulla nihil tale habeant; quemadmodum ille apud Irenæum (*b*) de exploratoribus Iericho, quos Josue liber (*c*) duos fuisse diserte affir-

(*a*) in Ps. xxviii. 2., xxxii. 6; xlii. 3., lxi. 8., lxxi. 2. &c. (*b*) lib. 4. cap. 20. (*c*) cap. 2. v. 1.

affirmat ; ipſe vero tres ponit , atque in his Divinas tres perſonas ſignificatas contendit . Quamobrem bene Patres aliqui, ita tum in V. T. rem adumbratam volunt , ut indicatio illa ex N. T. doctrina poſtea eliceretur : vel etiam aperte negant cognitum olim hoc myſterium ; nimirum vulgo & hominum pleriſque . Primum ex his , affirmat Cyprianus ſcribens (a) ; *in orationibus vero celebrandis invenimus obſervaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes , & in captivitate victores , horam tertiam , ſextam , nonam , ſacramento ſcilicet Trinitatis , quæ in noviſſimis temporibus manifeſtari habebat . . . & manifeſtata poſtmodum res eſt , ſacramenta olim fuiſſe , quod ante ſic juſti precabantur* . Alterum facit Hilarius (b) : *Judæi namque* , inquit , *ſacramentum myſterii Dei neſcientes , & per hoc Dei filium ignorantes , Deum tantum , non & Patrem venerabantur* . Ex his opinor , Patrum effatis docuit S. Thomas (c) in Summa Theologica, revelationem Trinitatis legi Gratiæ fuiſſe reſervatam : revelationem nimirum quæ perſpicua eſſet , & vulgo etiam proponeretur . Nam idem Magiſtrum explicans (d) hæc habet; *Dicendum quod per miſſionem Divinarum Perſonarum in nos , homo in finem ultimum ducitur , non ſolum poſt peccatum , ſed etiam ante peccatum :*

(a) de orat. Domin. pag. 214.
(b) lib. 5. de Trinit. num. 27. (c) 2. 2. qu. 174. art. 6.
(d) in 3. diſt. 26. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4.

tum: *non tamen eodem modo ante adventum Christi & post; quia ante adventum soli Majores de hoc fidem explicitam habuerunt; post Incarnationem vero omnes fidem explicitam de tribus Personis habere tenentur: sicut & de mysterio Incarnationis, quod cognosci non potest, nisi cognoscatur Personarum distinctio*. Cum vero hoc sibi objecisset; nequaquam in V. T. Trinitatem expresse commemorari; adeoque, necessarium non fuisse ut eam crederent, respondet; non fuisse necessarium ut *explicite* omnes cognoscerent: *ideo*, inquit, *non fuit positum Trinitatis mysterium manifeste in V. T. sed velate ut sapientes capere possent*. Distinguit ergo S. Thomas duo hominum genera; *Majores* quos vocat, & quos appellat *Minores*; secutus nimirum Magistrum, qui *Majores* a *Simplicibus* discernit (*a*): *Majores* vocat Abrahamum, Moysem, aliosque, quibus distincta revelatio facta est de Christo; *Simplices* quibus hoc dumtaxat revelatum erat; credenda esse ea quæ Majores credebant. His ducibus eamdem doctrinam tradunt alii TT., ut Nicolaus Ysambertus (*b*) distinguens eos qui fuerunt rectores & caput aliorum, ab iis qui erant his subditi, quod ad animum erudiendum & sancte informandum pertinebat: quæ distinctio a distinctione illa S. Thomæ non discrepat: ajebat (*c*) enim *Majorum* nomine venire,

(*a*) 3. p. dist. 25. qu. 1. (*b*) Tract. de Fide disp. 9. art. 5. (*c*) art. 1. q. 3. ad 3.

nire, non qui plus aliquid ſciunt, ſed quibus onus incumbit docendi Fidem. Alii (a) veteres Judæos in tres veluti claſſes tribuunt. 1. Patriarcharum, Prophetarum, & qui ſanctitate inſignes fuere. 2. Doctorum legis, ſive Scribarũ. 3. communis & rudioris vulgi. Præter hanc hominum diſtinctionem S. Thomas ceterique TT. Fidem ipſam aliam dicunt *explicitam*, aliam *implicitam*: primam, per quam res in ſe & ſub propria ratione creditur; implicitam ideſt confuſam, & in alio univerſali objecto contentam. Ergo illam fidem explicitam tribuunt *Majoribus*, quibus ajebat in loco ſupra allegato Magiſter ſententiarum, diſtinctam revelationem eſſe factam; Fidem implicitam relinquunt *Simplicibus* ſive *Minoribus*, quibus revelatum erat; ea credenda eſſe, quæ credebant Majores. Qui vero in tres claſſes Judæos partiuntur; illi explicitam fidem primæ tantum claſſi, ideſt Prophetis, Patriarchis & ſanctitate illuſtribus viris concedunt; reliquis negant.

V. Hoc quod diximus de obſcuritate revelationis, quæ non omnes omnino Judæos afficeret, valet etiam ad id explicandum, quod opponi poteſt; Divinam Chriſti naturam, atque *Oeconomiam* ignoraturos fuiſſe pleroſque Iudæos. Etenim ad id quoque obſcuritatem hanc pertinuiſſe, atque ad myſterium Incar-

(a) Tournely de Trinit., Duvallius de Fide qu. 2. art. 4. concl. 2. &c.

carnationis adnotant Interpretes ad illa loca Pauli: (*a*) *Mysterium quod absconditum fuit a sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus.* (*b*) *In mysterio Christi quod aliiis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu.* (*c*) *Prius autem quam veniret Fides sub lege custodiebamur conclusi in eam Fidem quæ revelanda erat.* Inter recentiores Interpretes nominamus hic virum doctissimum Benedictum Iustinianum, addimusque ex Theologis Andream Duvallium (*d*), qui eadem hæc loca producens hoc statuit: *in statu naturæ lapsæ non fuit necessaria fides explicita IncarnatienisChristi & mysterii Trinitatis, neque necessitate medii neque præcepti; ideoque aliqui ante adventum Christi absque ea salvi facti sunt.* Addit solùm necessarium fuisse implicite credere ipsum Incarnationis mysterium: in hoc convenire omnes Doctores; atque id tantummodo quæri, quænam fuerit ista fides implicita: nam S. Thomas, Cajetanus, & Dominicus Soto putant, fidem hanc implicitam Incarnationis non fuisse aliam a fide divinæ providentiæ, qua creditur Deus hominibus in iis quæ sunt illi ad salutem necessaria providere velle: at S. Bonaventura, Albertus, Scotus, Gabriel asserunt, omnibus omnino adultis ad salu-

(*a*) Colofs [illegible]. 26. (*b*) Ephes. III. 5. (*c*) Galat. III. 23.
(*d*) De Fi[illegible] u. 2. art. 4.

tem & justificationem fuisse semper necessariam fidem explicitam unius mediatoris, per quem Deus sibi esset mundum reconciliaturus; ita tamen ut non fuerit necessarium explicite credere eum futurum esse Deum, & peculiaria mysteria, Nativitatem, Passionem, Resurrectionem illius; cum per id ipsum quo credebatur eum fore mediatorem, implicite crederetur, Deum futurum; cum purus homo intercedere non posset medius inter Deum & hominem; & simul crederetur peracturus ea per quæ esset hanc reconciliationem impetraturus. Ipse vero Duvallius primæ sententiæ adhæret, & concedit solùm, tempore legis scriptæ Judæos præcepto obligatos fuisse ad ea credenda quæ expressius in Scripturis continebantur de Christo; ut, fore illum Pontificem, de Tribu Juda, de stirpe Abraham, de familia David, res miras patraturum: saltem necessitate medii non plura cognoscere debuisse. Franciscus quoque Suarez (*a*), primò affirmat, de hoc plane constare; non fuisse singulis hominibus necessarium ante adventum Christi explicite credere Trinitatis mysterium; ex eo nimirum quod non fuerit ita revelatum illis temporibus, ut omnibus credendum proponeretur. Deinde (*b*) nonnullorum sententia recitata, qui volunt, Fidem Christi explicitam necessariam esse & semper fuisse; contrariam de implicita communem

(*a*) De Fide disp. 12. sect. 3. num. 10. (*b*) Num. 13.

nem eſſe aſſeverat; allatiſque Pauli locis quos ſupra indicavimus, atque aliis argumentis, diligentius rem tractans diſtinguit plures gradus Fidei implicitæ & explicitæ Mediatoris. 1. quo Deus creditur juſtos homines facere & ſalvare argumentis a ſua Providentia diſpoſitis, quo quidem Redemptio per Chriſtum continetur. 2. quo præterea creditur Redemptor aliquis ſeu mediator Deum inter & homines ad illos ſalvandos; quin tamen cognoſcatur an ille mediator Deus futurus eſſet necne? neque qua potiſſimum ratione ſalutem eſſet hominibus allaturus. 3. quo præter illa duo ſuperiora cognoſcatur Divinitas redemptoris, ignoretur autem modus Redemptionis. 4. quo cognoſcatur Chriſtus verus Deus & homo, qui cruciatuum perpeſſione, obitaque morte, & reſurrectione redemptionem conſummaverit; quem ultimum gradum eſſe ait abſolutæ & perfectæ Fidei explicitæ. His gradibus aſſignatis, hæc ſtatuit; 1. Fidem explicitam quarto modo vel etiam tertio non fuiſſe ante adventum Chriſti neceſſariam ad ſalutem; idque ait plane conſtare. 2. probabilius eſſe judicat primum modum Fdei implicitæ ſufficientem fuiſſe: & quia alicui illlud videri poſſet, excipiendos eſſe Iudæos tempore legis ſcriptæ; ipſe alterum illum Fidei gradum non putat fuiſſe neceſſarium medii neceſſitate, ſed neceſſitate præcepti. Retulimus hanc duorum Theologorum ſententiam,

ut constet, quid de postremo illo capite quod initio proposuimus statuendum esset; an scilicet hujusmodi mysterium, ita vel Scriptura vel Traditione esset propositum ut inter Fidei dogmata necessaria ad credendum Judæis, locum haberet. Hi enim Theologi & præstantissimi ipsi sunt, & ceterorum judicia sententiasque narrant. Adjicies autem ex his quantum voles, Salmanticenses (*a*), & multos apud ipsos, Cardinalem de Lugo (*b*), Valentiam (*c*), Thomam Sanchez (*d*), Coninch (*e*) &c. quorum quidem aliqui hanc sententiam *communem & veriorem* vocant, ut de Lugo; alii id ajunt *in confesso esse apud omnes*, ut Sanchez; ali *extra controversiam* poni a Theologis, ut Valentia. At enim Augustinus eo loco quem Magister sententiarum profert ait, *eamdem esse Fidem antiquorum, & nostram*: nimirum, ut ibidem innuit S. Thomas (*f*); Fides quoad *substantiam* semper eadem manet implicite; implicite inquam vel in Fide alterius hominis; vel in cognitione Dei ipsius, si de illis loquamur qui immediate a Deo Fidei cognitionem receperunt, quoad ea quæ eis non explicabantur. Hoc uberius exponit Suarez (*g*), statuens Fidem quoad substantiam credibilium semper

(*a*) Tract. 17. de Fide disp. 6. dub. 1. §. 2. (*b*) De Fide disp. 12. sect. 4. (*c*) In 2. 2. disp. 1. qu. 2. p. 4.
(*d*) Lib. 2. in Decalog. cap. 2. n. 7.
(*e*) De Fide disp. 14. dub. 9. n. 161.
(*f*) Qu. 2. ar. 2. qu. 1. 3. (*g*) De Fide tract. 1. disp. 2. sect. 6. num. 3.

ſemper fuiſſe eamdem a principio generis humani, ad hunc uſque diem: atque hanc Fidem ſemper fuiſſe explicitam in Eccleſia in capitibus ſeu viris ejus principibus; in omnibus etiam ſemper eamdem fuiſſe Fidem implicitam. Ceterum rem non ita ſe habuiſſe in vulgi populo uſque ad ſtatum legis Gratiæ; & quod pertinet ad Fidem explicitam, eam ſucceſſu temporis crevisse: ſed hac de re S. Thomas (*a*) in Summa, ejuſque Interpretes. Objici etiam ſolet Joannis illud (*b*) *ſcrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*: & Lucæ aliud (*c*) *o ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ*: quibus locis & hortari Hebræos videtur ad Scripturas legendas, quaſi intelligere ex illis potuiſsent ſe eſse Deum; & reprehendere qui id neglexerunt. Verum hæc non ad omnes pertinent; ſed ad Scribas & legis Doctores primus locus; qui quidem pro peritia qua pollebant ſacrarum Litterarum, adjuncta ut diximus traditione, arque implorata ope Divina, utique illud cognoſcere potuiſſent; quod tamen neglectum eſt ab ipſis. Alloquitur vero Chriſtus vel Pontifices Iudæorum qui legatos ad Ioannem miſerant, vel ſi mavis omnes omnino Iudæos, etſi omnes ſcrutari non poſſent: ut nos facimus Iudæos eoſdem nunc, aut Hæreticos alloquentes, provo-

(*a*) 2. 2. qu. 174. art. 6. (*b*) V. 39. (*c*) XXIV. 25.

canteſque ad Scripturas; non quod præſtare omnes id poſſint; ſed hoc nimirum jubentes, ut qui intelligentia valent Scripturas legant; alii interrogent peritiores. Ceterum eo ipſo loco atque eo *ſcrutandi* verbo obſcuritatem ſignificari, & deſiderari diligentem operam, quam ponere omnes non poſſint, obſervavit Paulus Burgenſis initio operis ſui: imo in explicatione hujus ipſius loci Chryſoſtomus (*a*). Alter locus ad eos ſpectat, qui verſati fuerant in Chriſti ſchola: quare ex rebus ab eo auditis, pervenire facile ad hanc cognitionem potuiſſent. Franciſcus Toletus etiam primum illud Ioannis non imperative, ſed indicative dictum putat; quaſi vox ſit exprobrantis Iudæis, quod cum Scripturas legerent, teſtimoniis de Chriſto non crederent: idque vir do-

(*a*) homil. 41. numer. 1. (tom. 8. pag. 243. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ περὶ αὐτοῦ λεγόμενα πολλῆς ἐδεῖτο τῆς ἐπιμελείας. συνεσκίαστο γὰρ ἄνωθεν συμφερόντως τοῖς τότε. διὰ τοῦτο καὶ διασκάπτειν αὐτοὺς μετὰ ἀκριβείας κελεύει νῦν, ἵνα τὰ ἐν τῷ βάθει κείμενα δυνηθῶσι εὑρεῖν. οὐδὲ γὰρ ἐξ ἐπιπολῆς εἴρητο, οὐδὲ ὑπὲρ τὴν ἐπιφάνειαν ἐῤῥιπτο. ἀλλ' ὥσπερ τις θησαυρὸς ἐν πολλῷ τῷ βάθει κατέκειτο. ὁ δὲ τὰ κάτω κείμενα ζητεῖται, ἂν μὴ μετὰ ἀκριβείας ζητῇ καὶ πόνου, οὐδέποτε δυνήσεται εὑρεῖν τὸ ζητούμενον.

doctus facit autoriſtate Irenæi & Cyrilli. Longius provecti ſumus quam initio putaramus: nec tamen pœnitet. Nam, opinor, conſtabit, quam vere, quam item docte illa ſcripſerit Perpinianus; nempe hoc myſterium paucos admodum ex Iudæis agnoviſse; reliquos quæ Divinis litteris de eo tradebantur non vidiſse: etſi his contraria recens Scriptor magna contentione nuper defendere conatus ſit.

VI. Si liberet omnia perſequi quæ hac oratione exequitur Perpinianus; ex difficili quæſtione in aliam multo difficiliorem atque impeditiorem devolveremur: de myſterii hujus, quæ apud Ethnicos ſcriptores extare videntur, veſtigiis. Ita enim cùm plurimi antiqui PP. tum recentiores Theologi ſentiunt, antiquos Philoſophos, præſertim vero Platonem, nonnulla mandaſse litteris, quæ Trinitatis ſignificatio atque indicatio quædam eſse videntur: atque addunt; hæc illos ex Hebræorum penu deprompſiſse, ſive ex Moſaicis libris. Sed fuere noſtra hac ætate, qui hanc quaſi machinam ad tentandam Catholicam veritatem adhiberent; ex iis ferme, qui cum ſibi impugnandam Chriſti divinitatem ſumpſiſſent, viderentque ſe apertiſſimis Patrum atque antiquitatis totius teſtimoniis urgeri, excogitaverunt aliquid quo auctoritatis hujus pondere ſublevari quodammodo viderentur. Itaque dixerunt, quæcumque in hujus myſterii explicatione PP. tradidere, non illos ex tra-

traditione Majorum ideſt Apoſtolorum & Chriſti doctrina hauſiſſe ; ſed cum Platonicam ſcholam ſectarentur , atque ejus familiæ dogmata eſsent avide amplexati , ad hujus ſcholæ ingenium Catholicam doctrinam conformaſſe ; eorum doctrinam,non tamChriſtianam eſſe doctrinam quam Platonicam : primum auſum id eſſe Iuſtinum ; ceteros deinde Juſtinum ſecutos . Atque hoc nimirum eſt quod docet Auctor libri inſcripti *Platoniſme devoile* ; hoc Ioannes Clericus (*a*) ; hoc quoque , licet Socinianæ factionis hoſtis , ut videtur , auctor diſſertationis(*b*) *de turbata per Platonicos Eccleſia* . Ut hos refutarent Heterodoxos homines , viri Catholici contrarium editis libris diſſertationibuſque defenderunt ; præſertim vero,qui noviſſime Iuſtini opera edidit e Congrega-

(*a*) Ep. Crit. VII. VIII. IX. & Tom. I. Art. Crit. part. 2: ſect. 2. cap. 2. num. 11. *Veteres Chriſtiani qui per aliquot ſæcula Platonici fuerunt cum legerent Scripturam , ut ex ea Religionis Chriſtianæ ſyſtema quoddam colligerent, Platonicas ſuas notiones Scripturæ nationibus ubique miſcuerunt , & quod in Scriptura non legebatur , quodque credi volebant , ex ea deduxerunt conſectariis non ex uno fonte derivatis,ſed ex Platone æque ac Prophetis &c.* n. 2. *Quod ſcriptura de Deo ejuſque natura nos docet ex Platone interpretati erant Veteres,ex Ariſtotele vero Sholaſtici,nunc ex Carteſio multi interpretantur , & ut præterita ſæcula pro ibrida illa Theologia pugnarunt ſcriptis , anathematibus , legibus , edictis, quaſi pro meris oraculis Divinis &c.*

(*b*) I. L. Moshemius num. 48., qui in Prefat. Cudwort ſcripſerat . *Ego quidem ita de hac re agere decreveram, ut ex ipſo Platone, ejuſque recentioribus diſcipulis do-*

gregatione S. Mauri (*a*), atque erudito opere Iacobus Baltus (*b*). Primus duo probat; nec Platonem Christiani dogmatis de filio Dei partem ullam scriptis suis expressisse, nec Iustinum ullo Platonis aut Platonicorum beneficio hac in re usum fuisse. Alter rem longius prosecutus quatuor sibi potissimum demonstranda suscepit; quorum primum est; nequaquam PP. Platonica Philosophia innutritos, neque hanc dominatam in Christianorum scholis, antiquissimis temporibus; uti postea Aristotelicam: alterum, eidem Platonicæ Philosophiæ nunquam Patres adhæsisse, sed contra, eam abjecisse ac damnasse: 3. non eam dumtaxat generatim reprehendisse, sed singula præcipua capita oppugnasse, nihilque omisisse ut Platonis auctoritatem elevarent. Novi librum illum Jacobi Baltus a Moshemio, atque etiam vehementius a Jacobo Bruckero reprehendi *de Philos. vet. Christ.*: sed multa profecto habet quæ illorum temeritatem jugulant. Hîc ajo rem ita componi posse, ut quæ isti statuunt, non omnino contradicant aliorum, quos commemoravi Patrum & Theologorum sententiæ, qui in Pla-

docerem, ignoratione styli Platonici multum a meritissimis viris hic peccatum esse, maximoque discrimine tria Platonicorum principia, tresque Christianorum in Deo personas disjungi.

(*a*) Præfation. part. 2. cap. 1. (*b*) *Defense des SS. Peres accusez de Platonisme.*

Platonicorum scriptis adumbrationem quamdam mysterii Trinitatis sibi plane perspicere visi sunt. Non enim illi, quod Heterodoxi, ac præsertim Cudworthus (*a*) faciunt, Platonicum dogma a Christiano dogmate longius abesse negant; sed solum volam seu vestigium aliquod agnoscunt. Theophilus Raynaudus (*b*) antiquos quidem Philosophos *Trinitatem agnovisse* fuse defendit; sed addit postea, mancam omnino imperfectamque eam fuisse cognitionem. Petavius initio librorum *de Trinitate* Platonis & Platonicorum loca recitans larvam tantummodo nescio quam Divinarum Personarum eos adumbrasse concedit. Thomassinus (*c*) de eodem argumento fusius disserens, proferensque Platonicorum ipsorum loca, necnon quæ de eorum sententiis habent Patres, rem omnem capitibus quatuor perstringit. 1. perfectam & accuratissimam Trinæ Deitatis doctrinam a solo Deo, a Christo, per Traditiones, per Scripturas, per Ecclesiam revelari potuisse: 2. multa ea de re præclarissime tum sensisse tum scripsisse Platonicos Philosophos, & proxime ad nos accessisse: sed id totum a Scripturis illos suffuratos, vel ab Traditionibus quæ cum Scripturis conveniebant. 3. in multis eos prolapsos esse vel vacillasse: consubstantialitati & æqualitati

(*a*) Systemat. intellectual. cap. 4. §. 36.
(*b*) Theolog. natural. dist. 5. q. 2. art. 2. n. 253. &c.
(*c*) De Trinitate cap. 35.

tati trium Perſonarum aliquando viſos ſuffragari, ſed mox nutaſse, nec ſibi ſemper conſtare potuiſse. Denique, omnium optime & nobis convenientiſſime ſcripſiſse de Trinitate Plotinum, Numenium, Amelium, Porphyrium; ſed Chriſtiana Eccleſia jam conſtituta & late propagata: quare indidem illi ſua deprompſerunt. Hinc ergo Catholicorum ſcriptorum diſsentientes illæ opiniones ortæ videntur: quod cum hujuſmodi myſterium exacte Plato non expreſserit; qui ea conſiderant in quibus a vera Chriſtianaque ſententia aberravit, ſtatuunt nihil vidiſse Platonem: contra qui ea ſibi perpendenda ſumunt in quibus Chriſtianorum dogma videtur aliqua ex parte aſſecutus, multum illum vidiſſe jactant, atque id unde habuerit, quærunt. Qui multa in hanc rem utrinque conſcripta legerit, videbit rem ita ſe habere. Nos hic de Perpiniano loquimur; ac primo prudenter eum feciſſe dicimus, qui omnia quæ in hanc rem protulit, ex Patrum libris excerpſit, breviterque ac curſim attigit; nec vero affirmavit aliquid quod, ut diximus, ſummorum Theologorum non ſit opinionibus comprobatum; multa apud Platonem, multa apud Platonicos reperiri, quibus magna pars divinitus nobis traditæ doctrinæ mirabiliter expreſſa videtur; Platonicos qui in Chriſtianorum tempora inciderunt, a nobis mutuantes, & Apoſtolorum, licèt eos contemnerent, auctoritatibus abutentes, dili-

diligentius & apertius quam superiores de trina hypostasi disseruisse. Quod vero Plato & veteres alii ex Hebræis sua hauserint, hoc idem Perpinianus affirmat, atque alii afferunt præstantissimi Theologi. Negavit præ ceteris Clericus (a) usus Lactantii testimonio, qui (b) ad Hebræos Platonem nunquam accessisse asserit. Sed primo cum in Egyptum accesserit, ut ibidem Lactantius fatetur, potuit Hebræorum doctrinæ nonnullam ibi partem hausisse. Nam ab Hebræis Ægyptios cognoscere multa potuisse ac revera cognovisse, nemo inficiabitur, & Justinus in cohortatione ad Græcos tradit. Deinde ab Hebræis omnino rem edoctum Platonem alii PP. affirmant: legantur præsertim Eusebius libro 2. *Evangelicæ Præparationis*, & Theodoretus initio primi *de curandis Græcorum affectionibus*. Neque PP. dumtaxat, sed Iudæi atque Ethnici scriptores idem professi sunt, Aristobulus apud Eusebiũ (c) & Clementem Alexandrinũ (d), Iosephus contra Apionem (e), Celsus (f), denique Numenius, ut Clemens Alexandrinus testatur (g), Eusebius (h), Theodoretus (i), & Hesychius Milesius (k) atque Suidas (l). Aristobuli ac Iosephi autoritatem elevare cona-

(a) Epist. 7. (b) lib. 4. Instit. Div. lib. 4. cap. 2.
(c) lib. 13. P. E. cap 2. (d) lib. 1. stromat. pag. 342.
(e) lib. 2. (f) ap. Origenem lib. 6. contr. Cels.
(g) l. 1. (h) lib. 9. P. E. cap. 6. (i) serm. 2. pag. 502.
(k) lib. de Vit. Philos. (l) v. Νȣμήνιος.

natur Clericus:quod nimirum hoc ſibi demonſtrandum Scriptores illi, propoſuiſsent, Græcos plagii reos eſſe atque ab externis ſua ſubfuratos: quod poſtea Chriſtiani ſcriptores quoque pugnarunt. Sed quæ eſt arguendi ratio? Hoc ſibi demonſtrandum Scriptores illi propoſuerunt: ergo falſa & commentitia attulerunt. Ajo utrumque demonſtrare debuiſſe Clericum; quod facere nullo modo poterat. Nemini ignotum eſt qui ſcriptorum illorum libros legerit, hoc revera opus eos aggreſsos eſse. At nonne verum id erat? cur enim Græci nihil exprobrantibus Chriſtianis atque Iudæis repoſuerunt? Imo conſenſiſse illis certo deprehenduntur; nam conceſſiſse, Philoſophiam ſe ceteraſque diſciplinas a Barbaris accepiſe ex Clemente Alexandrino (*a*) Tatiano (*b*),Euſebio (*c*) conſtat. De Platone, undecumque ab exteris hominibus corraſiſse ſua, ipſe aperte declarat, Ægyptios, & Phœnices nominatim appellans; declarant ejus diſcipuli Pithagoricos addentes atque Heraclitum; teſtis eſt præterea Diogenes Laertius ex Epicharmo multum illum profeciſse atque in hanc rem Alcimi teſtimonium producit. Quid quod Porphyrii locum ex libro I. *de erudito auditu* recitat Euſebius (*d*), in quo Platonem ajebat expilaſse Protagoræ librum *de ente*. Adde Diodorum Siculum libro I. Ci-

(*a*) lib. I. & 6. Stromat. (*b*) orat. contra Græcos. (*c*) lib. 10. P. E. (*d*) ibid. cap. 2.

Ciceronem(*a*)Apulejum(*b*)Valerium Maximū (*c*), Quintilianum (*d*),Plutarchum &c.Ex horumBarbarorum numero,a quibus eruditi sunt Græci,eximit Clericus Judæos. At quo ille jure facit ? quodnam argumentum producit ? quòd nimirum a Barbaris quæ Plato accepit, ut plurimum fabulæ sint, in quibus tenuia quædam vestigia veritatis dumtaxat extent. Nihil præterea PP. asserunt; & Platonem fabulis nugisque veritatem deformasse ac corrupisse tradunt. Audiatur Lactantius (*e*) de reminiscentia & metempsychosi Platonicorum qualem Virgilius exposuit : *Corruperunt, igitur*, inquit, *poetica licentia quod acceperant : vel opinio veritatem per diversa ora sermonesque varios dissipata mutavit. Nam quod peractis apud inferos mille annis, rursus ad vitam restitui cecinerunt, Marone ita dicente :*

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos
Lethæum ad fluvium, Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant
Rursus incipiant in corpora velle reverti :

hæc eos ratio fefellit, quod resurgent defuncti non post mille annos mortis suæ, sed ut restituti

(*a*) lib. 5. de Fin. (*b*) de dogmat. Platon. (*c*) lib. 8. cap. 7. (*d*) lib. 1. cap. 19.
(*e*) lib. 7. cap. 22.

ti rursus in vitam; mille annis cum Deo regnent. Deus enim veniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato, redivivas justorum animas corporibus innovatis ad sempiternam beatitudinem suscitet. Itaque praeter aquam oblivionis vera sunt cetera, quam idcirco finxerunt, ne quis illis opponeret; cur ergo non meminerunt se aliquando vixisse aut qui fuerint aut quae gesserint &c. Alibi (*a*) idem Lactantius *Plato humanam formam θεωειδῆ esse ait, & Sibylla quae dicit.*

εἰκὼν ἔςʼ ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον
ὀρθὸν ἔχουσα:

De hac hominis fictione Poetae quoque, quamvis corrupte, tamen non aliter tradiderunt. Namque hominem de luto a Prometheo factum esse dixerunt: res eos non fefellit sed nomen artificis. Nullas enim litteras veritatis attigerant: sed quae Prophetarum vaticinio tradita in sacrario Dei continebantur, ea de fabulis & obscura opinione collecta & depravata, ut veritas a vulgo solet variis sermonibus dissipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad id quod audierant, carminibus suis comprehenderunt: & mox; *factum esse diluvium ad perdendam tollendamque ex orbe terrae malitiam, constat inter omnes. Idem enim, & Philosophi, & Poetae scriptoresque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime Prophetarum sermone consentiunt... sed videlicet hoc*

S quo-

(*a*) lib. 2. cap. 10.

quoque sic conceperunt ut illud superius, cum ignorarent in quo tempore cataclysmus sit factus in terra, & quos ob justitiam meruerit genere humano pereunte salvari, & quomodo, & cum quibus servatus sit, quae omnia Propheticae litterae, docent. Maluimus Lactantium, cum alios multos possemus, afferre; quod is a Clerico fuerit contra nos productus, quod negaret ad Hebraeos unquam accessisse Platonem. Atque ex hoc postremo loco quid ille senserit, plane perspicitur: scilicet existimasse, cum Prophetarum scripta *in sacrario Dei continerentur*, de hominum sermone ea accepisse externos. Idem & Noster tradit *pag.* 152. *Primo equidem illos homines & parentes generis humani, hanc a Deo nostri amantissimo, magni muneris & beneficii loco accepisse arbitror; multos item postea viros excellentes atque divinos; hos tradidisse posteris, & quasi per manus ad Chaldaeos & Aegyptios per Hebraeos pervenisse; ab his tandem didicisse Graecos.* De hac Hebraeorum traditione superius ex Thomassino nonnihil diximus. Itaque necesse non est, ut ex Hebraeis sua mutuaretur Plato, asserere illum legisse libros sacros, atque eorum librorum versionem antiquiorem versione LXX. inducere; quod nempe versio LXX. facta fuerit anno Periodi Julianae 4430. ex Petavio vel 4437., si Usserii rationes sequimur; Plato vero ex utriusque Chronologi sententia obierit anno ejusdem periodi 4366. Quid si Hebraeos

bræos adhibuit interpretes? quod Augustino placuisse video (*a*). Verũ antiquior ista versio, quæ adeo Clerico displicet, auctoritate non caret; præsertim si non sacrorum omniũ librorum admittamus, sed vel alicujus dumtaxat, vel eorum potius summam aliquam atque epitomen. Primum horum fuse defendit Huetius (*b*) & post Huetium Baltus (*c*): adeundus etiam post Bellarminum (*d*), & Galesinium (*e*) Serarius (*f*), quì contrariis argumentis Baronii præsertim satisfacit. Ceterum, vel ex Hebræorum, sive nationum finitimarum sermonibus, vel e sacrorum librorum lectione Græcos hausisse sua, cùm iidem, quos modo laudavimus, scriptores docent, tum ex eruditioribus Heterodoxis multi. Unum hic nominabo Usserium, qui de Platonis morte loquens (*g*) scribit; *Nota est illa Numenii Pithagorici censura ab Hesychio Milesio commemorata; quod ex Mosaicis libris quæ de Deo & Mundo tradidit subripuerit. Unde illud dictum ipsius celebre, non ab Hesychio solum & eum secuto Suida, sed ante illos etiam a Clemente Alexandrino in* I. *Strom. laudatum* τι γάρ ἐςι Πλάτων, ἤ Μώσης ἀττικίζων; *quid enim aliud est Plato quam Moses Attica lingua*

(*a*) lib. 8. de Civit. cap. 11. (*b*) Demonstr. Evang. proposit. 4. cap. 12. (*c*) lib. 4. pag. 620. &c.
(*d*) lib. 2. de Verbo Dei cap. 5. (*e*) De Bibliis Græcis pag. 12. &c. (*f*) Prolegom. Bibliac. cap. 16. quæstiunc. 2.
(*g*) ad a. P. I. 4366.

gua loquens. *Ex Mosaicis quoque libris pleraque in suos eum derivasse asserit Aristobulus Judæus; ut Justini M., Clementis Alexandrini, Ambrosii, Theodoreti, Joannis Philoponi in Hexaemeron scribentis, & aliorum Christianorum testimonia huc advocare non sit necesse.* Plura hic dici possent de Trismegisto, de Sebethe, atque omnino in hanc totam orationem. Sed fusius in hac re immorari, nec libet, nec vero est æquum: atque hæc solum afferre placuit; ut non eloquentia solùm Perpinianum sed doctrina atque antiquitatis cognitione valuisse constaret. Itque nunc perpetuam exhibebo summam hujus orationis: præsertim cum multa quæ e media Theologia promit, in Petavii, Thomassini, atque hujusmodi Scriptorum libris pateant.

VII. *Pag.* 155. postquam Deo O. M. gratias egit quod mysterium hoc nobis patefecerit, quæ singulis Divinis Personis conveniant docet. *Pag.* 162. subobscura de hoc mysterio testimonia & quasi vestigia in litteris Divinis expressa, sive etiam in publicis Ecclesiæ moribus & institutis recenset; quibus adjungit naturæ quædam id veluti indicantis documenta, in India reperta: quæ tanta in hoc mysterio demonstrando cura, ideo fuisse videtur, quod nullum sit vehementius a rectæ Fidei hostibus impugnatum. *Pag.* 166. aggreditur alteram partem orationis de Ecclesiæ Christianæ consensione: nimirum debere nos

tri-

trinum & unum Deum non ſolum verbo confiteri, ſed & ipſo vitæ genere diligenter imitari; ut quemadmodum Divinæ hypoſtaſes tres ſunt unus Deus, ſic nos etiam unum veluti quoddam ſimus: atque hoc non ad Chriſti diſcipulos tantum, ſed ad nos omnes pertinere. *Pag.* 169. Divinarum Perſonarum naturalem conjunctionem ait tribus potiſſimum contineri; mente, voluntate, efficientia: hanc nobis conjunctionem imitandam: 1. ſententiarum conſenſione; quemadmodum ejuſdem ſectæ Philoſophos quod in dogmatibus conſentiant pro uno habemus; 2. (*pag.* 172.) amore, qui e duobus animis quaſi unum conflat, atque ex hac conſenſione amicitia naſcitur. Addit *pag.* 177. hanc tantam conjunctionem in hominibus univerſis ſine divino aliquo munere exiſtere non poſſe. Atqui hoc nobis beneficium Deus contulit, cum duas dedit virtutes, Fidem & Charitatem. Fides omnem errorem extirpat, qui nos a beata illa immortalique via arcet; Charitas efficit, ut iis omnibus, unde diſſidia atque diſcordiæ naſcuntur, nullus pateat locus. 3. hinc (*pag*, 181.) ait provenire morum conſenſionem & vitæ. Itaque Paulus ad concordiam magnopere hortabatur Hebræos, Corinthios, Romanos, Philippenſes. Ex hoc fonte; quod Fide & Caritate careant, tam multa inter hæreticos homines diſſidia; cum in Eccleſia Catholica conſenſio ſit atque unitas. Hanc ergo vo-

voluntatem animorumque conjunctionem curare summo studio debemus: præcipue vero hujusce rei cura (*pag.* 186.) ad eos pertinet, qui in eo cœtu adsunt. Ecclesiæ enim semper consensionem propositam; sicuti Hæreticis dissidia atque seditiones. Hinc vero Perpinianus de Luthero primum, tum de Calvino & Calvinianorum in Gallia rebus gestis agit, contra quos invehitur. Denique (*pag.* 192.) ad Pium & Cardinales orationem convertit, ut Orbi distracto tot dissidiis succurrant. Insignia vero sunt oratoris nostri verba illa, in extrema parte orationis, & ad veterum perorationum morem composita; *Tendunt, ad vos supplices manus Pannonia & Germania quæ magna ex parte, sic impiorum impetu sunt deformatæ, ut vestigia pristinæ ac veræ Religionis vix ulla compareant: tendit Gallia quæ, amisso prope cognomento Majorum pietate parto, Regem suum a suis pacis conditionem accipientem aspexit: omnes quæ ubique sunt nationes vestram opem expectant, vestrum auxilium ac misericordiam implorant &c.*

§. V.

§. V.

De oratione IX. X. XI. XIII. & XIV.

1. *Narratio Lugdunensis orationis. Antonii d'Albon Lugdunensis Archiepiscopi virtus a scriptoribus celebrata.* 2. *congrediendi cum Hæreticis ratio a Perpiniano servata, eadem quæ veluti compendiaria via ad Hæreticos revincendos a viris doctis laudatur. Duo agumenta in hac Lugdunensi oratione proposita.* 3. *de primo argumento* ab antiquitate; *& primum de antiquitate* doctrinæ: *qua ratione a PP. tractari consuevit.* 4. *de antiquitate* Ecclesiæ *quam, producta Episcoporum perpetua successione, Hæreticis inculcare solent.* 5. *objecta a Calvino, quidque his Catholici DD. respondeant.* 6: *Argumentum hoc præcipue valet ad probandum Ecclesiam non esse apud Hæreticos ex eorum ipsorum doctrina.* 7. *de altero argumento a* Missione, *qua carent Hæretici.* 8. *summa Lugdunensis orationis. Lugdunensium religio & fama. Hispanorum in Hæreticis coercendis antiqua severitas.* 9. 10. 11. 12. *summa orationum* X. XI. XIII. XIV. 13. *De argumentis in his orationibus adversus* Hæreticos *prolatis; & primo de varietate & dissidiis Hæreticorum. Convicia quibus se mutuo proscindunt. De bellis illatis. Chri-*

stia-

stianæ Religionis proprium esse studium pacis. De pace sub Christi ortum. 14. Alia argumenta. Hæreticos mentiri solitos. Quid de hoc eorum vitio Gretserus. Nutrire etiam licentiam turpiter obsceneque loquendi. 15. Deterrima quæque Hæreticos imitari, & vitiosiores Hæresim reddere cultores suos. De Catholicæ Ecclesiæ Sanctitate. Quæ Sanctitas sit nota *Ecclesiæ. Vere Dæmonem Hæresum auctorem dicendum, atquæ Hæreticis adesse.*

I. CONjuncte de his orationibus dicemus, quod idem sit ferme earum omnium argumentum; refutatio pravarum opinionum recens tunc in Gallia nascentium, atque adhortatio ad fidem Majorum servandam. Ex his primam (idest IX.) Perpinianus habuit Lugduni; ceteras Lutetiæ Parisiorum. Lugdunensis meminit Nicolaus Bailly in vita Edmundi Augerii cap. 12. de Augerio scribens: *Roma secum adductum Petrum Perpinianum oratione quæ extat de retinenda veteri Religione jussit præludere coram honestissimo Albonii Antistitis, Mandeloti Prætoris senatus, Cleri, totiusque nobilitatis consessu, cui deinde accedens ter in hebdomada explicatio VI. capitis Evangelii S. Joannis æquali cum auditorum dignitate & frequentia totam civitatem incredibili lætitia profectuque complevit*. Idem vero Perpinianus ad Benedictum Sardum *epist.* 31.

Ad

Ad munus mihi delatum perfungendum (nimirum sacras Litteras interpretandi)*existimavi orationem ante omnia a me haberi oportere, qua Lugdunenses meos ad veterem Religionem retinendam, & rejiciendam falsam recentiorum Hæreticorum doctrinam adhortarer. Hoc enim argumentum & gravitatis multum habere mihi visum est,& ad officium susceptum accomodatum, & , cùm aliquod doctrinæ specimen habere, tum auditoribus nonnihil utilitatis afferre posse: Itaque re cum P. Edmundo* (Augerio) *communicata X. Kal. Octobr. commentari cœpi & scriptitare: nosti hujusmodi in rebus laborem meum; scis quantum contendere soleam ne orationem inanem videar affere. Tum vero accedebant multa, quæ mihi permolesta erant, valetudinis infirmitas, temporis exiguitas, ignoti civitatis mores, ad quos nisi apta esset oratio & ad hominum sensus accomodata, frustra me laboraturum intelligebam. V. Non. Octob. in cœnatione gymnasii nostri quæ amplissima est & pulchre laqueata, detractis ante mensis, dispositisque subselliis, hora post meridiem circiter tertia dixi,magna hominum frequentia duodecimo die postquam meditari cœperam. Adfuit Archiepiscopus qui mirifice diligit Societatem nostram & admiratur; adfuit Prætor quem Archiepiscopus invitarat. Hos cum duos civitatis Principes adfuisse dico, existimare debes, omnes tum ex Clero, tum ex populo vel doctrina vel nobilitate præstantes viros interfuisse;*

ut etsi multi sederent, multi starent, & confertissima multitudo hominum audiret, non tam numerosus tamen ille conventus, quam gravis & honestus videretur. Agendum mihi fuit mollius, quam vel meum ingenium ferebat, vel magnitudo rei postulabat: sunt enim adhuc exulcerati animi multorum, ac ne cicatrices nondum obductæ renovarentur providendum erat. De veteri tamen Lugdunensium gravitate & constantia & religione, novitate istorum hominum & levitate satis multum verborum feci, neque eos tam exagitavi oratione quam sententiarum gravitate fregi. In extrema vero peroratione Archiepiscopum & Prætorem præsentes appellavi; quæ partes ipsorum essent commonefeci; & ad defendendam veram Religionem sum adhortatus, atque ad hoc Collegium tuendum, unde cernerent tanta pietatis adjumenta civitatem universam esse accepturam. Hæc & æquis & vero etiam lætis animis audire omnes visi sunt, nisi si quis forte aderat illis hæreticorum præstigiis omnino captus: quod & silentium tantum, quantum me videre memini; & omnium ora atque oculi in me unum intenti facile declarabant. Hæc de oratione illa sua Perpinianus. De eadem Sacchinus, ubi narravit institutam a Perpiniano Evangelii S. Joannis explicationem, hæc habet(*a*): *cui doctrinæ honestissimo in consessu (Antistes Prætorque cum Senatu & Clero, flosque omnino nobilita-*

(*a*) P. 3. Hist. lib. 1. n. 81.

litatis & sapientiæ Lugdunensis convenerat) *oratione quæ extat de retinenda veteri Religione prolusit*. In indice orationum sæpius appellato habita dicitur *Lugduni in publico gymnasio Societati Jesu commisso, ante sacrarum Litterarum explanationem, præsentibus Archiepiscopo & Prætore V. Non. Octob. MDLXV.* Quis Archiepiscopus esset qui hic nominatur, & Perpinianus mirifice dilexisse Societatem nostram atque admiratum fuisse ait, non omittendum videtur. Fuit autem is Antonius d'Albon illustri genere natus, patre Guillelmo d'Albon S. Ferreoli Dynasta, matre vero Gabrielide *de S. Prieste, de S. Chamond*. Primum Abbas Saviniaci & insulæ S. Barbaræ, postea a Jacobo d'Albon in Regis aulam inductus parē se negotiis quibuslibet gravissimis ostendit. Capto in Sanquintiniano prælio cognato, Lugdunensi agro Prefecto, eique interea temporis substituto D. De Grignan, cum hic paulo post decessisset, urbis illius atque provinciæ præfecturam suscepit. Litteræ ea de re datæ ab Henrico II. A. MDLVIII.; tantoque illum muneri satisfecisse Historici affirmant: cumque ferverent civilia inter Hæreticos homines & Catholicos bella; *ille* (inquit recens auctor Galliæ Christianæ(a)) *animo ac prudentia non mediocri præditus nihil non molitus est, ut Lugdunum Heterodoxorum insidiis subduceret. Et sane D. De Maligni conjura-*

(a) tom. 4. col. 186.

jurationem dissipavit, eumque urbem jam cum copiis ingressum, virtute & exemplo vicit ac fugavit; conceptam ab illo spem delusit; sociorum plurimos extremo supplicio affecit, urbemque Regi conservavit. A. MDLXI. Arelatensis Archiepiscopus dictus est, atque anno insequenti ad Lugdunensem Ecclesiam translatus. In causa fuit jam celebris apud omnes & perspecta hominis virtus. Cum enim illi in Lugdunensi Præfectura suffectus fuisset Franciscus d'Agoust Comes de Sault; hujus operâ, cum Hæreticis faveret, captum est Lugdunum a Calvinianis Prid. Kal. Maii MDLXII. eaque in urbe facinora perpetrata quæ æternamCalvinianæ sectæ infamiam pepererunt. Ergo ad hæc vulnera sananda *Religionis acerrimus propugnator* (hoc enim nomine ab eodem auctore GalliæChristianæ laudatur) revocatus est Antonius: additque idem Scriptor; res quoquomodo poterant restituendas, & reparanda mala curasse. In primis S. Irenæi caput ab ipsis ludibrio habitum, & ab homine quodam Catholico eorum furori subductum, atque humi sepultum, sacra ceremonia magnificoque apparatu sublatum in S. Ioannis ædem intulisse; ac S. Justi templum recens extructum (nam vetus Calvinistæ solo æquaverant) eidem consecrasse: ut omittamus prudentissima atque optima pro Diœcesi suâ decreta scripta, & in Diœcesana Synodo publicata hoc ipso anno quo Perpinianus dixit:

xit: quo tempore adjutorem in Episcopali munere *suffraganeum* ut vocant, habebat Joannem Henrici Damascenum Episcopum, Theologicæ facultatis Parisiis Doctorem. Iisdem laudibus Antonium Lugdunensem Archiepiscopum afficiunt Sammarthani (*a*). Privatim vero Societas huic multum debet, quod ejus operâ eodem anno MDLXV. Collegium Lugduni fuerit constitutum; ut præter Historicos nostros narrat Claudius Robertus (*b*).

II. Nunc antequam venio ad singularum orationum summam exhibebdam, universim dicendum de ratione ac modo quo usus Perpinianus ad Hæreticos refeliendos & Orthodoxos cofirmandos. Hunc ipse declarat oratione XIX. quam postremam habuit de hoc argumento. Ait, qui Religionem unam alteri præponendam esse contenderet, ejus videri has esse partes; ut utriusque inter se capita diligenter & accurate comparet, quò facilius ex contentione quid verissimum sit intelligatur. *Explicanda*, inquit, *erat maculæ ortu contractæ ratio; aperienda voluntatis nostræ vis ad bene beateque vivendum, aut secus; gratiæ divinæ demonstranda necessitas; declarandus justitiæ nostræ modus; quantum in fide, quantum in recte factis momenti sit exponendum; mysteriorum numerus, ordo, natura, usus illustrandus; de Deo, de Christo, de Ecclesia,*

(*a*) tom. 1. Gall. Christ. pag. 334.
(*b*) in Gallia Christiana pag. 85.

clesia, *Divinis de libris*, *de sanctissima Dei Matre*, *de omnibus qui cum Liberatore nostro jam regnant*, *contra male his de rebus sentientes paulo subtilius disputandum*; Hæc scilicet erant præcipua capita, in quibus ab Orthodoxis diffidebant Calviniani; & de quibus dicit visum iri alicui debuisse disputari. Cur vero id ipse non fecerit,& quam viam ingressus sit, ita postea declarat. *Ego enim singularum rerum de quibus exorta dissensio est pleniorem explicationem cernens longiorem esse, quam ut queat paucis non orationibus dico, sed voluminibus comprehendi, statui propria cujusque generis argumenta, mihi esse prætereunda; cum in his tractandis præsertim quamplurimi doctissimique homines & elaborarint jam, & elaborent; illa colligenda tantum in hac adhortatione mea, quæ communia sunt omnium de Religione quæstionum, magnamque vim habere possunt ad multorum animos excitandos.* Hæc vero sunt quæcumque Calvinianum cœtum nequaquam esse veram Ecclesiam prodere possunt. Hanc rationem revincendi Hæreticos laudarunt postea & servaverunt viri docti atque in hujusmodi pugnis exercitati: quorum aliqui (a) *in eo rei cardinem positum esse* dixerunt *ut omnibus disputationibus & controversiis finis facile imponeretur*; alii (b) *centrum* appellarunt

(a) Stanislaus Socolovius *de vera & falsa Ecclesia discrimine* in Præf.
(b) Franciscus Porter *Securis Evangelica* in ep. nuncupat.

runt *ad quod omnes controversiarum lineæ terminandæ sint, ut paucioribus horis Catholicus agonista plus obtineat, quam alius longissimo temporis intervallo*; alii (*a*) neglectis ceteris disputationibus id unum ab Adversariis postulandum extorquendumque imperaverunt. Atque ut ceteros omittam, præsertim vero Bellarminum, qui (*b*) diserte affirmat sublatum iri controversias omnes si in hac una conveniretur, Calvinianæ familiæ princeps Theodorus Beza, de eo maxime, hoc ferme tempore conquerebatur, aliis scilicet omnibus disputationibus omissis, hanc veluti compendiariam viam iniri a Romanæ Fidei defensoribus (*c*): cui Spondæus respondet (*d*); de singulis doctrinæ capitibus disputationes labyrinthos veluti quosdam esse, quibus vix finis inveniatur; discordiarum ignem illis foveri non extingui:

(*a*) Pichler in prolegomen. ad Theolog. Polemic. num. 18. (*b*) de not. Eccl. cap. 1.

(*c*) *On dispute aujourd'huy des vrayes marques de l'Eglise, & de l'authorité d'icelle; venant la question de ceux qui se trouvans trop empeschés à debattre sur leur doctrine, de point en point par la parole de Dieu, se sont advisez d'un plus court chemin, employans contre nous ce tres-sacré nom de l'Eglise qu'ils tirent de leur costé.*

(*d*) Responce du Sieur de Sponde au Traicté faict par Theod. de Beze des marques essentielles de l'Eglise sect. 1. n. 6. *C'est ce court chemin, du quel comme vous dictes, nous nous sommes advisez, pour vous faire oublier ce long chemin de l'eschole. Voz disputes ordinaires sur chasque poinct de doctrine sont des labyrinthes, des quels vous ne sçauriez jamais sortir &c.*

viam igitur hanc brevem facilemque finiendarum controverſiarum non eſſe repudiandam. Sed qui id egregie præſtiterint, docuerintque eam diſputandi rationem tenendam, duo ſunt doctiſſimi clariſſimique Galliæ Antiſtites Jacobus Benignus Boſſuet & Armandus Cardinalis de Richelieu; alter brevi ſed aureo libello contra Claudium ſcripto, alter aliquanto majori opere (a) de faciliori eademque ſecuriori ratione ad Eccleſiam deducendi qui ſe ab ea diſtraxerunt. Hanc igitur viam, eamque, ut vidimus, veſtigiis hominum intelligentiſſimorum impreſſam tritamque ingreditur Perpinianus, ut Calvinianam peſtem opprimat; docetque in eorum cœtu veram Eccleſiam eſſe non poſſe; quod ex his maxime capitibus probat: ex ejus cauſis ſive ex origine; atque ex effectibus fructibuſque quos protulit. *Itaque quam planiſſime veriſſimeque potui*, ait loco quem ſuperius indicavimus, *quibus ex cauſis orta ſit iſta vanitas: quos ipſa ex ſe fructus extulerit; quid ipſi ejus auctores de origine ſenſerint, oſtendi*. Et in fine orationis XIII. uberius idem exponens; *Si quis*, inquit, *me fluctuantem & vacillantem in utramque partem ad veſtram diſciplinam conaretur impellere; ei autem ego proponens dubitationes meas hæc reſponderem: in Eccleſia quam Pa-*

(a) Traitté qui contient la methode la plus facile & la plus aſſeurée pour convertir ceux qui ſe ſont ſeparez de l'Egliſe.

Papisticam vos, adversarii vestri Catholicam appellant, etsi multa sunt mala consuetudine corrupta, manifesta est tamen & illustris a Christo ad nos usque perpetua & continuata successio: vestrae primordia si quaeramus, ad unum aliquem veniemus brevi, qui cui successerit dicere nequeat, a se ortus. Disciplinae illius, detractis iis quae vel malitia vel peccandi consuetudo depravavit, principia & causae honestissimae reperientur & plenissimae dignitatis: vestram a diversis cupiditatibus, avaritia, gloriae aviditate, invidia, ira, odio ortum habuisse, auctores ipsius & principes confitentur. Illa unam eamdemque fidem tot saeculorum spatio servavit; vestra intra paucos annos tot dissensionibus in tam multas factiones discissa est atque distracta, nunquam ut tot sectae fuerint Philosophorum, tamque diversae. Illa mirifice veritatem amat & colit; vestra, cum ipsa per se consistere non queat, fraudibus est atque mendaciis magna ex parte fulta. Illa divinis auxiliis, adversarumque rerum tolerantia non armorum nixa praesidiis, est amica pacis, altrix concordiae, effectrix & conservatrix publicae quietis; vestram, ut nihil dicam aliud, magno orbis terrae malo nimium ferocem experti sumus. Illa resecat, vestra vel opinione falsa, vel bonorum odio, nutrit licentiam turpiter obsceneque loquendi. Illa Haereticorum nonnulla etiam bona fugit, ne qua eorum imitatione culpa contrahatur; vestra quae in illis teterrima fue-

fuerunt ea ardentissimo studio imitatur. Illa sibi obtemperantes meliores reddit; vestræ ut quisque diligentissime paret, ita deterrimus evadit. Vereor sane vehementer, ne sola illa a Deo, vestra a malo dæmone sata sit, & propagata; atque hoc etiam magis, quod id ipsum interdum præseferunt ejus auctores. Hæc ego si responderem ut dixi ei qui me vellet ad vestram vel vanitatem vel Religionem adducere; si unamquamque rem iis argumentis, quibus antea sum usus, confirmarem, quid mihi vos consilii daretis? &c. Hæc argumenta sunt quibus adversus Calvinistas pugnat Perpinianus. Atqui non alia contra eosdem, & Lutheranos, atque id genus hominum, magis inculcant rerum Theologicarum scientes viri, atque in Hæreticis hominibus debellandis præstantes; ut non possimus omnino non mirari egregiam ac singularem nostri hujus doctrinam, qui ea tunc protulit, cum recens erat excitatum bellum, neque accesserat virorum experientissimorum eruditio, qui ea præscriberent, quorum vim ac firmitatem essent multo ante periclitati. Quamquam, si rem, ut est, dicere volumus, non ille hæc primum excogitavit ac de penu veluti suo produxit, sed ex Majorum ac præsertim vetustissimorum Patrum scriptis, in quibus mire erat exercitatus. Sic enim se res habet; ut error sui semper dissimilis, variusque apparet; sic veritas cum una sit, iisdem ferme argumentis nititur ad se tuendam, atque adversariorum vim depellendam. III.

III. Ut planum id faciamus in Lugdunensi oratione, duae sunt illius partes, duoque argumenta proponit retinendæ veteris Religionis, & novæ recentium Hæreticorum doctrinæ rejiciendæ. Primum id ipsum facit; quod antiqua est hæc Religio, quod a Majoribus tradita, & a Christo, ab Apostolis ad nos transmissa; altera vero eorum ipsorum memoria repente exorta. Alterum argumentum repetit ab auctoritate eorum qui sunt Religionis auctores: nullam hanc esse affirmat in novis Doctoribus quod legitima careant missione. Utriusque argumenti vim & quasi aciem breviter exploremus: juvat enim cùm Perpiniani sensa, doctrinamque exponere; tum, quando locus aliquis datus est, fructuosissimum studiorum genus attingere, ejusque specie aliqua juvenibus proposita, ad id eos persequendum inflammare, quo nullum fortasse ipsis honestius aut Ecclesiæ fructuosius possit existere. Ut igitur de primo argumento loquamur, videas possim veteres PP. antiquitatem laudantes & novitatem objicientes Hæreticis. Tertullianus *de Præscriptionibus* (*a*): *Ex ipso ordine*, inquit, *manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum quod sit posterius immissum*: de re vero Catholica loquens scribit (*b*); *posterior nostra res non est, immo omnibus prior est. Hoc erit testimonium ve-*

(*a*) cap. 31. (*b*) cap. 35.

veritatis ubique occupantis principatum. Vincentius Lirinensis in Commonitorio huc advocat, fuseque versat illud Apostoli 1. *Timoth. cap.* 3. *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates,* subdens; *depositum est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod a te excogitasti; res ad te perducta non a te prolata: in qua non auctor debes esse sed custos; non institutor sed sectator, non ductor sed sequens*. Sed nihil necesse est singularia hæc loca ex his antiquissimis PP. afferre; cum vulgo cognitum sit, præstare id toto Commonitorio suo Lirinensem, non ipsum quidem semipelagianum hominem, de quo nullum hactenus allatum est idoneum argumentum, sed sanctissimum, doctissimumque, atque omnis erroris expertem virum. Tertullianum vero hunc veluti scopum præfixisse libro suo de Præscriptionibus, etsi legenti patet, Pamelius (*a*) admonuit & plura alia ejusdem auctoris loca in eamdem sententiam collegit. Ipsi Heterodoxi id fateri coacti sunt. Quare Witakerus (*b*) *Nos, nisi possumus probare nostram doctrinam semper fuisse in mundo Christiano; docuisse eam Christum, docuisse Apostolos, & Ecclesiam etiam quæ Apostolorum tempore fuit, eamdem tenuisse ... nec crimen, nec pœnam deprecamur hæreseos*. Iam vero antiquitatem hanc non habere Hæreticorum dogmata profecto liquet.

(*a*) ad cap. 31. num. 182. (b) controv. 2. qu. 5. cap. 3

quet. Quem enim demonſtrare poſſunt in tota antiquitate, qui eam fidem habuerit quam ipſi invexerunt? De hoc toties a Catholicis interpellati, hactenus facere non potuerunt, ut admonet Cardinalis Richelius (a). Quamobrem cùm novorum Hæreticorum princeps Lutherus eò redatus eſt ut diceret, *a multis ſæculis Fidem extinctam* (b); tum vero Calvinus (c) doctrinam Chriſtianæ Fidei *totam ſepultam atque exploſam* ſuo tempore fuiſſe ſcripſit, & anteactis ſæculis Deum paſſum eſſe homines *altis tenebris immergi, & abſurdis mendaciis ludi*. Verum non id ſolum, ſed præterea ignotam fuiſſe omni antiquitati eorum doctrinam, nullo poſſunt idoneo argumento negare. Itaque aliò vertuntur ut dicant, doctrinam quam a Luthero Heterodoxi palam profeſſi ſunt, ſecreto olim a Fidelibus animo tectam, & quaſi corde reconditam. Verum id non reſpondere ſed illudere eſt; atque, ut tela argumentorum effugiant, id afferere, quod nullo modo probari poteſt: adfuiſſe homines qui crederent illud cujus nullum indicium darent. Cur non illi homines, qui Luthero debacchante contra Romanam Fidem adfuerunt, profeſſi ſunt; ſe id totum

(a) lib. 2. cap. 1. pag. 154. (b) De captiv. Babylon. *jam multis ſæculis Fidem extinxit, ſacramenta obſcuravit, Evangelium oppreſſit*.

(c) epiſt. ad Franciſcum I. nuncup. Inſtit. *Doctrina (citra quam Chriſtianiſmus non conſtat) tota ſepulta & exploſa eſt*.

tum jam antea animo continuisse? se cogitatione sua ac fide comprehendisse? Quid homines dico alios? cum Lutherus ipse, se antea Romanam Fidem tenuisse testetur (*a*); *si quispiam alius, certe ego ante lucem Evangelii sensi & zelavi pro Papisticis legibus & Patrum traditionibus, easque serio ut sanctas, & earum observationem tamquam necessariam ad salutem ursi & defendi. Deinde ego ipse qua potui diligentia conatus sum eas præstare . . . tanta erat auctoritas Papæ apud me, ut vel in minimo dissentire ab ipso, putarem crimen æterna damnatione dignum; eaque impia opinio faciebat ut crederē Joannem Hussitam maledictum esse hæreticum, ut vel de eo cogitare sceleratum ducerem, & pro defendenda auctoritate Papæ ipse ferrum & ignem subministrassem ad comburendum illum hæreticum, & putassem me summum obsequium Deo præstare*. Novitatem itaque doctrinæ Hæreticorum demonstrare facile est; cum alioquin Catholica doctrina debeat esse antiquissima. Quod si antiquitátem ipsam doctrinæ nostræ vindicare velis, non adeo res est in promptu, nisi ad singularia ejus capita descendas: quod, etsi Polemici scriptores faciunt, tamen & infinita res est, & ab ea brevissima via, quam hic quærimus, aliena. Iræneus hoc facit (*b*) producta Episcoporum successione Romanæ Ecclesiæ. Atque ubi eos recensuit, subdit: *hæc ordinatione & suc-*

(*a*) in cap. 1. ad Galatas (*b*) lib. 3. cap. 3.

successione ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eamdem vivificatricem Fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata & tradita in veritate. Atque hoc in recenti temporum Apostolicorum memoria invictum erat argumentum. Nam subjungit ibidem Irenæus, vidisse se in prima ætate sua Polycarpum, qui non solum fuerat *ab Apostolis edoctus*, & *conversatus* erat *cum multis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus*: atque hunc *docuisse semper quæ ab Apostolis didicerat*; quibus quidem testimonium perhibere quæ sunt in Asia Ecclesias omnes, & *qui*, ait, *usque adhuc successerunt Polycarpo*. Aliud argumentum Tertullianus (a) repetere videtur a Fidei unitate. Nam cum sibi objecisset: licet Apostoli veram doctrinam docuerint, nec in tradendo erraverint, errare potuisse Ecclesias quæ eam doctrinam acceperant; postquam docuit, Spiritum Sanctum id nequaquam fuisse permissurum, subdit; *ecquid verisimile est ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*. Bellarminus (b) inter reliquas notas Ecclesiæ hanc quo-

(a) de Præscript. cap. 28. (b) cap. 9. de not. Eccl.

que recensens *conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua*, ubi animadvertit longissimam viam esse multisque calumniis & objectionibus obnoxiam proferendi sententias Veterum, quibus singula nostra dogmata cofirmemus; alteram ipse viam init breviorem & certiorem, nimirum ostendens, ex ipsa Adversariorum confessione, nostra dogmata esse doctrinam omnium Veterum; & contra, dogmata adversariorum habita fuisse in Ecclesia antiqua pro exploratis hæresibus. Ex his primum huc pertinet, satisque est contra Hæreticos demonstrandæ Catholicæ doctrinæ antiquitati.

IV. Est tamen alia antiquitas, quam hic commemorare debemus; quamque adversus Hæreticos inculcare solent; Ecclesiæ nimirum antiquitas. Stricte, si rem uti est expendamus, non idem valet antiquitatem Ecclesiæ, atque antiquitatem doctrinæ affirmare: Ecclesia enim Schismatica antiqua non est; potest tamen de dogmatum antiquitate gloriari. Deinde (quicquid sit de verbis quibus *Ecclesia* definienda sit; qua de re tam multa contra Bellarminum Launojus), liquet profecto Ecclesiam præter doctrinam importare homines ipsam doctrinā professos. Itaque ad antiquitatē Ecclesiæ demonstrandam necesse est præterea ostendere, fuisse ab antiquissimis temporibus homines qui eam doctrinam profiterentur. Hic iterum successio illa Episcoporum locum habet,

het,

bet, de qua mox locuti ſumus. Hanc contra Donaſtiſtas,ut eorum Eccleſiâ antiquiorem eſſe probarent Eccleſiam Catholicam profert Optatus(*a*), atque Auguſtinus (*b*). Et Optatus quidem,ubi ſeriem Romanorum Epiſcoporum contexuit; *Veſtræ Cathedræ*, inquit, *vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare*.Ante hos Tertullianus(*c*), eas Hæreticorum ſectas refutans quæ ſe antiquiſſimas aſſerebant, ita illas laceſſit: *edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit habuerit auctorem & anteceſsorem: Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt*. Sic & Epiphanius non ſolumRomanorum Epiſcoporum (*d*) ſucceſſionem, ſed & Hieroſolymitanorum (*e*) explicat. Idem faciunt Recentiores; & Perpinianus Antiquitatem rurſus contra Hæreticos urgens oratione prima ad Pariſienſes,ſucceſsionem hanc inculcat exemplo *religioſorum*, ut ibidem ait, *doctiſſimorumque virorum*, qui, ut idem teſtatur, multis hac de re libris conſcriptis eò rem deduxerunt, ut novi illi doctores *in hac ſalebra nullo exitu invento ſic hæreant, magis ut miſerandi videantur*,

V

(*a*) lib. 2. n. 3. (*b*) epiſt. 53.
(*c*) de Præſcript. cap. 32.
(*d*) hæreſ. 27. n. 6. (*e*) hæreſ. 66. n. 20.

antur, quam urgendi. Atque ita quidem viri illi docti antiquitatem Romanæ Ecclesiæ eliciunt ex illa succesione, ut Providentiam simul expendant Dei singularem in hac perpetua servanda, tot in Ecclesiam excitatis Persecutionibus atque Hæresibus. Petrus a Soto in *assertione Catholicæ Fidei circa articulos confessionis, nomine Ducis Wirtenbergensis*, oblatæ per Legatcs ejus Concilio Tridentino, die 24. Januarii A. MDLII. *cap. 96.*; ubi allegavit Augustinum scribentem; *tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commisit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum*, subdit: *Si ille* XXXVIII. *Pontificum successiones &* CCCC. *plus minus annorum tanti fecit, quanti nos nunc facturi sumus successionem continuam* CC. *& amplius quam* XXX. *Pontificum usque ad Paulum hujus nominis* IIII; MD. *& amplius annorum*. Eadem est argumentatio Bellarmini, qui (*a*) præterea adnotat, defecisse alias Apostolicas Sedes, in quibus, posteaquam regiones a Barbaris expugnatæ sunt, aut nulla, aut obscurissima succesio fuit. Quod verum esse comperiet, qui virorum ceteroquin doctorum diligentissimorumque opera tractabit, qui præcipuarum Sedium Patriarchalium historiam contexere, atque Episcopos demonstrare conati sunt, Bollandianorum in-

(*a*) lib. 4. de Eccl. cap. 8. num. 2.

inquam (*a*) & Eusebii Renaudotii. Hic in Præfatione ad Historiam Patriarcharum Alexandrinorum, de Antiochenis rebus loquens affirmat, *successionem Patriarcharum ex certis monumentis designari nullam posse, ne Græcorum quidem; cum biulci sint multis in locis eorum catalogi*: & Petrus Boschius, qui in digerendis Antiochenis Patriarchis operam suam posuit, ubi ad sæculum VII. pervenit, testatur rem sibi ad desperationem rediisse quod vel sileant, vel inter se Historici diffideant, vel non suppetant instrumenta, quibus institutus ordo *vel probabili saltem usquequaque conjectura continuari possit*. Idem Renaudotius de Alexandrinis Patriarchis Orthodoxorum in eadem præfatione scribens, *eorum successionem obscurissimam* esse testatus est. Quod Hæretici, atque in primis Calvinus ipse, quod Bellarminus adnotavit (*b*), fatetur in Asia, & Ægypto, & proinde Antiochiæ, Hierosolymæ, & Alexandriæ interruptam fuisse successionem. Constantinopolitanam vero Ecclesiam, quæ una ex Patriarchalibus restat, utcumque ad nostra usque tempora Patriarchas deducat, non constat Apostolicam Ecclesiã esse, sive fundatam ab Apostolis; & nonnullos qui id tradiderunt bene refellit Guillelmus Cuperus (*c*). Addas, eas Sedes sæpe diversarum

V 2 natio-

(*a*) tom. 3. Maji Patriarcharum Hierosolymit., tom. 5. Junii Patriarch. Alexandr., tom. 4. Julii Antiochenorum, tom. 1. Aug. CPrum. (*b*) cap. 8. n. 21. (*c*) tom. 1. Aug.

nationum aut ſectæ homines plures eodem tempore occupaſſe, Græcos, Latinos, Jacobitas, Melchitas &c., ut quis verus ſucceſſor habendus eſſet, non continuo omnibus appareret. At Romanæ Eccleſiæ maxime certa & illuſtris ſucceſſio eſt. Itaque bene eam adverſus Hæreticos ad demonſtrandum veram eſſe noſtram Eccleſiam proferunt Noſtri. Præter laudatum Petrum a Soto, Felicianus Ninguarda in *Aſſertione Fidei Catholicæ adverſus articulos confeſſionis primæ Annæ Burgenſis art.* 10. *&* 13. allato Matthæi loco; *omnis plantatio, quam non plantavit Pater cæleſtis eradicabitur*, hanc ſucceſſionem urget; quod nimirum *impoſſibile ſit*, ut ipſe ait, *quod Deus tantam Romanorum Pontificum ſucceſſionem ſuſtinuerit: ſed tandem ipſis finem impoſuiſſet, quemadmodum omnibus Hæreticorum ſectis, quæ diu perſeverare non valuerunt*. Reginaldus Polus in opere quod conſcripſit *pro Eccleſiaſticæ unitatis defenſione l. 2. p.* 3. Auguſtini auctoritatem ipſe quoque producit quam Soto ſuperius afferebat, qui, *cum ſucceſſionem illam Pontificum Romanorum a Petri exitu ad ſua uſque tempora perpetua ſerie ſibi invicem ſuccedentium percenſuiſſet, teſtatur ad reliqua magna quæ ſe in fide Eccleſiæ retinuiſſent, hoc non minimum vinculum fuiſſe, cum illam nunquam interruptam in tanta rerum mutatione Romanorum Epiſcoporum ſeriem ſæpius ſecum ſumma divinæ providentiæ admiratione conſideraſſet.*

raffet. Hanc etiam fucceffionem affert Stapletonius in *relectione principiorum Fidei* (a), Jodocus Coccius (b) &c.

V. Objicit quidem Calvinus fucceffionem Ecclefiæ Græcæ, quæ fchifmatica cum fit, non eft vera Ecclefia. Atque ob eam caufam ait veteres PP. qui fucceffionem adverfus Hæreticos proferunt, ideo id feciffe illis temporibus, quia conftabat non fuiffe mutatam fidem & religionem in Ecclefia Romana. Huic argumento de Ecclefiæ Græcæ fucceffione jam fupra refpondimus, refponditque hic (c) Bellarminus; aliunde nos probare apud Græcos non effe Ecclefiam; quia nimirum convicti funt legitime in tribus plenariis Conciliis, Lateranenfi, Lugdunenfi, & Florentino de fchifmate & hærefi; ac præcipue de hærefi quoad proceffionem Spiritus Sancti a Filio, quam effe manifeftam hærefim Lutherani & Calviniftæ etiam confitentur. Quod PP. pertinet, idem Bellarminus ita Calvinum redarguit: vel intelligit Calvinus eo tempore conftitiffe Catholicis tantum, vel Catholicis & Hæreticis, in Romana Ecclefia non effe mutatam Religionem: fi primum, hoc quoque tēpore id pro certo exploratoque habent viri Catholici; fi alterū dicit, falfum dicit: nulli enim fuiffent Hæretici fi femper omnes putaffent effe in Romana Ecclefia veram Fidem.

(a) controv. 1. qu. 4. art. 2. (b) lib. 8.
(c) cap. 8. n. 22.

dem. Donatistæ etiam, ut ex Optato & Augustino constat, Romanam Ecclesiam oppugnabant. Alibi (a) de antiquitate Ecclesiæ differens Bellarminus, non esse Fidem & Religionem mutatam ita probat; quod in omni mutatione Religionis semper ista sex demonstrari possint; primo auctor ejus. 2. dogma aliquod novum. 3. tempus quo cœpit. 4. locus ubi cœpit. 5. quis eam oppugnaverit. 6. exiguus aliquis cœtus qui paulatim aliis accedentibus crescere cœperit. Hæc de omnibus quidem Hæresibus demonstrari possunt, de nostra Religione non possunt. Nam nec auctor defectionis, sive mutationis nec tempus certum profertur: assignant quidem ætatem, sed nec in ea iidem consentiunt, imo mire variant, nec certum annum proferunt, & nullam suæ assertionis rationem habent: quod patet legenti Wolfangum Musculum *in locis c. 12.* ubi *abhinc omnis circiter quadringentis* doctrinam Apostolicam palam corruptam esse clamat; Lutherum *in supputatione annorum mundi* scribentem, *abhinc fere sexcentis*. Illyricum in præfatione *catalogi testium veritatis* affirmantis, *abhinc fere mille*, circa tempora nimirum S. Gregorii; qui tamen, ut ex epistolis ejus constat, cum omnibus Ecclesiis atque Episcopis communicavit. Idem de dogmatibus ac loco. Quis vero eam oppugnaverit tamquam nuper ortam, & quæ Concilia

(a) cap. 5. n. 2.

cilia contra eam celebrata fuerint, proferre non possunt. Præterea nullo modo ostendunt aliquando nostram Ecclesiam segregasse se a majore aliqua Ecclesia, ita ut qui Romanæ Sedi adhærebant paucissimi essent, reliqui Christiani multo plures. Optime etiam illustrissimus ille Romanæ Religionis defensor Edmundus Campianus in aureo libello qui *rationes decem* continet, *quibus fretus certamen adversariis obtulit in causa Fidei* Ratione VII. ex Historia petita. *Dant nobis*, inquit, *Adversarii, nec aliter possunt, fuisse Romanam Ecclesiam aliquando sanctam, Catholicam, Apostolicam tum cum hæc a D. Paulo promeruisset elogia, vestra Fides annuntiatur in universo mundo &c. Quando igitur hanc fidem tantopere celebratam Roma perdidit? quando esse desiit quod ante fuit? Quo tempore, quo Pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis, urbem & orbem Religio pervasit aliena? quas voces, quas turbas, quæ lamenta progenuit? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam nova sacramenta, novum sacrificium, novum Religionis dogma procuderet? nullus extitit Historicus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam vel obscure jaceret in commentarios?* Idem argumentum egregie illustrat Gregorius de Valentia (*a*): *Quis nunc credat* (ait ille), *fieri*

(*a*) *De rebus Fidei hoc tempore controversiis* lib. 6. cap. 12.

fieri his temporibus posse ut vel Pontifex aliquis Romanus, vel alius quisquam, ejusmodi ritus immolandi animalia vel adorandi serpentes, contra Christi Apostolorumque doctrinam in Ecclesiam inducat, tum Spiritu Sancto connivente, tum eadem ipsa Ecclesia Catholica per cunctum orbem & consentiente, & plane dissimulante, neque notante quidem ad memoriam posterorum talē Christianæ atque Apostolicæ doctrinæ depravationem? Quod si hoc accidere posse incredibile est; quomodo credi potest id ipsum jam ante evenisse? Quomodo, inquam, est verisimile, & sacrificium Missæ v. g., atque adeo ritum vestium sacrarum & templorum, & morem venerandi imagines ac Divos invocandi, æque, ut æstimant Sectarii, Apostolicæ doctrinæ contrarium esse atque immolandi animalia ritum; & tamen in Ecclesiam per cunctum orbem sic esse introductum, ut neque repugnaverint in ea re unquam Christiani populi, neque posterorum quidem memoriæ cum observatione personarum & temporum talem corruptelam religionis prodiderint? Porro, si hoc in uno etiam vel altero dogmate factum esse, incredibile apparet, quanto id videri debet incredibilius, si res omnes cumules hodie controversas, in quibus sectarii criminantur Ecclesiam Catholicam comuni errore ab Apostolorum institutis doctrinaque recessisse.. Addas his quæ multa ad hanc rem disputat Stapletonius (*a*), ubi, doctrinæ suc-

(*a*) loco laudato

successionem a successione legitima personarum esse *prorsus indivulsam. ideoque data successione legitima, indubitate sequi veram doctrinam*, probat ex Matthæi verbis; *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, aliisque argumentis. Nec vero prætereundum hoc loco quod narrat Florimundus Ræmundus de Beza & Ministro quodam Helvetico, scribens (*a*); *quodam die, cum Beza textum ex cap. Act. Apost.* 11. *de S. Stephano explicaret, tandem ad Apostolorum successiones delapsus inquit: quod si Adversarii rogent, ubi sit apud nos illa successio & S. Petri Sedes? mittamus omnino hanc quæstionem, cum negare non possimus personalem hanc successionem velut de manu in manum traditam penes Papistas esse. Paulo post ad Bezam revertitur Minister ille: ecquid novi haberet rogatus; mirabile quid, inquit ille. Tum Beza; quidnam, aut a quo? Tum ille; certe a te ipso Domine: dixisti enim Apostolicam successionem penes Papistas esse, inde a S. Petro ad hæc usque tempora continuato ordine. Quod si ita est; ergo nos sumus Schismatici. Ibi Beza; habent illi, inquit, successionem personalem, nos vero doctrinæ. Quomodo vero, ajebat Minister, personalis successio a doctrina separari possit? ubi ergo illa capita sunt, in quibus hæc doctrina residet? quinam illi erunt Pastores ad ovile legitime vocati? Tandem abrupto sermone, ne*

X cir-

(*a*) part. 2. Hist. Hæres. lib. 8. cap. 5. num. 6.

circumstantes offenderentur, bonus ille vir, probe omnibus trutinatis ad Sillerium reversus animi sui scrupulum ei exposuit, Lutetiamque primum ad Pontificis Legatum Cardinalem Florentinum, ac demum A. MDC. Romam profectus a S. D. N. Clemente VIII. Pontifice cum LXXVI. aliis ad Catholicæ Ecclesiæ communionem receptus fuit; tandem vero in Vasconiam venit, quòd patrium solum ei interdictum esset; qui mihi ipse conversionis suæ, cujus prima fundamenta ipse Beza jecerat, historiam narravit.

VI. Quamquam hæc commode dicantur, nobis idem videtur quod Bellarmino (*a*); hujusmodi argumenta valere præcipue ad probandum, veram Ecclesiam non esse apud Hæreticos: ex quo & illud eadem opera conficitur, illam apud nos esse constituendam. Ita enim, quod Cardinalis Richelius animadvertit (*b*) cum Hæreticis contendimus; ut in eo conveniamus; alterutram esse veram Ecclesiam vel eorum vel nostram; ut si una falsa convincatur, continuo concedendum sit, alteram esse veram. Falsam vero esse Hæreticorum illam, ita ab antiquitate quæ Ecclesiæ debetur, evincimus. Constat veram Ecclesiam fuisse a Christo fundatam, atque ita fundatam, ut perpetuo duratura sit, quin contra eam Inferi portæ prævaleant; ideft hominum aut Dæmonum existere vis tanta possit quæ eam per-

(*a*) cap. 8. de not. Eccl. n. 22. (*b*) lib. 2 cap. 1.

perdat. Conſtare hoc ajo; quod ipſi tandem Adverſarii fateri coguntur, refutatis apertiſſime calumniis & tergiverſationibus quibuſdam a nonnullis eorum productis. Quare Spalatenſis (*a*), *Certum eſt*, inquit, *Eccleſiam Chriſti in terris ab ipſo Chriſto uſque ad finem mundi duraturam, & nunquam defecturam. Quod ſi aliqua Eccleſia tota aliquando defecit, aut interrupta eſt, vel ſit defectura, vel interrumpenda, illa profecto non eſt Eccleſia vera Chriſti*. Hanc etiam perpetuitatem Confeſſionibus ſuis Hæretici fatentur (*b*). Si ergo Hæreticorum Eccleſia recens fundata ſit, ſequitur non eſſe Eccleſiam veram & a Chriſto fundatam. Jam vero ita eſſe, & recens extitiſſe, ac patrum pene noſtrorum memoria fundatam, probamus ex eorumdem Hæreticorum teſtimoniis. Nam in Confeſſione Fidei Gallica (*c*) dicitur: *quoniam interdum, ut noſtris etiam temporibus, interrupto Eccleſiæ ſtatu, neceſſe fuit nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui Eccleſiæ collapſæ ruinas inſtaurarent &c.* Inſtauratores etiam Eccleſiæ paſſim a ſuis appellantur Lutherus, Calvinus &c. . Danæus (*d*); *ſed agit Sturmius de primis illis Eccleſiæ inſtauratoribus, de ipſo Martino Luthero, de Philippo Melanchtone &c.* Hoſpinia-

X 2

(*a*) lib. 7. de Rep. cap. 10. num. 47.
(*b*) Vide Syntagma Confeſſ. Fidei pag. 31. 118. 141. &c. edit. Genevæ MDLXIV. (*c*) ibid. pag. 84. num. 31.
(*d*) in Apolog. pro Helvet. Eccl.

pinianus (*a*) ; *secessio inter Lutherum, Zuinglium, & Oecolampadium primos Evangelicæ veritatis & doctrinæ instauratores facta est*. Vulgo etiam omnes, eorum Ecclesiam ex illis profluxisse docent, Sadeelius (*b*), *Num enim, cedo, vel Judæi, vel Turcæ, vel Barbari ac profani homines de reformanda Ecclesia primi verba fecere, ac non potius viri gravissimi doctissimique Ecclesiæ Pastores & Doctores, quales fuerunt Wiclefus, Lutherus &c. ex quorum fontibus Ecclesiæ Germanicæ, Helveticæ, Sabaudicæ, Gallicæ, & innumerabiles aliæ profluxerunt* ? Calvinus ipse (*c*) *cum Deus initio Lutherum, & alios excitavit .... quorum ministerio fundatæ sunt & institutæ nostræ Ecclesiæ*. Quod quidem cum dicunt, nemo putet levem illos dicere mutationem aliquam, aut, quemadmodum vocamus, *accidentalem*. Id enim ab ipsis quæro ; *essentialisne* sit, an non ? si essentialem negant, male ergo se ob hujusmodi caussam ab Ecclesia Romana segregaverunt, male discessionem fecerunt ; male nunc quicquam cum ea sibi esse negant. Si *essentialem* dicunt ; cum, ipsis fatentibus, iidem illam induxerint ; extitit per ipsos nova Ecclesia a Romana, idest Catholica, essentialiter diversa ; eorum Ecclesia ab ipsis fundata, ab ipsis

(*a*) part. 2. Hist. ad A. 1534.
(*b*) de legitim. vocat. Ministr.
(*c*) Suppl. exhortat. ad Carolum V. pag. 37. (tom. 8. Oper. edit. Amstel. 1667.)

ipsis excitata tunc est: ergo est recens, nova, neque illa, quam ante mille & quingentos ferme annos Christus instituerat. Quo loco repetendum est quod supra diximus, Ecclesiam necessario importare homines doctrinam profitentes. Quod quidem ipsi adeo verum credunt, ut in Gallica Fidei Confessione (a) negent ullam esse Ecclesiam, ubi *professio obedientiæ* non est, quæ debetur verbo Dei; atque eos omnes qui nobiscum communicant, & Ecclesiasticos conventus nostros celebrant, asserant *a Christi corpore se ipsos separare*. Itaque hic locum non habent quæ de occultis electis ingerunt; quæ quidem etiam superius a nobis refutata sunt. Addas, Patrum argumenta sic eludere potuisse omnes eorum temporum Hæreticos. Aliter etiam argumentum ab Ecclesiæ antiquitate urgeri potest, posito illo quod superius dicebamus; alterutram Ecclesiam vel nostram vel Hæreticorum veram esse, alterutram falsam. Nam certum esse debet, ex his Ecclesiis veram esse eam quæ altera est antiquior: antiquiorem vero esse Romanam Ecclesiam Ecclesiâ adversariorum, ipsi te-

(a) num. 28. (Syntag. Confess.) *Simul etiam palam affirmamus, ubi Verbum Dei non recipitur, nec ulla est professio obedientiæ, quæ illi debetur, nec ullus Sacramentorum usus; ibi proprie loquendo non posse nos judicare ullam esse Ecclesiam. Papisticos igitur conventus damnamus &c. Ac proinde arbitramur omnes eos qui sese ejusmodi actionibus adjungunt, & iis communicant, a Christi corpore se ipsos separare.*

teſtantur;cum ſe vel Eccleſiam ſuā de Romana prodiiſſe affirmant. *Ab ipſorum Eccleſia receſſimus* (*a*), inquit Calvinus; atque alibi (*b*), *ab ea diſceſſimus*. Cui alii conſentiunt, Paræus (*c*) *Evangelica Eccleſia ab Eccleſia Antichriſtiana Papatus ſeparatur, & ab eadem ante annos 96. ſeceſſionem facere coacta fuit*: rurſuſque idem (*d*); *diſcite quid ſit Papatus & quam neceſſarias ab hinc annis 97. Majores noſtri habuerunt cauſas ab illo recedendi*. Schluſſelbius (*e*); *cur Majores noſtri ab Antichriſti Pontificis Romani Eccleſia ſeſe hoc noſtro ſæculo ſegregare voluerint ac debuerint &c.* Labechius (*f*); *erat confeſſio noſtra Auguſtana ſymbolum totius Orthodoxæ Eccleſiæ a Babylone Romanæ egreſſæ*. Si vel ipſi, vel eorum Eccleſia a Romana profecta eſt, ergo hæc erat illa antiquior. Longius ſermonem non proferam ad ea refellenda quæ recentiores Hæretici producunt: memini enim me non Theologum hic agere, aut ad Hæreticos revincendos ſcribere tractationem; ſed Perpinianæi argumenti vim explorare, atque adoleſcentibus huic pugnæ generi inſuetis declarare; quod quidem argumentum ab antiquitate Perpinianus advocavit; noſque ad id declarandum protulimus quæ ab eorum temporum viris Catholicis proferebantur.

VII. Re-

(*a*) lib. 4. Inſtit. cap. 2. §. 6. (*b*) cap. 6. §. 1.
(*c*) in proem. lib. de juſt. (*d*) ſub fin.
(*e*) in epiſt. nuncupat. ad catal. Hæret. (*f*) diſp. 12.

VII. Restat alterum ab legitima Missione petitum, qua carent Hæretici. Versarunt hoc uberrime Hadrianus & Petrus de Walenburch in *Examine principiorum Fidei*, ac deinde contra Hermannum Conringium: præterea Thomas Stapletonius *Controvers. II. Quæst. IV. de vocatione & electione ad legitimam successionem necessaria*, Cardinalis de Richelieu *lib. 2. c. 3.* denique quicumque de illa, quam supra protulimus, successione disputarunt: est enim res illi rei affinis, & conjuncte cum eo argumento proponi potest, vel seorsum, ut hic facit Perpinianus. Quacumque ratione fiat, est revera argumentum hujusmodi quod eludere Heterodoxi nullo modo possunt. Nam primo statuendum est, quod nemo negat; ad munus aliquod rite obeundum, vocationem requiri, sive titulum, qui auctoritatem eam præstet, quæ est, ut quis eo munere fungatur, necessaria. Id verum est & in civili Reipublicæ administratione; nam titulo hoc remoto, non rex aut dominus, sed tyrannus existit:& in Ecclesia regenda prædicandoque Evangelio ac Sacramentis administrandis qui se ipsos ingerunt, latronum furumque nomine a Christo notantur; cum *non intrent per ostium, sed ascendant aliunde*. Hinc necessitas exsurgit *Missionis*; ut quis Ecclesiæ Pastoris muneribus defungi possit, Evangelii inquam, prædicatione, & administratione Sacramentorum. Extant adeo plana, adeo

aperta Scripturæ testimonia ut dubitare de ea re non possimus: *non mittebam Prophetas (a) & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. (b) Quomodo prædicabunt nisi mittantur. (c) Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Duplex autem Missio distingui potest; quæ communis est & *ordinaria*; & quæ singularis dici solet & *extraordinaria*. Hæc postrema Deum auctorem immediatum habet; atque hac ratione missus Moyses, Elias, aliique Prophetæ, atque Apostoli; imo de se Christus testatur; *a memetipso non veni, sed est Pater qui misit me*. Communis illa, habetur per homines qui legitima auctoritate pollent alios mittendi. Christus primo modo Apostolis *Missionem* contulit, cum ad eos dixit (*d*) *ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: atque alibi (*e*); *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*: & rursum (*f*); *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Qui ab Apostolis & Apostolorum successoribus consequentibus temporibus missi sunt, ii *ordinariam Missionem* habuerunt: & harum Missionum frequentissima exempla sunt in Actis Apostolicis, atque in Ecclesiastica historia universa. Sic Stephanus, Philippus, Procho-

(*a*) Jerem. XXIII. 21. (*b*) ad Rom. X. 15.
(*c*) Hebr. V. 4. (*d*) Matth. X. 16.
(*e*) Matth. XXVIII. 19. (*f*) Marc. XVI. 15.

chorus aliique Diaconi ordinantur & Missionem accipiunt ab Apostolis, qui sunt Episcopi (a). Ita & Presbyteri Lystræ, Iconii, & Antiochiæ ordinati sunt, Missionemque habuerunt a Paulo & Barnaba (b). Timotheus quoque Ephesi constitutus Episcopus, ipse aliis ordinationem impertivit & manus impositionem; quod *cito* ne faciat, idest temere, vetat, Paulus (c). Post Apostolorum tempora Ordinationem & Missionem cùm Episcoporum tùm Presbyterorum factam per Episcopos, ex antiquis Canonibus constat (d), ad quam conferendam impositio manus adhiberi solebat; quæ ceteroquin ad alias quoque res sive usus adhibebatur. Hinc Timotheo Paulus (e) *admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Hoc igitur discrepat vulgaris & ordinaria Missio, ab extraordinaria; quod etsi utraque provenit a Deo, qui solus per se mittere potest; tamen extraordinaria a Deo ipso immediate provenit; ordinaria confertur per homines, quibus potestas collata est alios mittendi & ordinandi; ut planum fit exemplis, perpetuoque Ecclesiæ instituto. Rursus extraordinaria Missio dispesci in duo genera potest; quorum alterum veluti *primitivum* sive *originarium* dici potest, alterum *subalternum*. Primitiva Missio est quæ

(a) Act. VI. 5. &c. (b) Act. XIV. 22.
(c) ad Timoth. I. V. 22.
(d) V. Can. 1. & 2. Apost., Nicænum 4. &c. (e) II. 1. 6.

quæ datur a Deo ad legem novam condendam, aut novum sacerdotium fundandum, aut ferendam novam doctrinam; qualis Missio Moysis fuit; Missio Christi, atque Apostolorum. Subalterna primo datur ad vitia emendanda, quæ in Ecclesiam jam constitutam irrepunt: hujusmodi Missio Prophetarum fuit in veteri lege. Deinde etiam confertur ad infideles traducendos ad cognitionem veræ Fidei, aut ad eos revocandos qui Fidem deseruerunt: sic Elias missus adversus Prophetas Baal certavit, fallaciasque eorum, populum docuit. Quamobrem Missio hæc extraordinaria subalterna advenit, Ecclesia jam constituta altero Missionis genere primitivæ atque originariæ. Age vero, cum Hæreticis congrediamur, & quam isti habuerunt Misionem exploremus. Antea tamen duo eorum genera secernemus: primum eorum, qui principes ipsi ac duces signum extulerunt ad Ecclesiæ quam ipsi dicunt emendationem; quique Catholicæ, Ecclesiæ, Apostolicæ, Romanæ jugum abjecerunt; quales Lutherus, Calvinus, aliique, qui in Ecclesia educati, & ejus gregis Pastores ordinati, in lupos evaserunt: atque alterum genus eorum qui his se adjunxerunt, & ab his misi sunt, ut male cœptum opus, mali ipsi structores persequerentur. Nos hic adversus primum illud genus præcipue agimus; nam si illi vera Misione caruerunt, Pastores utique veri non fuere; neque alios mittere potuerunt; atque

ita

ita argumentamur. Misio omnis legitima, aut extraordinaria eſt, aut ordinaria: Lutherus, Calvinus, ceterique primi Eccleſiæ correctores neutram ex his Miſsionem habuere;carent ergo legitima Miſsione, neque veri emendatores Eccleſiæ ſunt, ſed fallaces, doloſi, mentitique correctores, ſive depravatores potius. Novi equidem nonnullos eorum, tertium quoddam genus Miſsionis comminiſci inter utrumque medium,quod mixtum appellant, & Luthero ac Calvino tribuunt; ſtatuuntque in motu quodam interiori Spiritus Sancti, quo ductos eos ajunt ad annunciandum Evangelii verbum quod corruperant Paſtores, a quibus neceſſario ſegregare ſe debuerunt. Sed facile eſt commenti hujus auctores refutare.Nã Miſſio hæc, vel genus Miſsionis conſtituit ab illis de quibus diximus diſtinctum, ita ut neutra ſit earum, quoad *eſſentialia*; vel nihil eſt aliud quamMiſſio ex utraque illa Miſſione conſtans. Primum dici non poteſt: eſſet enim Miſſionis genus quæ neque a Deo immediate proveniret, qualis Miſſio extraordinaria, neque mediate a Deo per homines, qualis eſt Miſſio ordinaria;nullatenus ergo a Deo eſſet:nam niſi alterutro modo, eſſe non poteſt, aut mediatè, aut immediate;neque inter hæc duo excogitare eſt aliquid mediũ. Miſſio vero quæ a Deo non eſt,repudianda omnino eſt. Alterum ſi dicunt, magnum onus ſumunt argumenta omnia ſolvendi quæ contra utramque Miſſionem intorquen-

quentur. De his igitur nunc; probamusque extraordinariam illam Missionem, quæ immediate a Deo, profluit, nequaquam Lutherũ aut Calvinum habuisse. Extraordinaria Missio quæcumque sit niti debet testimonio divino, idest vel Scripturis sanctis, vel rebus miris: nihil horum habuere Lutherus & Calvinus; cum Scriptura nullibi de eorum Missione loquatur; ipsi vero miram rem nullam patraverint; ergo nullam jactare possunt extraordinariam Missionem. Quod extraordinaria missio tale testimonium habere debeat facile probari potest. Missio quælibet extraordinaria, censenda est vana atque inutilis, nisi probetur demonstreturque illis quibus fit: non enim eum qui ita mittatur audient, nisi is hoc illi demonstret testimonio expresso & divino, extraordinario modo ad eos esse missum: quod quidem testimonium aliud esse non potest, quam mirum aliquid, aut Scripturæ testimonium. Sic ex Scriptura Missio Jeremiæ declaratur: *Antequam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te*(a). Ex eadem Scriptura de Missione Joannis Baptistæ constat. Nam Malachiæ III. 1. *ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam*; cui adjungendum Christi ipsius testimonium (b). *Quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scri-*

(a) Jerem. 6. 5. (b) Matth. XI. 9.

scriptum est: ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit faciem tuam ante te. Christus ipse Missionem suam ex Scripturis probat (*a*); *scrutamini Scripturas: ipsæ enim testimonium perhibent de me.* Alterum extraordinariæ Missionis testimonium, est res quædam mira ab omnibus visa atque cognita; quæ cum opus Dei sit, vox etiam Dei dicitur, juxta illud (*b*); *Posuit in eis verba signorũ suorũ & prodigiorum in terra Cham.* Hoc testimonii genus in Missionibus omnibus extraordinariis adhibitum est, quas in sacris Litteris legimus; ut in Moyse (*c*), in Elia & Eliseo (*d*) &c. Quamobrem Hieronymus explicans Isaiæ illud (*e*) *Tibi autem hoc erit signum; comede hoc anno quæ sponte nascuntur &c.*, docet, idcirco apud populum fidem invenisse Prophetas, quod futura prædicerent, neque ea solum quæ multo post accidere debebant, *sed etiam quæ in continenti & post non grande temporis spatium essent implenda.* Rupertus sub finem prologi ad Oseam, idem fusius explicat; traditque hac nota intelligi potuisse, qui veri essent, qui falsi Prophetæ. Christus ipse Missionis suæ argumenta non contentus e Scripturæ testimoniis depromere, e miraculis etiam accersivit; atque ab illo dictum memoratur (*f*). *Si opera non fecissem quæ nemo fecit unquã, peccatum non habe-*

(*a*) Joan. V. 39. (*b*) Ps. CIV. 27.
(*c*) Exod. cap. 3. & 4. (*d*) ex libris Reg.
(*e*) cap. 37. v. 30. (col. 465. t. 4.) (*f*) Joan. XV. 24.

haberent. Joannes nullum quidem ſignum feciſſe dicitur in rerum teſtimonium quas docebat: multæ tamen miræ res acciderunt ad faciendam fidem ejus Miſſionis. Nam præterquamquod ex matre ſterili natus eſt, atque ejus in utero exultavit; pater ejus Zacharias mutus ſubito factus; ac linguæ uſum poſtea repente accepit, necnon Prophetiæ donum cum Eliſabetha uxore: quæ quidem ita erant vulgo cognita, ita omnium animos perculerant, ut, quemadmodum Lucæ I. narratur, mirati ſint univerſi, fieretque timor ſuper omnes vicinos eorum, ſecumque reputarent *quis putas puer iſte erit*? Eò igitur redimus, ut hæc extraordinariæ Miſſionis indicia in Luthero & Calvino poſtulemus. Sunt qui Scripturæ teſtimonia aſſignant; quod in Apocalypſi (*a*) habetur de duobus teſtibus qui adverſus Antichriſtum ſurgent & prophetabunt: Antichriſti autem nomine Pontificem Romanum interpretantur; Prophetaſque illos intelligunt Lutherum & Calvinum: Miras etiam res aſſignant, nimirum tot gentium, & populorum defectionem a Romana Fide. Sed quod teſtimonium pertinet petitum e ſacris Litteris; mirum eſt, homines, qui ſe omnia apertiſſimis teſtimoniis Scripturarum probaturos clamant, hæc afferre quæ aperte illis nocent. Nam primo nec perſonarum deſcriptio, quæ ibi habetur, Luthero & Calvino convenit, nec tem-

pus

(*a*) cap. XI.

pus definitum diebus mille ducentis ſexaginta. Deinde ad eorum Prophetiam confirmandam res omnino admirabiles contingent. *Et ſiquis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum* (a). Hoc paſſi non ſunt Lutheri & Calvini aliorumque principum Hæreticorum inimici. *Hi habent poteſtatem claudendi cælum ne pluat diebus prophetiæ ipſorum; & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcumque voluerint*. Num hoc aliquando perfecit Lutherus aut Calvinus? Additur; cum occidentur, *poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem; aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube & viderunt illos inimici eorum*. Quis ita vidit in cælum ſublatos Calvinum & Lutherum? *Et in illa hora factus eſt terremotus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia*. At in eorum Hæreticorum morte hæc contigiſſe nullus hiſtoricorum prodidit. Antichriſtum vero eſſe Pontificem Romanum, etſi impudentiſſime Hæretici confinxerunt, tamen & invictis argumentis a Catholicis refutatum eſt; & Antiquorum omnium interpretatio cùm de ipſo, tum de duobus illis Prophetis aper-

(a) v. 4.

aperte contradicit. Iam vero defectio illa plurium populorum si Lutheri extraordinariam Missionem probat; eadē probare hanc posset in omnium Hæreticorum improbissimo Ario, eadem etiam in impostore omnium maxime nefario Mahomete. Si Lutheri & Calvini prædicatio eadem fuisset atque illa Apostolorum; si non indulgendum esse voluptatibus, cessandum a jejūniis, castitatis vota abjicienda, peccatorum confessioné omittendam, sed carni & sanguini obsistendum, corpus vigiliis & voluntaria omni afflictione attenuandum, mortem prius subeundam quam culpæ ulli consentiendum, indixissent; res aliquomodo mira videri posset, multos statim populos ad eam doctrinam amplectendam confluxisse. Quid autem mirum habet, eosdem a severissima disciplina ad voluptuosam revocasse? Atque hæc de extraordinario illo genere Missionis; quod quidem Lutherus & Calvinus sibi tribuunt. Nam alterum genus idest ordinariam Missionem, quæ per homines fit, se non habere, facile nobis concedunt. *Opus ministerii bujus*, inquit Lutherus (a), *ad quod vocatus sum a Deo, quod non accepi ab bominibus. neque per bominem, sed per donum Dei, & revelationem Jesu Christi.* Idem habet Calvinus b) asserens; ut olim *extraordinario Dei afflatu suscitati fuere Propheta*,

(a) tom. 2. edit. Wittemb. pag. 300.
(b) tract. de ver. Christ. pacif: & Eccl. reform. rat. (op. t. 8. pag. 287. 288.)

tæ, idem tunc quoque evenisse & *Dei ipsius manu* ad opem ferendam Ecclesiæ laboranti emissos Ecclesiæ emendatores. Addas quod ex Gallica FideiConfessione superius protulimus; *necesse fuit nonnullos extra ordinem divinitus excitari qui Ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent*. Fuere quidem nonnulli, qui ab extraordinaria Missione exclusos cum viderent parentes suos, ordinariam his asserere conati sunt; atque alii a sæcularium Principium potentia, alii ab electione populorum, alii ab Hussitarum sive Valdensium & Albigensium sectis, quæ a Romana Ecclesia discessionem jamdiu fecerant. Sed facile est hos refellere; cum nec Principes nec populi acceperint a Deo Missionem, aut potestatem eam conferendi, solumque collata hæc sit Apostolis, quorum Episcopi successores sunt, ut ex Mathei *c.* 16. *&* *cap. ultimo* constat, & *cap.* 20. *Actorum Apostolicorum*; & Paulo *ad Ephesios cap.* 4.. Quin Lutherus ipse apud Sleidanum (*a*) & Calvinus *in commentario ad Amos*, hæc fatentur; Henricum VIII. Angliæ Regem *monstrum* appellantes, quod Ecclesiæ caput se dixerit, vindicaveritque sibi potestatem mittendi Pastores ad Evangelium prædicandum. Ab Hussitis sive Valdensibus aut Albigensibus non potuisse Missionem accipere, pa riter in promptu est. Nam præterquam quod Hæretici illi nonnulla docuere quæ hi errorũ nomine execrantur; ideo-

Y que

(*a*) lib. 3.

que Past orum loco habere eos non debent: ut Missio ab illis accepta legitima censeri possit, ostendant necesse est, Lutherum, qui ex illis primus ab Ecclesia Romana defecit, ab iisdem Missionem accepisse; non autem accepit, aut immediate cum post aliquanto fuerit, aut mediate ab aliquo qui eosdem errores professus sit: nam id aliter evenire non potuisset quam si hi tunc Ecclesiam constituissent; cum contra damnatorum hominum & ab Ecclesiæ corpore segregatorum in numerum habiti fuerint. Nec tamen id satis esset ostendere; sed insuper antiquiores illos Hæreticos Missionem ipsos suam non interruptam ab Apostolis & Apostolorum successoribus accepisse; idest Valdenses, Albigenses, Hussitas semper in Ecclesia post Apostolos fuisse, & Pastorum munere functos: quod vel cogitare ineptum est. Fusius aliquanto in hoc argumento versati sumus. Itaque adeundus Perpinianus; & quibus ille nervis hoc & superius argumentum intorqueat, videndum est,

VIII. Ergo exorditur a presenti tranquillitate, de qua lætatur; & commemorata calamitate antea a Calvinianis importata *p.230.* significat, quoniam hoc sibi negotii datum est, ut aliquid publice de divinis Litteris exponat ad falsitatem coarguendam, sibi non defuturum; partemque belli spiritualis quod cum impietate geritur, & curæ industriæque suæ aliqua ex parte videtur esse commissum, sumptu-

pturum. Aggreditur itaque cohortationem ad retinendam veterem Religionem, rejiciendamque falsam recentium Hæreticorum doctrinam, gravissimis verbis. *Non est, non est*, inquit, *gravitatis constantiæque vestræ, Lugdunenses, negligere tot sæculorum spatio comprobatam disciplinam, amplecti eam quæ nostra memoria nescio unde repente exorta est: non est hujus civitatis, cujus excellens quondam extitit Fidei, Religionis, fortitudinisque gloria, deserere a Majoribus, ab Apostolis, ab ipso Christo accepta mysteria; nova quædam & apud Fideles inaudita, nescio quorum, nulla auctoritate hominum commenta sectari: quæ neque ullo miraculo, martyrioque confirmantur, & ex omnibus terris, ubi studium pietatis viget, exsibilantur & exploduntur.* Quod hic atque alibi Lugdnenses cives laudat, facit ille quidem, non tam artificio aliquo oratorio, quo illos sibi conciliare studeat, quam rem vulgo notam testatamque omnibus, atque ipsam veritatem secutus; quod illam urbem antiquitatate, Religione, Fide, pietate, fortitudinis gloria nobilem ita tunc vulgo homines perhiberent; ut ex Gallicarum rerum Scriptoribus, propriisque ejus civitatis Historicis sive laudatoribus constat, quos illa sortita est multos atque illustres, Guillelmum Paradinum, Jacobum Severtium, Jacobum Sponium, Claudium de Rubys, Joannem Raineri m Symphorianum Campegium, Petrum Bullioudium

la Mure, Chappuzeau &c., & ex Sodalitate nostra Dominicum de Colonia, Claudium Franciscum Menestrier, Joannem Aubin. Claudium Clementem, Joannem de Bussieres, Theophilū Raynaudum. Atque hos postremos equidem libens nominavi, quò constet, beneficiis ejus immortalibus utcumque nos satisfacere conari: est enim de Societate nostra optime merita; meque ipsum externum hominem, hoc quod non gratiæ, sed veritati facilius deputetur, testimonium Lugdunensium virtuti perhibere posse hoc loco lætor. Ceterum Perpinianus ubi illis verbis utrumque argumentum attigit ab antiquitate & auctoritate petitum, primum de antiquitate aggreditur, docens nimirum; in quæstione præsertim de commutanda Religione; vetustati plurimum tribuendum esse; & Scriptores nostros Græcos & Latinos, quoties aliqua extitit hujuscemodi de rebus contentio, ad inveniendam veritatem quærere consuevisse, quid jam inde usque a Christo & Apostolis traditum nobis fuerit patria disciplina. Hoc Eusebii Cæsariensis testimonio, atque Augustini confirmat. Iam vero in singulas partes disciplinæ nostræ inquirere, & unamquamque rem a Christo & Apostolis ad nos usque derivatam esse, demonstrare, nimium ait esse (*pag.* 234.) longi operis, idque ad scholas quas habiturus est se reservare; quod tamen jam sit a doctissimis viris demonstratum. Itaque, uti nos antea

te a fecimus, ad Hæreticorum novitatem traducendam convertitur. *Eorum*, inquit, *quæ isti docent antiquitas tanta est, ut ego sim propemodum æqualis, qui ad qaadragesimum annum non perveni*. Nimirum ut mox subdit pag.235. *Nondum anni L. sunt cum illa Germaniæ furia* (Lutherum appellat) *bellum impium Ecclesiæ atque nefarium indixit: illius veluti partus omnes illi sunt de quibus audistis; ab illo quasi parente proseminatæ sunt omnes familiæ diffidentium, & inter se pugnantium Hæreticorum*. Duo autem quæ objici poterant tractat: primum; Hæreticos scriptis antiquissimis Apostolorum confirmare dogmata sua: alterum; non esse ipsos adeo recentes, cum multa sumpserint ab antiquis Hæreticis. Quoad primum; sequi ait illos morem omnium Hæreticorum; novitatis tamen notam non effugere, & cum ea Scripturæ loca aliter illi ac nos interpretentur, hoc inter utrosque interesse, quod nostræ nos explanationis duces ac principes habemus priscos illos divinorum librorum interpretes, quorum summa est & propter vitæ sanctitatem,& propter facultatem ingenii, & propter doctrinæ abundantiam apud omnes auctoritas; illi ne unum quidem interpretem ex omni vetustate producunt. Ad alterum hæc reponit; vetustos Hæreticos ipsos esse recentes, quòd suum ortũ referre ad Christum & Apostolos perpetua successione non possint, cum sint ipsi primi suarum opinionum au-

auct. res. *Ex quo*, ait, *perspicitur, quam antiqua sit istorum disciplina, cum illa unde sumpserunt reperiatur nova*. Hæc de antiquis Hæreticis, qui tamen dicendi sint novi, similia sunt iis quæ habet Etherius & Beatus *l.* 1. *adversus Elipandum* (a). Nam de Hæreticis interpretati illud Psalmi (b), ut ipsi legunt: *hi sunt filii sicut novellæ plantanionum in juventute sua*, subdunt; *plantatio eorum non est vetus sed novella est. Non enim de veteri lege; non est de Prophetis, non est de Apostolis, sed de novis Magistris est. Novi sunt quia nova semper de Christo excogitant; semper juvenes sunt ..... Novæ sunt ipsæ Hæreses: licet veteres sint, tamen cum quotidie doctrinam suam innovant, novæ sunt. Novi enim veterum sunt magistrorum errores; sed quotidie ipsi nove inveniunt: quod Ecclesia non facit*: Arguit vero Perpinianus; *Et erunt qui tot sæculorum memoriæ paulo amplius XL. annos anteponent? reperientur, qui pro novis commentitiisque rebus pugnent contra omnem vetustatem? existent qui vini veteris austeram suavitatem & solidam fastidiose respuant; dulcem nescio quam vel decoram ament & admirentur?* Demum concludit; Platonem atque Aristotelem, summos regendarum rerum Magistros, novitatem a Rep. arcendam censuisse: multo vero id magis in Christiana Rep. faciendum; quod eleganti argumentatione Perpinianus exponit, atque

(a) tom. XIII. Biblioth. PP. Lugd. *p.* 373. (b) CXLIII.

que ad Lugdunenses conversus; *Vos*, inquit, *Lugdunenses, quid vobis, quid nobilitate vestræ civitatis dignum sit, quid Majorum vestrorum hominum sanctissimorum exempla postulent, diligenter cum animis vestris considerate, ut facitis; & existimate eam unam sequendam esse Religionem atque disciplinam, quæ a Christo Doctore omnium gentium & ab Apostolis ejus administris per omnes Ecclesiæ Principes ad nos pervenit. Ista doctrina paucis ab hinc annis inventa, mihi credite, vetustatem non feret; acescet & evanescet brevi &c.* Atque hæc est prima hujus orationis pars, in qua ut vides argumentum contra Calvinianos proponit, cùm a dogmatum novitate, tum a novitate Ecclesiæ sive ejus instauratoribus, ut se ipsi appellant, recens exortis. Altera pars agit de hominum auctoritate. Et primo quidem *p.* 240. testatur nolle se hominum auctoritem elevare vitiis eorum exponendis; etsi ipsi in Catholicorũ vitiis reprehendendis palamque jactandis effusi sunt. *Pag.* 242. præmittit ex Apostolo omnem auctoritatem contineri Missione; & ex Hieronymo quatuor esse Missorum genera; primum eorum quos Deus nutu ipse suo afflatuque mittit, alterum eorum quos Deus per homines mittit; 3. quos non Deus sed homines mittunt; quartum genus eos complectitur qui nec a Deo nec ab hominibus, sed a se ipsi mittuntur; hoc est qui prædicandi Christi munus, cum ei a nemine præpositi fuerint,

te-

temere usurpant. Ergo qui tribus prioribus generibus continentur, ii prorprie ac vere dicuntur mitti: *quarto vero in genere*, inquit Perpinianus, *qui numerantur, non illi quidem mitti, sed ultro impudenter accurrere; non advocari sed inferre se atque intrudere; non accedere sed irrumpere dicendi sunt. Itaque in illis primis potestas est & auctoritas; in his, quoniam missi non sunt, quamvis se missos esse simulent, nihil est præter audaciam projectam & nefarium scelus*. Ubi singulorum generum exempla posuit; quod etiam illo in loco Hieronymus (a) fecit; hos novorum dogmatum parentes & sectarum Duces ad quartum genus pertinere contendit. Quamquam enim ab ipso Deo se missos credi volunt, afflatumque illum Divinum inclusum esse dicunt in pectoribus animisque suis; tamen quoscumque Deus aliquando miserit, eos afflatûs Divini multa & magna signa quæ vel dubitantibus vel etiam negantibus fidem facerent, prætetulisse. Jam vero nulla hujusmodi argumenta divinæ Missionis hos habere. *Quænam*, inquit, *isti habent argumenta Divinæ Missionis? qui docere possunt, si quis forte neget, cælesti se spiritu afflari? cui ægro valetudinem, surdo auditum, aspectum cæco, muto vocem, ingressum claudo restituerunt? quem mortuum ad vitam revocarunt*: Ita Adversarios urget, eloquentiæ exerens admirabilem vim in eo argumento quod nos

(a) tom. 7. edit. Veron. col. 374.

nos ſupra ſtrictim expoſuimus. *Pag.*247. refutat quod iſti argumentum repetunt a conſtantia in perferendis ſuppliciis intentatis a Catholicis ; atque a propagatione eorum ſectæ. Reſpondet, non ſuppliciorum genere Martyrem fieri, ſed conditione cauſæ, ſi quis ea pro vera Religione & Fide Catholica ſuſtineat: itaque docere debere eos prius, Fidem ſuam cum Veterum ſcriptis, cum Eccleſiæ Catholicæ moribus, cum Apoſtolorum Chriſtique doctrina congruere: aliter neceſſe eſſet Mahometanorum ſectam veram confiteri, pro qua non pauci vitam profuderunt. Narrat in hanc rem Perpinianus quod ipſi contigit Valentiæ ſpectare: *Vidi ego Valentiæ*, inquit, *quæ clariſſima urbs eſt in Hiſpania, piratico myoparone capto, cum duo Mauri, quorum fuerat inſignis crudelitas, publice lapidibus obruerentur vivi, ſpreta facilioris conditione mortis, quæ proponebatur, ſi Chriſtianam Religionem amplecterentur, tam alacres eos ad ſupplicium feſtinare intentis oculis in cælum, Mahometem illum ſuum clara voce appellantes, ſic in media etiam morte exultare, ejuſdem falſi Prophetæ nomen crebro uſurpantes; vehementer ut omnes mirarentur, voluntatis obſtinationem & pertinaciam poſſe tantum, ut ſpeciem quamdam & imaginem veterum Martyrum in hominibus impiis adumbraret*. Fuſe hac ipſa de re Alanus Copus *Dialogo VI.* & Benedictus XIV. de *Canonizatione SS. lib.* 3. *cap.* 20. *Pag.* 251.

refellit alterum de eorum sectæ propagatione; non ita scilicet patere ut ipsi gloriantur; multos esse inGermania,unde ortū est hoc malum, qui veterem retineant Religionem; reflorescere eam in dies magis in Gallia. De Italia affirmat, si aliqui pravis sunt opinionibus imbuti, eos latere; esse urbes egregia pietate, Principes incredibili studio veritatis retinendæ. Commemorandum vero quod de Hispania subjicit. *Hispaniæ nomen ipsum arbitror istos exhorrescere. Etenim est illa tota provincia valde inimica novitati; salutaribus institutis ita munita & septa, ut ad eam ista bellua aspirare nullo modo possit: nullam in Religione illa ne levissimam quidem suspicionem patitur novarum rerum: nihil unquam generi, nihil clientelis, nihil opibus condonandum esse duxit: cujuscumque fuerit vel minimus deprehensus error, qui pertineat ad Religionem immutandam, eum summa gravitate severitateque coercet.* Vere hæc dici a Perpiniano nemo ignorat. Et antiquam quidem severitatem contra Hæreticos testatur Rodericus Archiepiscopus Toletanus *de reb. Hispaniæ l. 8. cap.* 1.; recentiorum hominum Hispanorum Religionem Lucius Marineus Siculus *lib. 5. de reb. Hispaniæ* scribens; *enimvero magna nunc est Hispanorum Religio, magnus Dei timor & cultus, magna Sacerdotibus animarum cura... quare meo quidem judicio in orbe toto terrarum nulla gens est hodie Hispana, ut ita dicam, Chri-*

Christianior. Narrat Perpinianus Hæresim paucos ante annos trajecisse in eam Americæ regionem, quæ est in ditione Lusitaniæ regis, & in Indiam cis Gangem navigasse: sed in America Prætoris armis oppressam; ex India revinctam catenis in Lusitaniam publice navibus fuisse reportatam. Deinde respondet, nullam hanc esse vere Religionis notam, cito diffundi ac propagari. *Pag.* 253. argumentum quod proferunt spiritus afflatusque divini; habere nimirum se veram atque germanam Divinorum librorum explicationem; ineptum esse declarat; quod fallacia committatur *circuli* ut appellant *vitiosi*. Nam quod a Deo mittantur; ideo volunt sacras Litteras exponentibus fidem haberi: hujus vero ipsius quod missi sint a Deo indicium afferunt, legitimam scriptorum Divinorum explanationẽ. *Pag.* 254. cum nulla illi habeant argumenta quibus probent se a Deo mitti, multa nos habere, quibus eos dicamus mitti a malo dæmone. 1. exitus qui hanc eorum Missionem secutus est. Et veterum quidem Christianorum, qui Antiochiæ Christianam fidem disseminarunt, legitimam fuisse Missionem ostendisse exitum; felices nimirum uberesque fructus, ut in urbe primum illa appellarentur discipuli, Christiani; deinde Apostolorum approbationem. Contra, eorum qui circumcisionem in Ecclesiam introducere moliebantur, Missionem non legitimam fuisse, exitu pari-

ter compertum eſt; quod multorum ſint animi conturbati; quod Apoſtolorum judicio eorum ſententia improbata. Parem exitum his poſtremis ſortitum eſſe Lutherum alioſque Hęreticos probat, quod tantas tragœdias excitarint; quod contradixerint Epiſcopi, virique doctrina atque integritate inſignes; quod Pontificum Romanorum & œcumenici Concilii fuerunt ſententia condemnati. 2. argumentum repetit ex varietate & repugnantia dogmatum; cum ex Hæreticis alia alii ſtabiliant & confirment: contra ſummus conſenſus eſt Catholicorum. *Pag.* 260. de altero Miſſionis genere agit, cum quis a Deo mittitur per homines; hanc Miſſionem haberi per legitimam manus impoſitionem ſive Ordinationem; atque in hoc genere tandem aſcendendum ad unum aliquem qui fuerit a Deo ipſo Magiſter creatus. Hîc vero in Hæreticorum hominum grege ſi ab ultimis regrediaris ad primos, nequaquam inveniri Ordinationis perpetuam & continuatam ſucceſſionem. *Pag.* 263. tertium ait Miſſionis genus neque ipſos velle, cum totum ſit ambitione depravatum. Quamobrem eos ad quartum devolvi, & verius mendacibus Prophetis & falſis Apoſtolis annumerandos. *Pag.* 264. converſa oratione ad Lugdunenſes eos hortatur ad veterem retinendam Fidem, novamque repellendam: Epiſcopum atque Prætorem appellat, laudes utriuſque recenſens. Nihil hic ad-

adjungimus quod ſint ſatis Perpiniani oratione explicata, & ad exponendas reliquas hujus generis orationes feſtinet animus; quæ ferme ut diximus ſunt ejuſdem argumenti, Pariſiis habitæ.

IX. Ac de his ipſe Perpinianus ſcribens ad Emmanuelem Sa poſtquam duas habuerat; *de veteri*, inquit, *Religione, cujus argumenti fuerat oratio Lugdunenſis duas orationes habui inter Hæreticorum non modo ſibila verum etiam arma*. Fuſius ad Sardum ſuum de prima oratione Pariſienſi *ep.* 32. *Prima*, ait, *aditum habuit ſane quam illuſtrem ad Pariſienſium benevolentiam; urbem ut merita eſt verbis ampliſſimis laudavi; quantam ejus aſpectu lætitiam cœpiſſem explicavi; ſignificavi me doctiſſimorum hominum offenſionem valde dolere; de peregrinis, quo illi nos uno nomine deſignant, graviſſime reſpondi: inde ſenſim ad cauſam accedens, civitatis hujus in Religione conſtantiam magnifice prædicavi; ex qua prædicatione gradu facto ad cohortationem, originem Religionis antiquæ præſtrinxi paucis, cum a Deo ortam illam eſſe demonſtrarem; Religionis hujus recentis auctores lacus Lemani Tritones, eorum greges Rhodani ranas appellarem; novas autem Hæreſes, item ut illas veteres, ab improbo dæmone natas eſſe me demonſtraturum promiſi. Ac primum quidem collegi cauſas undæ ortæ eſſent omnes recentes diſciplinæ. Avaritiam, ſuperbiam, & gloriæ cupiditatem, invidiam, iram,*

odium tum Lutheri, tum aliorum, tum in Pontificem maximum, tum inter ipsos patefeci & illustravi. Cucullos abjectos, incertas nuptias asperioribus verbis objeci. Docui ad extremum, multa ipsos eadem facere, quæ in nobis reprehendant; ex quo perspici volebam, non eos amore veritatis duci, sed odio præcipites ferri. Omnia ita conclusi ut negarem a Deo profectam esse disciplinam, cujus causæ tam turpes reperirentur; & Parisienses ad eam retinendam, quam a Dionysio ejusque sociis accepissent, acriter adhortarer. Ita idem qui composuit, epitomen orationis suæ quamdam confecit; ut nihil præterea faciendum sit, nisi admonere ubi sint eæ partes quas designat. Ergo aditus illustris quem innuit, ejus orationis initium per se legenti patet: quod subdit de offensione doctissimorum hominum spectat ad Parisiensis Academiæ Doctores vehementer in nos incitatos; qua de re dicemus cum ventum erit ad orationem hujus tomi postremam; quam tamen Cardinali Lotharingio oblatam, antequam hæc ipsa haberetur, ipse significat verbis quæ supra descripsimus ex epistola ad Emmanuelem Sa; ubi etiam fuse de *peregrinorum* nomine respondet. Parisiensis civitatis in Religione constantiam magnifice prædicat interrupte pluribus in locis; sed illo præsertim *pag. 276. Et quoniam hæc civitas jam inde usque ab Apostolis per Dionysium Areopagitam ejusque socios excellentes viros imbuta Chri-*

Christiana pietate, deinde Francorum Regum imperio in altissimo dignatis gradu collocata, quam semel arripuit eam ad hoc tempus magna cum laude servavit Fidei doctrinam &c. Illa de Dionysio sociisque aliis in locis repetit: ita nimirum tunc habebatur hominum etiam doctorum sententia; alia nunc eruditorum hominum opinio est, postquam Sirmondi nostri conjecturas de duobus Dionysiis in Galliæ Conciliis colligendis primum (a) propositas, atque rejectas postea receptas probatasque cum ipse, tum alii disceptationibus suis expoliverunt. Perstringit paucis originem Religionis nostræ *p.* 277. *Nam J. Christus &c.* Deinde subjungitur; *Quod enim lacus Lemani Tritones buccina signo dato Rhodani ranis universis prædicare solent, jampridem illam doctrinæ successionem interruptam esse: tempus notent, definiant personas &c.* Id nimirum est quod innuebat antea, se *Lacus Lemani Tritones, Rhodani ranas*, Hæreticos dixisse. Ac de successione quidē præsertim in Ecclesia Romana fusius ibi aliquanto agit; antequam aggrediatur id quod sibi in ea oratione demonstrandum proposuerat. Aggreditur ergo *pag.* 281. idem contra Calvinianos argumentum quod in oratione ad

 Lug-

(a) Opinionem de uno eodemque Dionysio Parisiensi atque Areopagitico ante Sirmondum repudiaverat Elias Vinetus, Nicolaus Faber, Antonius Oiselius: nihil tamen addiderant quo opinionem tunc communem suspiciosam redderent.

Lugdunenses tractaverat;de origine nimirũ dicere hujus sectæ; aperteque se demonstraturũ affirmat a malo dæmone exorta esse: additque id ex fetibus ipsius & testimoniis ministrorum novi Evangelii constare. *Nam sive causam & originem quæramus Religionis novæ, sive ipsius quasi partus & fetus intueamur; omnia sunt ejusmodi, auctorem ut demonstrent malum dæmonem fuisse: sive testimonia quam argumenta malimus, ipsi novi Evangelii ministri testificantur, a Diabolo se didicisse quæ docent.* Iam vero a cupiditate quæ radix est omnium malorum esse profectam sectas Heterodoxorum, probat, pecuniæ cupiditati tribuens secessionem quam ab Ecclesia Catholica fecit Lutherus. De aliis hæc habet *pag.* 286 *Ceteri quam sint ab avaritia remoti, nescio; illud scio, plebem egentem initio stipe solitam ab istis allici ad audiendum; nunc palam sacræ cœnæ nomine pecunias ingentes imperari; jamque rationem iniri solere vulgo quantum Gebennæ; quantum Lugduni, quantum aliis in locis, celebrata cœna, fuerit redactum. Audivi ego Aprili proximo, cum essem apud Arvernos, quemdam illic patrem familias XXIV. sestertium in singula capita solvere esse coactum. Pag.* 286. de gloriæ cupiditate sermonem instituit; & de Lutheri primum superbia & invidia adversus Carolostadium: deinde de reliquorum Hæreticorum paribus vitiis; quos probat *suæ quemque gloriæ studere, bonori velificari suo, famam po-*

ste-

ſteritatis aucupari, id agere, ut ſua non aliorum diſciplina divino munere ac dono conceſſa mortalibus exiſtimetur. *Pag.*293. de Lutheri odio agit; ac ipſorum Heterodoxorum teſtimonia adducit, quæ ſignificant Lutherum odio Pontificis Romani vel Conciliorum adductum fuiſſe ad ea ſtabilienda quæ ſtabilivit. *Pag.* 297. De ceterorum Hæreticorum odio inter ſe, a quo adducebantur ad ea effundenda quæ ſcripſerunt; atque ea quidem hujuſmodi ut quilibet de populo iratus in ſuos inimiciſſimos non ſcriberet. Ita verum eſt quod ajebat; *avaritiam, ſuperbiam & gloriæ cupiditatem invidiam, iram, odium tum Lutheri, tum aliorum, tum in Pontificem Maximum, tum inter ipſos patefeci & illuſtravi*. Quod deinde addebat; *docui multa ipſos eadem facere quæ in nobis reprehendant*, aggreditur *pag.* 298. præmiſſo luculento Judæ exemplo; qui cum avaritiæ ſtimulis urgeretur, effuſumque unguentũ quod vendere cogitabat doleret, rapacitati ſuæ populare miſericordiæ ac beneficentiæ nomen quaſi velum quoddam obtendebat. Pari ait ipſos ratione ſpeciem quamdam Religionis inanem præſeferre; ceterum dum noſtros nolunt de altari vivere, ipſi magnam ſibi vim pecuniæ congerunt; & negantes verum eſſe, Sacrificiorum nomine pecuniam ſolvi, in cœtibus ſuis nomine ſacræ cœnæ certam ſummam in ſingula capita imperant. Alia perſequitur elegantiſſime. Huc vero omnia ſpectant; ut plane

ne conſtet, quemadmodum ipſe ajebat, non ipſos amore veritatis duci, ſed odio præcipites ferri. Itaque concludit *pag.* 303. *Si cupiditatum omnium ſator, altor, amplificator Diabolus eſt, ut caritatis Deus; ſi Diabolo accepta referenda ſunt quæcumque a cupiditate proficiſcuntur; ſi omnis iſta pietatis colore florens, nervis impietatis juncta & conſtricta diſciplina, ex pecuniæ cupiditate nata, ſtudio laudis immodico, arrogantia, invidiaque aucta, iracundiæ odiique viribus confirmata eſt; poteſt ulla ei venia concedi qui media luce nihil cernat; neque intelligat, cui tot, tam diſſimiles, tam deteſtabiles cupiditates initium, incrementum, robur attulerint, eam non aliunde, quam a nefario generis humani hoſte oriri potuiſſe doctrinam?* Quæ ubi dixit acrem illam aggreditur adhortationem quam in ea epiſtola commemorat. Hujuſmodi eſt oratio X., ad Pariſienſes I.

X. Quæ ſequitur, in eodem ferme argumento verſatur: ſolùm non originem amplius perverſæ Calviniſtarum doctrinæ ſed fructus fetuſque conſiderandos ſibi ſumit; quod item facit conſequentibus orationibus. Itaque in epiſtola ad Sardum; *aliis deinde orationibus*, inquit, *eventa pleraque novæ diſciplinæ aggregavi, ut oſtenderem; quæ fructus tam pernicioſos edidiſſet, eam non a Deo ſed a Diabolo eſſe natam*. Atque id propoſitum ſibi fuiſſe ſignificaverat oratione prima: & hic in ipſo orationis aditu partem alteram promiſſi mu-

muneris sibi persolvendam dicit, licet non totam, sed aliqua ex parte; reservanti nimirum cetera ad reliquas orationes. De hac altera Parisiensi oratione eadem epist. 3 ad Sardum (a); *Ac secunda quidem, exorsus a tumultu, qui fuerat priori actione commotus, ea dixi quae ad comprimendam adversariorum audaciam valerent: subjeci de dissensionibus*. Plane perspicitur instituisse hic, ut in prima fecerat, hujus alterius summam exhibere. Sed in codice ms. unde hæc edidimus (nam eam epistolam edita a Vavassore non habent) cetera desiderantur. Itaque a tumultu exorditur atque illi causam ullam oblatam negat; nec violatum edictum fuisse, quo cavetur ne quid fiat aut dicatur quod pertineat ad multitudinē concitandam: siquidem eo non prohiberi quominus antiquæ veræque Religionis amatores in eo confirmentur; alia deinde subjicit ad sui defensionem; taxatque perditorum hominum injustam postulationem. *Vellent*, inquit, *in Pontificem Romanum, in Scriptores antiquos, in omnes vetustæ disciplinæ partes dicere quod liberet, & quam liberet diu; nos pro veritate, pro Religione Majorum, pro Ecclesiæ Catholicæ dignitate omnino hiscere non audere*. Quam multi sunt ingenio simili, qui ingerere sibi ipsi in Ecclesiam aut religiosam aliquam familiam contumelias, convicia, calumnias licere volunt; si vero aliquis existat qui vir sit

(a) tom. 3. pag. 173.

ſit, omiſſiſque contumeliis, calumnias refellat; tunc vero ſcriptoribus his ſuccenſent, iraſcuntur, tragœdias agunt? nimirum (*a*)

. . . . . *ἐρήμας φεῦθ' ὅπω ῥᾳδίως ξυγήσειν*

Sed ut eſt apud eumdem Comicum alio in loco (*b*)

Ὢν δ' ἐρήμας, ὁ παρούσης ἐνθάδε
Ἐμοῦ, ξυγήσειν, καὶ προσάξεσθαι τινὰ
Ἄδουσα (obtrectandi nimirum ſociam)
ἐγὼ δ', ἢν τοῦτο δρᾷς, ἀντᾴσομαι.

Pag. 311. ubi recepit demonſtraturum ab alio quam a Deo eſſe hanc ſectam, ſi ejus veluti partus ſpectentur; ponit, Deum non eſſe diſſenſionis auctorem, ſed pacis, benevolentiæ, conjunctionis: contra Satanæ nihil aliud eſſe propoſitum niſi id efficere ut repentina extent diſſidia atque diſcordiæ. Huc B. Auguſtini auctoritate trahit illud Joannis (*c*); *In hoc cognoſcitur Spiritus Dei; omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe ex Deo eſt, & omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Præclarus eſt ille Auguſtini locus (*d*) eumque Perpinianus recitat *pag.* 319. Alius eſt

---

(*a*) Ariſtoph. V. 632. (*b*) C. 880. (*c*) epiſt. I. cap. 4. v. 2.
(*d*) tractat. 6. in epiſt. Joan. num. 13. (tom. 3. noviſ. edit. Pariſ. col. 871.)

est in eamdem ferme sententiam *sermone* 183. *al.* 31. *de verbis Apostoli* ubi, postquam alios Hæreticos omnes Christum rite ut debebant confiteri negavit hæc habet contra Donatistas *cap.* 6. (*a*); *Dicamus eis, verbis confitemini, factis negatis. Aliquis enim negat factis. Non omnis qui negat verbo negat. Plane sunt homines qui factis negant. Interrogemus Apostolum; omnia, inquit, munda mundis; immundis autem & infidelibus nihil est mundum; sed pollutæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur enim Deum se nosse, factis autem negant. Quid est negare factis? Superbire & schismata facere; non in Deo, sed in homine gloriari. Ita factis negatur Christus: unitatem quippe amat Christus.* Iam vero Perpinianus *pag.* 315. ante Lutherum summam fuisse omnium Christianorum de Religione conspirationem atque concordiam tradit, summamque ubicumque locorum similitudinem & convenientiam mysteriorum; nunc vero summam dissimilitudinem. Atque omissa inter nos & eos qui a nobis desciverunt discrepantia, fuse explicat inter Heterodoxos ipsos doctrinarũ dissidia: dissimilem vero esse rationem Doctorum Orthodoxorum, qui levioribus de rebus dissentiant. Quæ omnia alibi etiam luculenter docet. Prolato Augustini testimonio de quo supra diximus, *pag.* 321. solvit quod objici poterat ex *Matthæi cap.* 10. *non ve-*

(*a*) num. 10. (tom. 5. col. 876.)

veni pacem mittere sed gladium; quasi se Christus ipse fateatur earum inimicitiarum quæ Religionis causa suscipiuntur auctorem; & refutata adversariorum interpretatione, prolatisque plurimis Scripturarum locis quæ hanc Ecclesiæ concordiam declarant, veram sinceramque explicationem proponit: *Illud didici a Majoribus nostris, in eoque libenter acquiesco; Dei filium per Apostolos suos & eorum successores ancipitem Divinæ doctrinæ gladium in omnes propemodum terras immisisse: quo gladio naturalium affectionum vincula cum abscidisset, liberos a perentibus, affines a suis affinibus ita divisisse, ut cum Fidem alii amplecterentur, alii extra Ecclesiam permanerent, propinqui a propinquis, credentes a Fidei expertibus ad judicia, ad secures, ad rotas, ad cruces, ad flammas raperentur*: additque; *Ecclesiam autem hoc necessario sanctissimoque bello constitutam, accepi & Christum & Apostolos voluisse, mira quadam rerum omnium societate contineri: in eam qui gladium immittat, eā qui dividat & diducat in contrarias præcipuis de rebus opiniones, Antichristum esse.* Vere hoc dici a Perpiniano; atque hanc explicationem ejus loci tradi a Majoribus nostris, ideft Patribus, quicumque illorum explanationes præsertim in Catenis quæ dicuntur, collectas legerit, videbit (*a*). Nam ibi Theodorus Heracleotas pre-

(*a*) tom. 1. Symbolar. Possini pag. 149.

(*a*) ; *propterea* , inquit, *dicit;* non veni pacem mittere sed gladium ; *gladium dicit illum qui secat & separat nos ab infidelibus quantacumque nobis necessitudine conjunctis; seu Pater talis sit , seu mater , seu alius quivis eorum qui summo nos amore prosequitur.* Apollinarius(*b*): *sane si oportet nos diligere fideles propter amorem Christi, quamlibet ii a cognatione nostra alieni sint ; justum quoque fuerit infideles odisse , quantumvis ii sanguine nobis atque affinitate conjuncti sint* . Ab his non abludit Ambrosius (*c*) dum vult hoc ad Religionis causam pertinere ; imo Lucas ipse (*d*) eamdem sententiam recitans innuit eò debere referri . Alia est interpretatio Chrysostomi , qui vult Christum hæc quasi a se missa significare , non quia vere missa sint , sed quod mali homines occasione accepta ab ejus adventu effecerint (*e*) . *Non igi-*

(*a*) Ταύτην δὲ λέγει τὴν τέμνουσαν καὶ χωρίζουσαν ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἀπίστων .

(*b*) Εἰ οὖν ἡμᾶς δεῖ φιλεῖν τοὺς πιστοὺς διὰ τὴν τοῦ χριστοῦ ἀγάπην , κἂν ἀλλότριοι τογχάνωσι κατὰ συγγένειαν · δίκαιον ἂν εἴη τοὺς ἀπίστους μισεῖν κἂν ὦσιν οἰκειότατοι . Vide Anonym. *tom.* 2. *pag.* 382.

(*c*) lib . 7. in Luc. num. 143.

(*d*) cap. 12. v. 51.

(*e*) Hom. 35. tom 7. pag. 397. Οὐκ ἄρα οὖν τῆς αὐ-

igitur, ait, *ex Christi proposito sed ex illorum voluntate bellum movebatur. Ipse quippe volebat omnes in pia Religione concordes esse. Sed quia illi dissidebant, hinc bellum oriebatur. Ne putetis illorum vos causam esse, ego hæc dispono quia illi sic affecti sunt.* Aliam etiam explicationem innuit de malorum conspiratione ejusque per Christum diremptione, quam præcipue recentiores docti Interpretes amplectuntur, Toletus, Maldonatus &c. Ut omittamus mysticas explicationes Augustini (*a*), Hilarii &c. quarum nulla est quæ non sit contraria sensui quem huic loco affingebant Heterodoxi quos Perpinianus refutat. *Pag.* 323. quæstionem ingreditur; de eo quod Ecclesia fuerit semper aspectabilis; atque eos revincit qui ajunt; quòd Ecclesia per Apostolos constituta extincta fuerit, hominesque sensim redierint ad impietatem & Idololatriam, ideo necesse fuisse bellum suspici. Est hæc quæstio necessaria ad ea solvenda, quæ, ne opprimantur argu-

---

αὐτοῦ προθέσεως τὸ ἔργον ἀλλὰ τῆς ἐκείνων γνώμης ὁ πόλεμος· αὐτὸς μὲν γὰρ ἐβούλετο πάντας ὁμονοεῖν εἰς τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον. ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνοι διεστασίαζον πόλεμος γίνεται ...... μὴ γὰρ νομίσητε, φησιν, ὅτι ὑμεῖς αἴτιοι τοῦ πολέμου· ἐγώ εἰμι ὁ ταῦτα κατασκευάζων, ἐπειδὴ οὕτω διάκεινται.

(*a*) *quæst.* 3. *in Matth.* tom. 3. col. 277.

argumentis noſtris ; præſertim ab antiquitate Eccleſiæ & ſucceſſione petitis , ut jam diximus , objicere ſolent Hæretici . Breviter ſed ſolide docteque eam tractat Perpinianus : uberius Polemici ſcriptores omnes DuPerronius, & Suarez contrà Regem Angliæ , Bellarminus , Stapletonius &c. . *Pag.* 325. licentiam, quā ſibi Heterodoxi ſumunt vel joco vel ſerio etiam mentiendi, vituperat : primo narrationem adtexit quam habet in epiſtola quoque 23. *ad Pompejum Maſsarellum* ; ut feſſos nimirum audiendo animos recreet ; quod & feciſſe ajunt olim Demoſthenem: deinde mendacii in tractandis decretis diſciplinæ ſuæ exemplum ponit in eo , quod queruntur , in communione myſteriorum populo calicem ademptum interdictumque a Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi: item cum negant Fidei nomen ei quæ in ſceleratis reperitur attribui a ſcriptoribus Divinis: præterea cum ajunt exiſtimare nos , homines per ſacrificium *ex opere operato* conciliari Deo etiam ſine Fide ; ſcripſiſſe Paulum ſine ſanguinis effuſione non fieri ſacrificium. Poſt,omiſſis aliis,que propria ſunt Calvini (nam ſuperiorum ait pleraque eſſe illi communia cum multis) inſigne ejus mendacium profert , ajentis Nicænam Synodum Euchariſtiæ cultum , ſuperſtitioſum declaraſſe , cum vetuit nos intentos eſſe ad prepoſita *ſymbola* : fraudem vero Calvini qui mutilum locum afferat & prava interpretatione cor-

rumpat detegit, allatis ejusdem Concilii verbis ex τῶν διατυπώσεων ἐκκλησιαςικῶν libro, inter fragmenta ejusdem Concilii, quæ ait primum Franciscum Turrianum protulisse in lucem. Dyatyposes has leges in Gelasii Cyziceni syntagmate Actorum Concilii Nicæni; atque in quinta ex his, eadem verba reperies quæ hic noster producit. Dyatyposes una cum toto illo commentario primumGræce &Latine protulit A. MDXCIX. Robertus Balforeus. Ex his tamen Actis exceptas Dyatyposes Alfonsus Pisanus multo ante Balforeum vulgaverat, nimirum amno 1579; & Antonius Possevinus refutationi responsionis Davidis Chytræi *sect.* 5.easdem inserueratGræce &Latine A MDLXXXIII.: has ait *passim non extare*. Et Turriani quidem opus illud nunquam me vidisse memini; extitisse tamen ante hos omnes, luculentus hic testis est Perpinianus. Ceterum non Calvinus solum sed Petrus Martyr Catholicis hoc objecerat, & postea Mornæus,cui respondit Perronius *lib.2. de Eucharistia auct. 9.* Alterius mendacii de Concilio Basileensi & Constantiensi refutationem instituit Bellarminus *lib. 4 de Sacramento Eucharist. cap. 26.* Cetera per se patent, refutatque ibi Perpinianus;qui *pag.* 332. concludit orationem suam, mendacii turpitudinem exponens, atque inferens;a Deo non esse hanc sectam, sed ab eo qui parentem generis humani mendacio impulit in fraudem. Atque

ita

ita executus est hac oratione quod promiserat, fetus aliquos demonstraturum novæ hujus disciplinæ, quos fetus in fine commemorat pag. 334. *Maneat hoc fixum in pectoribus omnium; hæreat in medullis atque in visceribus vestris; quæ tam multas & tam graves & tam calamitosas in Ecclesia, idem antea credente, dissensiones de summa Religionis nostræ commoverit; quæ non solum aliquando ludens mentiatur, sed ipsa manifestis etiam impudentibusque mendaciis fulciatur, eam non a Deo turbarum & fraudis inimicissimo, sed ab improbo Dæmone satore & altore discordiarum, principe & parente mendacii ac fraudis extitisse doctrinam.* Eadem ut diximus, a se demonstrata fuisse refert in fine orationis XIII.

XI. Addebat eodem loco Catholicam Ecclesiam cum Calviniana secta conferens: *Illa divinis auxiliis adversarumque rerum tolerantia, non armorum nixa præsidiis, est amica pacis, altrix concordiæ, effectrix & conservatrix publicæ quietis; vestram ut nihil dicam aliud, magno orbis terræ malo nimium ferocem experti sumus. Illa reserat, vestra vel opinione falsa, vel bonorum odio nutrit licentiam turpiter obsceneque loquendi. Illa Hæreticorum nonnulla etiam bona fugit, ne qua eorum imitatione culpa contrahatur; vestra quæ in illis teterrima fuerunt, ea ardentissimo studio imitatur. Illa sibi obtemperantes meliores reddit; vestræ ut quisque diligentissime paret,*

ita deterrimus evadit. Hoc eſt argumentum orationis XIII. (nam XII. aliud demonſtrandum ſuſcepit ab eo quod his orationibus ſibi propoſuerat diverſum ; & de ea dicemus poſtremo loco) ; quam quidem orationem *ſerius* habitam ait *pag.* 366. Habita eſt autem XII. Kal. Auguſti MDLXVI.: orationem vero XII. dixerat pridie Kal. Julii, non magno quidem intervallo temporis, ſi id æſtimemus aut ex minus frequenti nunc dicendi more, aut ex facultate noſtra ; ſed magnum viſum Perpiniano ; quod creberrime tunc ipſe diceret, & a frequentiſſima concione ſine faſtidio audiretur. Dies hic apponam Pariſienſium orationum omnium ex earum indice antiquioribus editionibus præfixo. Pariſienſis I. hîc X. habita III. Non. Junii MDLXVI. præſente Jacobo Soriano Venetorum Legato. 2. poſt dies 13. XVI. Kal Julii ; atque adnotatur adfuiſſe Præpoſitum mercatorum & Conſiliarios nonnullos. 3. pridie Kal. Julii præſentibus Jacobo Betono Archiepiſcopo Glaſguenſi, Reginæ Scotiæ ; & Iacobo Soriano Venetorum Legatis, aliiſque primariis viris. 4. XII. Kal. Auguſti præſente Jacobo Soriano. 5. III. Id. Auguſti præſentibus Reginæ Scotorum & Venetorum Legatis. Ergo exorditur a cunctatione & intervallo, quod inter hanc & ſuperiorem orationem fluxit ; partim quod febri laborarit, partim quod incommodum auditorum vereretur. Addit de rerum, de qui-

bus

bus hic agitur, gravitate & veræ Fidei necessitate; insuper quantam difficultatem habeat, falsa internoscere a veris: patere tamen ad id obtinendum viam a Divino hominum generis Magistro demonstratam; ut arborem sic unamquamque rem ex fructibus quos effert, cognoscendi .. Ita se veluti comparat ad interruptum superiori oratione sermonem revocandum. *Pag.* 369. præoccupatione utitur; aitque, id non ita late patere, ut liceat ex moribus uniuscujusque conjecturam facere de Fide; sed videndum, quos ipsa disciplina per se fructus edat. *Illud*, inquit, *quærendum est; quosnam ex se proprie fructus efferat ipsa disciplina, qui sint non damnatæ vitæ sed præposteræ ac perversæ institutionis fetus*. *Pag.* 372. præmittit, neque Christum, neque Apostolos armis propagasse disciplinam suam, sed cruciatuum potius perpessione: contra vero disciplinas Apostolicæ contrarias, bellis inferendis propagatas & suppliciis irrogandis; quod pluribus exemplis declarat. *Pag.* 375. quærit utram ad rationem accesserint novi Religionis interpretes; probatque sectæ unius de alia testimonio, impetum furoremque veterum Hæreticorum imitatos: quod facit etiam commemoratis tumultibus bellisque in Germania præsertim gestis. Nonnulla habet de itinere quodam Tournonio suo, de quo *epist.* 23. . Concludit *p.* 384. *quæ tam similes exitus habuerit Religionis disciplina*, *ejus*

ejus alium atque Arianorum & Donat istarum doctrinæ auctorem esse non posse. Redit ad Turnonium iter, transitque ad alterum hujus disciplinæ fetum, licentiam obscene loquendi; & *pag.* 388 colligit; *mihi nemo persuadebit illam a Deo manasse doctrinam quæ, vel decretorum petulantia, vel odio Religionis veræ, sublato pudore liberali, effrenatam attulerit licentiam quidvis aperte dicendi, quam etiam Philosophi moderati, ut Academici ut Peripatetici suis præceptis amputarunt; quam etiam Rhetores Philosophis aliquanto leviores improbarunt usque eo, ut ne verba quidem ita velint in oratione concurrere, ut efficiatur aliquid obscenum.* Quam vero deinde præclare orditur tertiam orationis partem, qua contendit. Hæreticos recentiores deterrima quæque Veterum imitari. *O Deus immortalis! quæ tam cæca nox omne nobis abstulit mentis lumen &c;* atque egregiam & perelegantem comparationem instituit harum sectarum cum antiquis; reditque eòdem *pag.* 391. *Quæ igitur stultitia est, disciplinas illas a malo dæmone ortas esse dicere, hanc earum quasi germanam imitatione ad Deum auctorem velle referre?* Subiicit, quod quartam veluti partem orationis facit; *Hoc unum restabat scilicet, ut quæ deteriores homines fecisset, ejus doctrinæ principem Deum esse crederemus.* Deterrimos vero sectatores suos facere, Hæreticorum disciplinam, si ejus præceptis pareant, probat testimo-

monio Georgii clarissimi Saxoniæ Ducis, Erasmi; imo, Mentzelii, Spangembergii, Lutheri. Denique *p.* 393. demonstrat, quod in peroratione quam superius laudavimus indicat; id ipsum præseferre Sectarum novarum auctores earum satorem esse malum Dæmonem; ac disputationem narrat quam Lutherus sibi fuisse cum malo Dæmone refert; in qua disputatione Diabolo de sacrificio Missæ contra placita Catholicæ Ecclesiæ disceptanti succubuit.

XII. Orationem XIV. Perpinianus reservavit diluendis Adversariorum argumentis. Primo rationem suam explicat, quam hactenus tenuit pugnandi contra recentes pravasque opiniones. Deinde monet *pag.* 401. non esse hoc novum, ut mendaces homines habeant quid dicant; neque ullam umquam aut Philosophorum aut Hæreticorum tam absurdam fuisse disciplinam, cujus amatores, quod pro se, quod contra dissentientes dicerent, non haberent. *Ut enim*, inquit, *nihil est tam falsum, cui non aliquis illini possit veritatis color; sic fieri nullo pacto potest, ut ficta & commenticia quæ sint, comprobentur veris*. Addit *pag.* 402. se non responsurum sigillatim ad ea quæ in præfatione ad Institutiones suas Calvinus perscripsit Francisco I. Francorum Regi; sed integra reservaturum ad aliud tempus: itaque de iis dicturum quæ sunt vulgi sermone trita. Quæ ista sint, breviter declarat; *prædi-*

dicant consensionem omnium qui se Evangelicos quam Christianos appellari maluerunt ; negant ullum a se bellum exortum ; modo paucitate, modo multitudine gloriantur sua ; jactant nescio quæ martyria suorum; speciem ostentant integerrimæ sanctissimæque vitæ ; scripta divina contra nos a se stare vociferantur . Ita confutationem universam in sex aut septem capita tribuit, quorum duo tantum priora est hic executus. Ergo *pag.* 403. de primo dicere ingreditur. Iam alibi hanc Hæreticorum inter ipsos repugnantiam in dogmatis constituendis attigerat, oratione scilicet XI. *pag.* 316. *Inter illos ipsos, qui ab Ecclesia defecerunt, quanta doctrinarum sunt facta divortia, quam miseranda dissidia ? Potest quidquam fieri tam diversum, quam Lutheranus, Anabaptista, Sacramentarius, Svenckeldianus, Servetianus ? Potest aliquid magis dispar cogitari quam Osiander Philippo ? Potest inimicius quidpiam fingi, quam Flaccus Illyricus utrique ? Potest reperiri quid magis adversum, quam Gentilis, & Ludovicus Alemannus Calvino ? .... De Justitia nostra solum, amplius XX. Lutheranorum sententiæ numerantur inter se valde disjunctæ. Quot oppida sunt, totidem fere dissimiles & contrariæ Fidei confessiones proferuntur &c.* Illa etiam præclara, in oratione ad Lugdunenses *pag.* 258. *Octavus, opinor, & quadragesimus annus est, cum Lutherus istorum omnium parens atque dux publice ac palam ab Ecclesia uni-*

universa discessit : eorum vero Sectas , qui ab illo orti, & a se mutuo , & a Magistro multis de rebus dissenserunt, multo inter se magis quam nobis adversas , amplius octoginta numerant , auctoribus , temporibus , & opinionibus notatis , qui his in rebus colligendis nonnihil studii operæque posuerunt ; ut subductis rationibus , binæ propemodum in singulos annos contrariæ disciplinæ distribui possint . Hîc vero , antequam de hac opinionum inter Hæreticos discrepantia & Sectarum diversitate dicat , Catholicæ Ecclesiæ concordiam, atque, ut appellant, unitatem exponit . Irenæi auctoritatem producit, sententiamque se afferre ait, non verba , quæ dicit ab interprete esse depravata . Omnes ferme eruditi viri , qui Erasmo dubitanti , & Gardebosch affirmanti non concedunt , Latine primùm hoc opus scripsisse Irenæum , queruntur de interpretatione Latina quæ nunc extat. Et Fevardentius (*a*) quidem qui Irenæum ipsum sibimet interpretem fuisse suspicatur ; *quod Græce pereleganter & scienter primo scripserat , Latine postea non pari sermonis felicitate & lepore Latinis inter quos versabatur impertivisse* ait. Nicolaus le Nourry qui eãdem de interprete eorum librorum suspicionem habet , scilicet vel ab Irenæo ipso , vel potius a quodam ejus amico factam , nihilominus hoc de ea judicum interponit (*b*) : *Quam barbara sit ea versio nullus sane qui vel*

 mini-

(*a*) in Præf. ad Irenæi edit. (*b*) to. 1. Apparat. diss. 6. c. 2. §. 4.

minimum quid de ea delibaverit continuo non fatebitur. Ex hac autem tanta barbarie liquido colligere est, auctorem illius, fuisse latinitatis plane rudem & ignarum. Sed, ut omittam Dodwellum, Grabium, aliosque Heterodoxos liberius, & fortasse verius atque ad Perpiniani nostri sententiam propius locutos; qui ejus opera e Maurinis Monachis recensuit Renatus Massuet; (a) *Stylus*, inquit, *barbarus, incomptus, asper & salebrosus, solœcismis scatens, auctorisque mentem multis in locis aut non satis, aut male omnino exprimens*. Ergo ex Irenæo Perpinianus contendit summam esse in Ecclesia Catholica in fidei dogmatis consensionem, in Hæreticorum Sectis pugnantia decreta, summamque varietatem. Quam quidem, Donatistarum, Arianorum, Macedonianorum, Eunomianorum aliorumque Hæreticorum exemplo probat fuisse in Sectis quæ propiores fuerunt temporibus Constantini. *Pag*. 407. idem evenisse demonstrat in recentioribus Hæreticis; atque hanc varietatem & dogmatum repugnantiam, quam nonnulli eorũ negant productis exemplis probat. *Pag*. 410. postquam Sectarum inter ipsas varietatem explicavit, eadem in iis ipsis reperiri ostendit qui sunt eidem Sectæ addicti. Osiandrum ait Lutheranorum sententias valde dissimiles ad viginti numerare, quibus ipse vigesimamprimam adjecit. Addit unum eumdemque hominem

(a) dissert. 2. præla. art. 2. n. 51.

minem a se discrepare & secum ipsum bellum gerere. In Luthero de Communione sub utraque specie locos XXXVI. repugnantes collegit Gaspar Querhamerus. Id ipse præcipue in Calvino ostendit; concluditque *pag.* 414. *Eant isti nunc, & mirificam omnium conspirationem atque concentum speciosis verbis, imperitis ostentent, cum singuli turpissime a se ipsi diffideant; & quod probaverant quod decreverant, quod tamquam arbitri divinitus dati judicarant, postea rescindant; nisi eum forte consensum doctrinarum suarum, quem mundi partium esse dicunt; ut etiamsi contraria sentiant, loquantur, scribant, uno tamen omnes Ecclesiæ Romanæ nocendi studio inter se constricti teneantur: item, ut in hoc rerum ornatu quatuor naturæ inter se adversæ, communi quodam velut occulti fœderis & societatis vinculo continentur. Nam ego, neque cælum umquam magis varium; neque fretum vel Euripum magis incertum; neque ventum, istorum animis mutabiliorem aliquando cognovi.* Quæ ubi dixit, rem illustrat Hilarii effatis, quibus dum Arianorum facta describit, exprimere videtur tempora Calviniana. *Pag.* 418. hinc colligit hanc perturbationem Fdei Christianæ, hanc tantam inter se pugnantium Religionum confusionem Deo non posse tribui. Explicata hac parte, alteram aggreditur *pag.* 420. de bellis & tumultibus quos Calvinistæ excitarunt. Ab his abhorruisse probat Apostolos, aut eorum successores. Non

hominum dumtaxat hæc vitia esse, sed disciplinæ ipsius probat ex Calvini effatis. *Pag*.426. hortatur Parisienses ut tantam pestem fugiant quæ calamitates magnas importavit, sit etiam importatura multo majores. Atque hæc postrema est orationum Perpiniani quas habuit de hoc argumento. Quamquam enim *pag*.426. post Kal. Octob. aliis orationibus cetera quæ restant se executurum promittit, tamen quominus promissis staret mors obfuit.

XIII. Iam vero, si quis hactenus ab eo allata, productaque contra Calvinianos argumenta consideret, videbit ea esse que Scriptores ferme Polemici usurpant omnes, suntque ad Hæreses debellandas aptissima atque invicta. Non est hic animus (nec instituti operis ratio patitur) fusius ea persequi, aut justo quasi bello contra Heterodoxos indicto, telolorum vim experiri: nec longius quidem aliquanto de his differere ut in orationem ad Lugdunenses fecimus. Innuemus tamen aliquid, quod Perpiniani nostri doctrinam scientiamque plane singularem demonstret. Atque ut ab iis incipiamus quæ postrema oratione contra Hæreticorum fallacias defendit; vere est ab eo dictum *pag*.403. firmam esse conjecturam ex varietate & pugna Doctorum delirantium petitam: addiditque postea; *Nullum indidicium vestigiumque clarius reperiri potest, non a Deo sed ab adversario Dei & nostro disciplinam istam inventam, quam quod eam quicumque*

que sequuntur, omni concordia sublata inter se digladiantur. Viderunt hoc quicumque inter notas, quibus vera Ecclesia quæ sit, demonstratur numerant *unitatem*; & unitatem intelligunt doctrinæ quam fideles omnes unam eamdemque sequuntur & constantissime omnibus sæculis retinuerunt. De hac unitate Cardinalis Perronius (*a*), Bellarminus (*b*), Stapletonius (*c*): qui omnes Sectarum falsitatem demonstrant ex eo, quod variæ sint incertæque doctrinæ, plurimumque aliæ ab aliis diffideant. Verum nemo uberius atque excellentius tractavit hoc argumentum Illustrissimo Meldensium Episcopo Begnigno Bossuetio in eo opere quod manibus omnium teritur omniumque sermonibus litterisque celebratur: cujus industriam imitari conatus est in Jansenianis refellendis recens scriptor libello Gallice scripto, nec multo ante in popularem Italiæ linguam converso. Nihil est igitur quod hic immoremur. Placet dumtaxat, quoniam Hilarii sententias fuse retulit Perpinianus, aliam ex iisdem libris contra Constantium desumptam hic afferre, qua Imperatoris inconstantiam in variis formulis inducendis suggillat (*d*). *Accidit*, inquit, *tibi*, *quod imperitis ædificatoribus*, *quibus sua semper displicent*, *accide-*

(*a*) Replique a la Resp. Du Roy. obs. 1. cap. 10.
(*b*) cap. 10. de not. Eccl.
(*c*) Relect. Princ. controv. 1. qu. 3. art. 6.
(*d*) lib. contr. Constant. n. 25. (col. 1254. edit. Paris.)

re solet; ut semper destruas quod semper ædifices : . . . tuis ipsis diffides & adversus tuos hostis rebellas : novis vetera subvertis, nova ipsa rursum innovata emendatione rescindis, emendata autem iterum emendando condemnas. Hoc belle in Calvinum & ceteros recentiores Hæreticos quadrat. Nam Constantium imitati fuerunt; ipsi quoque in fidei formulis sive *Confessionibus*, ut appellant, condendis, rescindendis, novandis, immutandis frequentissimi : quarum quidem multas cum apud Bossuetium leges; tum etiam apud antiquiorem scriptorem Jacobum Gretserum (*a*). Huic inter se dissidentium Hæreticorum pugnæ aliam jungebat Perpinianus; qua illi pugna calamitatem maximam Galliæ intulerunt, turbisque & tumultibus omnia referserunt; volebatque eam esse notam falsæ eorum fidei. Atque hoc non solum postrema hac oratione sed orat. XI. fuse versavit. Et argumentum sane est, quod contra hujusmodi Hæreticos, quales tunc erant, qui a rege suo defecerant, qui castella occupabant, qui urbes populabantur, cædesque atque incendia, & calamitatem quòcumque ingrediebantur importabant, usurparetur. Neque hoc dico tantum, quod se nefarios ac scelestos esse demonstrabant; sed quod, Christiana fides, ut Perpinianus dicebat, ab hujusmodi tumultibus turbisque & bellis sit prorsus aliena; nihilque magis Deus se velle testetur, quam

(*a*) *Hæreticor. Judex & Dux* cap. 9. tom. XVII.

quã ut ſibi mutuũ amorẽ homines præſtent, ab armis autem ſe & diſſidiis removeant. Euſebius animadvertit; cum multi olim reges, Tyranni multi, ac Principes in orbis regiones dominarentur; atque hinc frequentiſſima bella, commiſſis inter ſe gentibus, vicinoſque infeſtis ſemper armis petentibus, exiſterent, alioſque alii hoſtilibus excurſionibus & rapinis cædibuſque vexarent; ut ob eam cauſam non modo qui urbes incolebant, ſed qui degebãt in agris, rem militarem a pueris addiſcere, gladioſque vulgo publica in via, in pagis agriſque geſtarent; cum ſeſe primum Chriſtus oſtendit, de quo Prophetæ ea prænuntiarunt *orietur in diebus ejus juſtitia & multitudo pacis: & conflabunt gladios ſuos in vomeres & lanceas ſuas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*; horum vaticinorum veritatem exitum comprobaſſe. *Etenim*, inquit Euſebius, *multiplex ille Romanorum principatus illico ſublatus eſt, cum Auguſtus ſub ipſum noſtri ſervatoris adventum ſummam rerum accepiſſet. Ex eo vero tempore ad ætatem uſque noſtram, civitates ut antea cum civitatibus dimicantes, populoſque cum populis commiſſos, hominum denique vitam rerum omnium perturbatione contritam nemo vidit.* Itaque antiquiora tempora quæ Chriſti adventum anteceſſerunt, cum ſubſecutis idem Euſebius conferens, poſtulat ut inter

(x) Prep. Ev. l. 1. cap. 4.

magna ejus potentiæ, argumentum hoc deputetur. Atque illud ſubjicit quod idem valet; manſueſcere animos veram Fidem edoctos & barbariem crudelitatemque deponere. Bene ergo Perpinianus hoc Calvinianæ Sectæ objecit, quaſi falſitatis notam; ut nota eſt veræ Eccleſiæ pacis ſtudium, & ſedatio turbarum. Hanc quoque notam ſcribens contra Jacobum Angliæ Regem uſurpavit Gretſerus(*a*) *in commentario exegetico*. *Vere*, inquit, *Chriſtiana fides eſt pacifica, quia proficiſcitur ab illo qui* Deus pacis *indigitatur, & a filio ejus cui illud quaſi ſymbolum ac teſſera fuit*; Pax vobis; *pacem meam relinquo vobis; pacem meam do vobis*. Ac deinde contra Heterodoxos arguit. *Si hæc eſt nota Evangelii divini, planum apertumque relinquitur, nec Lutheri, nec Zvvinglii, nec Calvini Evangelium divinum eſſe; quia non pacem ſed gladium mundo intulit & attulit*. Quæ ubi dixit eventa quæ ſecuta ſunt Lutherani, aut Zwingliani Evangelii propagationem narrat: deinde ad Calvinianum deſcendit. *Quid de Calvini Evangelio verba faciam? quod Galliam propemodum peſſundedit, & Belgium* 40. *annos miſerandum in modum attrivit. Quid Scotiam ſeditionibus complevit, & fratres in fratres, cognatos in cognatos, & ſubditos in ipſam Sereniſſimam Reginam armavit, niſi Calvinianum & Knoxianum Evangelium? Quid ipſi Reginæ vincula injecit, & poſtea perpetuum*

(*a*) Oper. tom. 7. pag. 17.

petuum exilium peperit, nisi funestum hoc Evangelium? Si bella ciere Martemque accendere cantu, est Evangelii Christi proprietas; non pax, sed horrida bella ad ejus promulgationem exorta fuissent; neque vates cecinissent. Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, nec elevabit gens in gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prœlium: *sed potius*, orietur in diebus ejus abundantia bellorum & contentionum, & vomeres suos conflabunt in gladios, & falces in lanceas; & elevabit gens contra gentem, & cives contra cives gladium, & frequenter exercebuntur ad prœlium, *ut bellare discant; ne si militaris rei expertes fuerint ab adversariis opprimantur.* Hæc Gretserus, qui deinde de ipsorum Hæreticorum inter se contentionibus atque invidia disserit; & de Castalionis odio in Calvinum, atque hujus & Bezæ in Castalionem; de conviciis quæ sibi mutuo ingerunt; eademque habet ferme quæ Perpinianus. Atque ideo huc eadem dicentem adduxi Gretserum, ut constet, quam strenuus vir fuerit, peritusque bellator, hic Noster, qui ipsum ferme sub exortum Calvinianæ labis in Gallia illa argumenta ad eam opprimendam adduxerit, quibus alii postea meliora reperire non potuerunt. Quin hos tumultus ab Hæreticis excitatos iisdem exprobrantes videas Erasmum (*a*): *Populus*, inquit,

(*a*) lib. de Pseudo-Evangelicis.

inquit, *iste Evangelicus etiam Turcarum Principi dicitur detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat? quoties quam levibus de causis procurrit ad arma?* Ipsos vero Hæreseos doctores belligerantes inter se, & conviciorum plaustra alios aliis ingerentes si quis videre desiderat, is adeat Stanislaum Rescium *de Atheismis & Phalarismis Evangelicorum* in eo capite (*a*) quod inscribitur *Ministro-machia*. Leges illic præclaros titulos illos *perdiabolatos, transdiabolatos, superdiabolatos*, qui sunt a Luthero collati in Zwinglianos: sed Luthero vicissim a Virtembergensibus, Tigurinis, aliisque delata illa præconia *eristici, hyperbolici somniatoris, Oreste insanioris, odio lymphati, temulenti, maligno spiritu pleni &c.* Quam vero illa honorifica in Calvinum eclogia *sycophantæ, Epicurei, impie audacis, fratricidæ, execrabili errore fascinati*; quibus ab Heshusio, Bucero, Gentili donatur; cum contra ipse Calvinus adversarios suos *proditores, nugatores, phanaticos, vertiginosos, sceleratos hypocritas, canes, porcos* vocet. Quid cum Sacramentarii Lutheranos *carnifices Christi, Antichristos, animicidas, cæcos idololatras, Epicureos*; Lutherani Calvinianos & Sacramentarios *suermeros, sues, canes molossos, larvas Diaboli, phanaticos, moriones, truncones, Diabolorum capita, stercora, fœtores Satanæ*, & id genus nominibus blandis & delicia-

(*a*) lib. 1. cap. 6.

ciarum plenis appellant? Sed ut dixi adeundus omnino qui ea collegit Refcius: etfi id Gretferus aliique idē omnino præftant. Hic illud animadvertas velim de argumento quod Perpinianus repetit ab Hæreticorum diffenfionibus & tumultibus, necnon a ftudio pacis, Chriftianæ Fidei proprio; nihil nocere, fi neges (quod Kepplerus & nonnulli præterea faciunt) aut Ifaiam aut ceteros Prophetas, cum pacem laudant, appellare tempus illud quo natus eft Chriftus, atque id affirmare futurum bellis pugnifque vacuum. Satis eft enim, fi hoc concedas (quod nullo modo negari poteft) ex Prophetarum teftimoniis, velle Deum, Evangelio propagato tranquilliora tempora effent, & a bellorum tumultibus Chriftiani abhorrerent. Quamquam illud quoque, de pace a Chrifto, ortu ejus orbi illata, tradunt facri Interpretes atque Ecclefiaftici fcriptores *omnes*, ut Maldonatus (*a*) teftatur; Patrefque multos profert Huetius (*b*); denique Kepplerum Cardinalis Norifius (*c*) refutavit.

XIV. Præter duo hæc argumenta, aliaque, de quibus ad Lugdunenfem orationem diximus, alia attulit Perpinianus: 1. mendaciis niti novam Religionem. 2. nutrire licentiam turpiter obfceneque loquendi. 3. aliorum Hæreticorum deterrima quæque imitari; & vitiofiores

(*a*) in cap. 2. Luc. (*b*) Demonftr. Evang. prop. 9. cap. 8. (*c*) differt. 2, in Cenotaph. Pifan. cap. 10.

ſiores reddere cultores ſuos. Juvat, ut de ſingulis aliquid dicamus iterum hic appellare Gretſerum, qui hanc mentiendi libidinem in Hæreticis ſæpius notavit: *Inquietum animal eſt Hæreticus* (ita orditur librum quendam ſuum (a)) *præſertim Prædicans: niſi mentiatur & calumnietur, non videtur ſibi vivere, vel ſaltem non jucunde vivere. Quare nunc hæc, nunc alia in Catholicorum contemptum & opprobrium comminiſcitur, & ubi unum mendacium, vel ſponte ſua evanuit, vel veritatis clypeo disjectum atque profligatum in nihilum recidit, mox de alio fabricando & diſſeminando circumſpicit, non ſine aperta immanis odii in Orthodoxos ſignificatione*: in quam ſententiam deinde Gretſerus adducit Nyſſeni teſtimonium. Sed totus ille Gretſeri liber nihil aliud eſt, quam de Hæreticorum mentiendi prurigine teſtimonium. Non enim ſolum Piſtorii mors coarguitur ita narrata ab Heterodoxis, qualis nullo modo contigit, ſed plures narrationes huic ſimiles & mendaciorum plenæ indicantur; ac præterea translatio oſſium Ignatii Lojolæ, tempore atque anno adnotato; quo ſcilicet vir ſanctiſſimus nondum deceſſerat, nec erant jacta templi fundamenta in quod dicuntur translata. Similem fuiſſe impudentiam manifeſto mentiendi in veteribus Hæreticis, vel ex uno Athanaſio cognoſcere licet, cui ea affixerunt quæ certo poterant coargui, & vero ſunt manife-

(a) Dormitor. Apoſtat.

nifeste refutata. Sed bene consilium Hæreticorum in mentiendo perpendit Gretserus (*a*); eosque ait generatim spectare propagationem, conservationemque Sectæ suæ. Dum enim de virorum Catholicorum moribus & vita nefaria quædam, vel quædam ridenda disseminant, alios in Hæresi sua confirmant, alios ab ea ejuranda deserendaque absterrent, ne de eo hujusmodi facta prodantur. In quo quidem, addit, videri illi renovare velle quorumdam opinationem, qui mendacium, Hæretici detegendi gratia, prolatum, ab omni culpa liberabant; adversus quos disputavit S Augustinus (*b*). Quod spectat ad licentiam turpiter obsceneque loquendi; id ita tribuit Calvinianis Perpinianus, ut indicare videatur, veluti dogma quoddam fuisse illorum, quale Cynicorum sive Stoicorum quorumdam Tullius (*c*) significat; de quibus etiam libro XIV. *de Civitate* (*d*) Augustinus. Fuit hoc Ethnicis ipsis improbatum: quare Cicero eorum Philosophorum sententiam ubi retulit; *nos autem*, ait, *naturam sequamur, & ab omni quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus*. Augustinus vero Cynicorum insigniori impudentia narrata, subdit; postea hoc ab illis *fieri cessatum*; plusque valuisse *pudorem ut erubescerent homines hominibus*, quam errorem, ut homines canibus esse similes affectarent.

(*a*) cap. 5. (*b*) lib. contra mendacium ad Consent.
(*c*) lib. 1. Offic. num. 33. (*d*) cap 20.

rent. Nihilominus hanc verecundiæ inimicam impudentiam multo post revocatam;& renovatam hæresim Adamitarum circa A.1535. narrat Lindanus, & ex eo Reicius(a). Verborum vero obsceniſſimorum licentiam permisisse Calvini scholam, vel ex Theodoro Beza liquet; quem nemo ignorat non puduisse amores suos impuriſſimos, impudentiſſimis carminibus committere(b). Quare Heſshusius in defensione sua Bezam vocat *proſtitututum ſcortum*, qui ob infandas libidines suas epigrammatis in postribulo decantatas, ex Gallia, Lusanna etiam fuerit pulsus. Atque eo tempore quo illa scribebat, jam a Catholica Ecclesia defecisse, patet ex ejus amiciſſimo Antonio Fage (c) & Schlusſebio in Calvini Theologia (d). Nec mirum est, de discipulo; cum ejus doctrinæ parentem Calvinum Theomorus quidam Calvinista narret, novem maculas a suæ Sectæ hominibus vidisse inustas; quarum 7. est *ſcortatorem libidinoſiſſimum manifeſtumque* fuisse. Calvinistas omnes Castalio præ ceteris hoc titulo donat appellans *pollutiſſimos Sodomæ & Gomorræ filios*.

XV. Ponebat tertio loco Perpinianus Calvinistas teterrima quæque aliorum imitari & vitiosiores reddere cultores suos. Primum, id est antiquas ferme omnes Hæreses quæque in iis

(a) de Atheismis & Phalarismis Evangelicor. lib.1.cap.9.
(b) Epigr. Paris. 1548. ap. Robertun Stephanum.
(c) de obitu & vita Bezæ pag. 46. (d) lib. 1. pag. 93.

iis erant maxime damnanda per Lutherum, Bucerum & Calvinum revocata, fuse contendit Vuilhelmus Lindanus in *Ruevvardo* (*a*). Idē fecit & Bellarminus:(*b*) ut hinc constet argumentum esse bonæ notæ, atque ab optimis Magistris contra Heterodoxos usurpari solitum. Alterum etiam frequentius tractatur a Polemicis, ubi de Sanctitate veræ Ecclesiæ agunt. Notam hanc quoque esse, qua a vera falsa internosci possit, prædicant passim AA. Sed hic enimvero animadvertendum prudens Perpiniani judicium. Plures rationes sunt ob quas Ecclesia sancta dici possit, easque ad decem collegit Joannes Cardinalis a Turrecremata (*c*), pro varia acceptione qua *sancti* nomen usurpari putat. Primo ergo in ea significatione, qua sanctum idem est ac mundum, Eclesiam ait sanctā dici, quod munda sit a fœditate & corruptione peccati. 2. sanctum dicitur quod firmum sive firmatum est; & sancta quæ lata lege firmata. Sancta est Ecclesia, tum quia a Deo æterna prædestinatione & lege Divina ordinata ex Paulo Apostolo; tum quia violari non potest, cum a fide & charitate quæ in Cristo est nunquam defectura sit. 3. Sancta dicitur quod Christi sanguine aspersa emundata fuerit a peccatis: sanctum autem dicitur veluti sanguine tinctum & mun-

(*a*) lib. 1. pag. 107. &c. edit. Colon. 1567.
(*b*) lib. 4. de Ecclesia cap. 9.
(*c*) lib. 1. Summ. de Ecclef. cap. 9.

mundatum. 4. quod unius veri Dei cultui tota dedicata sit ; ut vasa sancta dicuntur quibus utimur in cultu divino. 5. ob immaculatam Religionem, omniaque quæ ad Dei cultum pertinent sancte custodita : sanctitas autem dicitur, observatio quædam justitiæ eorum quæ ad Deum pertinent. 6. quia omnibus virtutibus gratiis & donis spiritualiter fecundata est atque instructa. 7. quia optimis, justissimis & sacratissimis legibus vivit & gubernatur. 8. quia sola scientiam salutis habet & notitiam Divinitatis : sanctum autem appellatur quod præditum est scientia justorum. 9. quia Sacramenta habet quibus homines sanctificantur. 10. quia *sancta & gloriosa*, inquit Turrecremata, *triumphante Ecclesia, quæ sursum in cælestibus est mater nostra, exemplata est*, ideſt ad ejus veluti exemplum conformata. Deinde fusius differit de Sanctitate quæ Ecclesiæ competit, non ea quæ liberationem afferat ab omni pœna atque culpa, cum hæc patriæ dumtaxat sit propria, sed quæ charitati adversantur. Atque hæc munditites convenit omnibus qui sunt de Ecclesia, *numero & merito* : improbi enim & scelerati homines sunt *numero* de Ecclesia non *merito*. Ex his a Turrecremata allatis, quinque protulit modos quibus Ecclesia sancta dicitur Gregorius de Valentia in *Analysi Fidei Catholicæ* (a). Primum, quo Ecclesia sancta dicitur a multis ejus-

(a) *De reb. Fidei controv.* lib. 6: cap. 4.

ejuſdem ſanctis membris, ut natio fortis dicitur a multis (licet non omnes ſint) fortitudine virtuteque præditis hominibus. Secundum, a firmitate; quod ſupra petram conſtituta contra quam inferi portæ non prævalebunt; quam ſanctitatis rationem bene explicavit in Confeſſione Polonica Cardinalis Hoſius. Tertium, quod ſanguine Chriſti inuncta & acquiſita eſt: atque hi primi tres modi a Turrecremata indicati. Quartus Valentiæ plures complectitur, Eccleſiamque dicit ſanctam, quod tota ſit Divino cultui conſecrata; præterea præceptis, Sacramentis, inſtitutis legibuſque ſanctis ornata atque inſtructa; ita ut quamquam non omnes fideles colant vitæ ſanctitatem, omnes tamen illam profiteantur. Tota igitur ſancta dici poteſt, & omnes fideles ſancti; ut Religioſos dicimus & Magiſtros, propter vitæ inſtitutū & profeſſionem, eos quoque qui Religionis aut Artis præcepta tranſgrediūtur; quod in Romano Catechiſmo probe animadverſum eſt. Denique ſanctam ait dici Eccleſiam Valentia, propter *ſanctiſſima eademque multiplicia chariſmata quibus abundat, atque inſuper propter univerſalia atque efficacia remedia ſanctitatis*. Stapletonius in *Relectione principiorum Fidei* (a); ubi docuit Eccleſiam non in eo ſenſu eſſe ſanctam, quaſi a membris ſuis omnes excludat qui ſancti non ſunt; nec rurſum, quod qui vere in ea ſancti ſunt perfecta

(a) Controv. 1. qu. 3. art. 5.

sanctitate in hac vita necessario imbuantur; argumenta tria assignat Ecclesiæ sanctitatis. Primo quod ad perfectam sanctitatem in altera vita futuram tendat: quod demonstrat Augustinus *lib. 2. retract. cap. 18., de Doctrina Christi lib. 3. cap. 34. & de perfectione justitiæ*. Secundo, quod multos habeat justos & sanctos quamvis malis permixtos Denique Ecclesiam *maxime proprie* in symbolo ait vocari sanctam, propter fideles Christi nomen profitentes & Christi Sacramento, Baptismo scilicet, initiatos & sanctificatos. Quamobrem fideles olim *Sanctos* vocatos legimus, ut nunc *Christianos*. Tournely (*a*) explicans sanctitatem quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est ac singularis, tribus rebus definit. 1. sanctitate doctrinæ & professionis. 2. sanctitate eorum qui primùm eam fundaverunt. 3. gloria miraculorum quibus veritatem & sanctitatem Christianæ Ecclesiæ Dominus confirmavit. Bellarminus tres hasce notas distincte proponit facitque 8. 10. 11. (*b*). Equidem, ut quod videtur expromam, arbitror Sanctitatem quæ nota est Ecclesiæ, atque ad eam demonstrandam valet, ad legem & præcepta ab ea proposita fidelibus, potissimum pertinere. Membrorum Ecclesiæ sanctitatem certam notam non esse, Augustini auctoritate contra Montispessulani Episcopum probavit Ill. Suessionensis Epi-

(*a*) De Eeclef. qu. 2. art. 3. (tom.1.pag.142. edit.Paris.)
(*b*) cap. 11. 13. 14. de Ecclesia.

Episcopus Joseph Langlet (a) ; cetera vel a Turrecremata vel a reliquis allata multo minus. Flagitia sceleraque eorum, qui duces Hæreticorum fuerunt, argumentũ quidem suppeditant ad falsitatem eorum Sectæ demonstrandam nec infirmum nec obscurum : idque egregie ut cetera breviterque tractavit Cardinalis de Richelieu (b). Id tamen non universale est adversus Sectas omnes ; nec contra plerasque valet Sanctitas aut Christi aut Apostolorum qui Fidem fundarunt; ceterorum vero sanctissimorum hominum vitæ morum que integritatis, contendentibus contra recentiores Hæreticos, operosior est probatio, quam ut breviter fructuoseque fieri possit. Itaque, ut dicebam prudentissime omnino Perpinianus legis & præceptorũ sanctitatẽ Romanæ Ecclesiæ, Hæreticorum vero flagitiosas leges urgebat. Atque hac nimirum ratione adversus Paganos pugnavit Theodoretus ; qui sermone *de legibus* qui est ordine IX. (c), quam turpes, quam flagitiosæ, quam rectæ rationi contrariæ, fuerint celeberrimæ vel Lycurgi, vel Platonis, vel aliorum leges tradit ; quod incæstas nuptias permittant, quod adulteria non vetent, quod teterrima flagitia vel laudent vel præscribant. Ceterum, ut hanc quoque partem attingat, de corruptis Hæreticorum moribus, acute

(a) Epist. Past. VII. §. XVIII. (b) lib. 2. cap. 10.
(c) tom. 4. ex recens. Sirmondi pag. 607.

Perpinianus ad eos demonstrandos testimonia profert vel illustrium virorum, vel Hæreticorum ipsorum, ex quibus (ut etiam Gretserus *opusc. tom.* XVII. fecit), argumentum sumi potest, quantum moribus vitæque innocentiæ damnum intulerit nova doctrina. De vitiis, Lutheri maxime tempore, post divulgatam ejus Hæresim ingruentibus Perpinianus profert testem Lutherum ipsum *in postilla super primam Dominicam Adventus*. Atque ibi quidem scribit; *mundus fit quotidie deterior: sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti & indisciplinati, multoque deteriores quam fuerunt in Papatu.* Dixisse etiam Lutherum testatur Aurifaber; *post revelatum Evangelium virtus occisa, justitia oppressa, temperantia ligata, veritas a canibus lacerata, fides clauda, nequitia quotidiana, devotio pulsa, Hæresis relicta.* Præterea Lutherus ipse *in Colloquiis* narrat scholæ suæ discipulos magnam partem Epicureos esse; vocari Reformatos, cum re ipsa potius *incarnati dæmones* esse videantur. Appellaverat præterea Perpinianus Erasmum in libro de *Pseudo-Evangelicis*, & *ad fratres inferioris Germaniæ*; ubi hæc habet; *novi Apostatam Monachum qui pro una duxerit tres; novi Sacrificum qui duxit uxorem quam postea comperit alteri nupsisse. Similia multa de Monachorum & Monacharum conjugiis referuntur, qui ductas repudiarunt eodem jure quo duxerant.*

nerant. Sacerdotem Basileæ virgis cæsum, mox urbe ejectum non nomino. . . Is,ut publicus ferebat rumor & in carcere & extra portam cum a carnifice dimitteretur,publice testatusest, se postleaquam se Lutheranæ sectæ addixerat in omne flagitiorum genus prorupisse &c. Quid alio in libro referat, de quo nonnulla supra attulisse me memini, non adscribã ne longior sim.Illud potius, quod ait Perpinianus ab eo dictum nunquam ex animo nobis effluere debere. proferam ex *spongia adversus Huttenum*, ubi postquam dixit; *circumspice mihi populum istum Evangelicum & observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quam faciunt hi quos detestamini? profer mihi quem istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum,ex rapaci liberalẽ, ex maledico benedicũ,ex impudico reddiderit verecundum. Subdit; Ego tibi multos ostendam qui facti sunt se ipsis deteriores: fieri potest ut hæc mea sit infelicitas; mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur se ipso factus deterior*. Idem scribit in Hyperaspiste II. aitque *adeo per hoc Evangelium non corrigi homines, ut potius videantur deteriores;nec fieri ut peccare desinant, sed ut peccent impunitius*. Idem in hanc rem profert testimonium Melanchtonis & OEcolampadii. *Nonne, inquit, Lutherus coactus est visitatores mittere qui populum in omnem ruentem licentiam cohiberent? Nonne idem dixit, se malle pristinum Papæ & Monachorum re-*

regnum, quam hoc hominum genus sub Evangelii prætextu in Lugdianorum vitam sese proripientium? Nonne idem suis ad me litteris deploravit Melanchton? Nonne idem in colloquio fassus est OEcolampadius? Quos Perpinianus deinde protulit, Joannes Spangenbergius, & Hieronymus Mentzelius, alter libellum edidit cui titulus; *Verax narratio beneficiorum per D. Martinum Lutherum p. m. præsertim Germaniæ præstitorum &c.*: in ejus libri fine; *posteaquam*, inquit, *admirabili quadam & singulari gratia Antichristianismi. seu Papatus horrenda mendacia, ac doli, deceptionesque manifestatæ sunt, incipiunt jam homines nil amplius concredere; & posteaquam a vinculis Papatus se liberos esse vident, volunt etiam esse liberi & soluti, ab Evangelio & a præceptis Dei, & volunt ut deinceps rectum sit & justum quicquid unicuique visum fuerit.* Alter, nimirum Mentzelius libellum edidit *de Pastoribus*, in quo eadem ferme narrat. *Postquam*, ait, *per S. Evangelium a Papæ tyrannide & potestate liberati sunt, & assueverunt omnes illius constitutiones rejicere, progrediuntur ulterius & volunt, prorsus eamdem consuetudinem in aliis quoque rebus omnibus, sive sint bonæ sive sint malæ, retinere: volunt esse liberi, nec a quoquam prohiberi, quominus arbitratu suo vivant; haud aliter quam si Evangelium esset talis doctrina quæ unicuique concedat potestatem faciendi quod illi placet, quæ nullum ordinem, nec ullam disciplinam; ferre possit.* XVI.

XVI. Ad extremum Perpinianus, ut probaret, novas Hæreticorum sectas e mali Dæmonis officina prodivisse *p.* 393., præter Pauli auctoritatem (*a*); *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum*: quibus postremis verbis, id etiam adnotante Chrysostomo, significat Hæreses, & Hæreticorum dogmata; affert Lutheri ipsius testimonium, narrantis, se de Missa abroganda quæ scripsit, a Diabolo fuisse edoctum. Hanc Lutheri narrationem multi, rem utique ad memoriã insignem, cùm Catholici, tum Heterodoxi in scripta retulerunt. Legatur ex Nostris, Nicolai Serarii oratio I. ex iis quas Lutheroturcicas nominavit; cui titulum fecit, *Vtrum candide, sinceriter ex animique sententia citra ullum aut convicium, aut maledictum loquendo verum sit, Lutherum quemadmodum de se ipso ipse scripsit, Diabolo Magistro & Doctore usum esse*. Sed cum multi postea idem hoc Lutheranis oggererent, præsertim Abbas Cordemorius in libello Gallice hoc super argumento edito (*b*); Nicolius quoque, aliique ex iis qui a Romana Communione alieni, sunt; hoc a se amovere, & veluti per calumniam fieret, depellere Heterodoxi homines contenderunt. Itaque Cordemorio Gaspar Sagittarius, Nicolio Claudius responsionem adornavit. Vel Latinam versionem negli-

(*a*) Timoth. I. cap. 4. v. 1. (*b*) Paris. A. MDCLXXXIV.

gligenter factam a Lutheri Collega (est enim a Luthero liber Germanice editus) causantur; vel allegoriam, sive parabolam quamdam eam Lutheri esse volunt, vel demum negant, id Lutherum asserere, se a Diabolo edoctum de abroganda Missa; verum *ob eam olim celebratam tentatum fuisse, ut desperaret*; in qua explicatione Magistri sui, consentire Lutheranos, testantur Actorum Lipsiensium scriptores (*a*). Sed Claudii responsio illa de allegoria, cùm ex Lutheri ipsius lectione refellitur, tùm repudianda omnino visa est ipsi Baylio (*b*), qui in hoc ceteroquin Lutheranis favet. Alia ab eodem, quem illo in loco aggrediuntur Lipsienses, Bossuetio refutatur (*c*). Mirum vero est, vel Germanos homines, qualis præ ceteris Hospinianus fuit, Germanica Lutheri scripta non intellexisse. Neque hùc facit, quod ajunt, repugnare rationem temporum, quo minus credamus, edoctum id a Diabolo Lutherum; cum jam anno superiore contra Missam disputasset. Nam saltem in ea quam imbiberat, prava opinione potuit confirmari, uberiusque edoceri, ne aliquando nutaret. Ceterum Perpinianus hic testis est, quam falso dicatur, quod auctor dissertationis contra Cordemorium affirmat, Jesuitas Germanos fuisse primos, qui factum hoc LX. post annos quam vulgatum fuerat, Lutheranis opponerent. Nam cum vulgatum

(*a*) ad A. MDCLXXXIX. pag. 70. (*b*) Bayl. Dict.
(*c*) *Hist. des variat.* l. 4. n. 17.

gatum sit, ut Serarius (*a*), & alii (*b*) tradidere A.MDXXXIII., consequitur id nōnisi A.MDXCIII. prodidisse Jesuitas; cum Hispanus hic noster A.MDLVI. in hac oratione protulerit. Nec vero puderet, quocumque demum tempore, quod Bossuetius. Richelius *pag.* 313. aliique fecerunt, fecisse hoc e Sodalitate nostra primos. Sed fatendum est id jamdiu occupasse externos homines; quorum hic duos nominabimus, Joannem Cochlæum qui obiit A. MDLII. & jampridem librum opposuerat Lutheri libro *de Missa & consecratione Sacerdotum*, in quo hoc narrat; & Stanislaum Hosium in *Judicio & censura de dogmate contra adorandam Trinitatem in Polonia sparso*. Ceterum hoc Perpiniani dogma; malo dæmone afflari hæreticos homines, quamplurimis testimoniis confirmare possemus. Ac si de Luthero ipso loquamur; Maximilianus I. Imperator (narrante a Lapide *in epist. ad Timotheum cap.* 4. *v.* 1.) in comitiis Augustæ Vindelicorum cum publice pranderet, & Lutherum vidisset, dixit pincernæ suo; *video cacodæmonem forma corporea humeris istius monachi incubantem, & te quidem superstite, me vero defuncto iste monachus turbas, calamitates, & miserias gravissimas in imperio suscitabit*. Verum de tota hac re cum fusius aliquanto agat, idemque argumentum a Perpiniano allatum verset Lindanus in eo

 dia-

(*a*) orat. I. pag. 10. (*b*) V. *nouvell. de la Rep. des lettres*. A. 1687. Jan. art. 3.

dialogo qui inscriptus ab eo est *Ruevvardus*, *sive de animi tranquillitate*, placet huc ejus particulam transferre. *Hoc ipsum*, ait ad Hugonium Ruewardus, *quò & tu semel perspicias Hugoni, animadverte, obsecro te tuam per salutem, a quonam spiritu vestras istud Evangelium habeat exordium. Si ejus quoque auctorem, vel Zvvinglio ipso Apostolo vestro teste, demonstraro esse diabolum, an dubites istius pseudo-Apostoli doctrinam ad æterna inferni claustra tristiaque Erebi barathra deducere? . . . . . Hujus rei testem non adducam alium quam ipsum vestratem istius novi Evangelii auctorem, ut dixi Zwinglium; qui a Carolstadio suo, deliro homunculo ubi non parum declinasset, quòd ejus verborum cœnæ interpretatio a Catholica dissentiens Ecclesia ipsi videatur absurdior, suo ex cerebro commentum excogitavit, sive ab impio quodam nebulone obscurissimo hausit, quo verbum illud* est *pro* significat *pervertendum voluit. Quod commentum a Christianorum memoria inauditum, ubi anxius æstuaret, totusque sudaret, quanam ratione verosimiliter atque Scripturarum analogiæ, notæque alicujus loci interpretationi conformiter statueret, longo tempore cum nihil occurreret, quod exagitantibus Lutheranis æmulis idoneum congruensque responderet, tandem XIII. Aprilis, de nocte sibi in somno visum narrat monitorem adesse* (*libro cui titulum fecit de suplemento Eucharistiæ*) ater fuerit, *inquiens*, an albus, nihil memini; *qui diceret*; quin, igna-

ignave, respondes quod Exodi XII. scribitur, est enim phase hoc est transitus Domini. *Audis hic, mi Hugoni, qualemnam doctorem tuus fuerit nactus Apostolus Zvvinglius?... An non in confesso est & Calvinum minime puduisse jactare, aliquando suum quoque Genium malum? Admonitus enim ut maledicendi acerbitate abstineret, neque scurrilibus suis vitiis, modesto Evangelii professore indignis, suos contaminaret commentarios, unde spiritus quo agebatur, luculenter agnosceretur, non esse Christi spiritum qui mansuetudinis est ac pietatis; respondit, (epist. ad. Bucerum) non sui hunc esse ingenii morbum sed sui Genii. An non hic satis sese prodit, quonam fuerit agitatus spiritu suis in maledicentissimis scriptis, omnem vel rabidi Archilochi maledicentiam superantibus? Verum ut ut de Calvino se res habeat, illud indubitatissimum est quod de Carolstadio testatur Erasmus Alberus: ait enim libro contra Carolstadium Basilien. Ecclesiastes, qui non infimum inter tuos, Hugoni, Sacramentarios obtinet locum, scribere; Carolstadio concionanti dæmonem viri, sed solito longioris specie apparuisse, domum ejus adiisse, deque ipso nominatim filium domi repertum percunctatum fuisse, atque jussisse, Patri diceret, se post triduum reversurum: cujus quasi citatione, post triduum subitis exanimatus terroribus, diris malæ conscientiæ suæ damnatus aculeis, ad nigra ejus tartara fuit abreptus. Quid? quod non incelebres quidam VV. affirmare*

non dubitant, tantam esse diabolo cũ Joanne Campano, suo illo Arianizante Sacramentario familiaritatem, ut cum ipsum visendi causa in carcere adiissent, cacodæmonem humana quidem specie ac habitu viderint in sede, juxta assidentem & colloquentem; sed manus pedesqae ungulatos non dissimulantem. Tale igitur cum habeat tua secta, Hugoni, exordium &c. Hactenus Lindanus. Non ergo immerito elogia illa inter se communicare diximus Heterodoxos quibus se *perdiabolatos*, *transdiabolatos*, *superdiabolatos* appellant; & Muntzerum, Campanum atque istorum similes Carolstadius (*a*) vocat *meros corporeos dæmones*; addens etiam, *qui Muntzerum vidit, dicere potest se diabolum vidisse corporeum in summo suo furore*: Georgius Major Illyricum vocavit *organum diaboli*, ut ipsemet conqueritur in libello contra Majorem. De Majore vero Vigandus in libro de ejus erroribus, *Diabolum in Cathedra Lutheri sedere*. Extat epigramma in Theodorum Bezam (*b*), in quo similis plane sententia legitur

Spintria nunc fueras, mollisque salaxque poeta,
Mox doctor sacri factus es eloquii.
Unde rogo potuit subita hæc mutatio gigni?
Non tribuenda Deo, sed potius Satanæ.

Nem-

(*a*) Colloq. mens. Thom. 3. Genen. Germ.
(*b*) ap. Jacobum Laingæum de vit. & mort. Bezæ pag. 61.

Nempe tui similes versutos ardeliones
Exquirit, quorum fraude Fides pereat.
Angelus ergo Erebi, Lucis, Christique ministrum
Mentitus, cæcos duxit in exitium.

Sed de antiquioribus Hæreticis idem plane traditur. Willielmus Malmesburiensis lib.3 *de gestis Regum Anglorum* (a), de Berengario loquens, scribensque Fulbertum Episcopum Carnotensem multo ante ejus impietatem vidisse; *Nam*, inquit, *cum in extremis positum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentibus sufficeret, ille inter oppositas catervas oculo longe rimatus, Berengarium nisu quo valuit expellendum censuit, protestatus immanem dæmonem propter eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu & illice anhelitu corrumpere*. De Marco Colorbasio Irenæus (b) *datur autem intelligi eum & dæmonem quemdam paredrum habere, per quem ipse quoque prophetare videtur, & quotquot dignas putat fieri participes suæ gratiæ prophetare facit*: quæ retulit quoque Epiphanius (c). Nimirũ hunc, aliosque antiquiores Hæreticos cum Hæresi magiæ, præstigiorumque crimen conjunxisse idem Irenæus testatur (d); & Eu-

(a) pag. 14. scriptor. Savilii Francof. A. MDCI.
(b) lib. 1. cap. 13. (c) Hæres. 34. n. 2.
(d) lib. 1. cap. 23.

sebius (*a*), postquam de Saturnino, Basilide, & Carpocrate dixit, hæc subjicit: *Hi magicas Simonis præstigias non clam ut ille, sed palam ac publice tradendas esse censebant: & philtris arte magica curiose elaboratis, paredris quoque & somniorũ immissoribus quibusdam spiritibus, aliisque hujusmodi maleficiis tamquam maximis ac pulcherrimis rebus gloriabantur*. Cassianus (*b*) diversa dæmoniorum genera recensens; *alios*, ait, *reperimus non solum studere mendaciis, sed etiam blasphemias hominibus inspirare. Cujus rei etiam nos testes sumus qui audivimus apertissime dæmonem confitentem, per Arium & Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse*; atque affert quod in libris Regũ habetur de spiritu se ad id fallaciæ opus offerentem; *egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*: item locum Pauli allatum a Perpiniano. Hæresum auctorem Diabolum sæpe PP. faciunt; ut Cyprianus qui in libro *de Unitatę Ecclesiæ* (*c*) scribit, illum cum videret idola derelicta & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitasse novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos. *Hæreses*, inquit Cyprianus, *invenit & Schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circum-*

(*a*) H. E. lib. 4. cap. 7. (*b*) Collat. VII. cap. 32.
(*c*) pag. 194.

cumscribit & decipit novi itineris errore. Athanasius quoque oratione I. contra Arianos (*a*); vult discant ex Scripturis, ipsum diabolum Hæresum auctorem ob proprium perversitatis fœtorem verba Scripturarum usurpare solere, ut illis quodammodo obtectus suum venenum spargere facilius possit, & simplices circumvenire: sic Evam illum fefellisse, sic alias effinxisse Hæreses, sic etiam tunc Ario persuasisse, ut in Hæreses, inveheretur & se illis adversarium fingeret, quò clam posset Hæresim suam inducere. Et in epistola de decretis Nicenæ Synodi (*b*) ita Arianos alloquitur, ut dicat; omnes ab illis abhorrere præter unum Diabolum, qui eorum defectionis pater & auctor extitit, illisque primùm hanc impietatem inseminavit, atque etiam nunc suadet ut Oecumenicam synodum suis maledictis insectentur. Merito ergo Perpinianus, & extrema parte hujus orationis malum dæmonem Hæresum fuisse auctorem contendit; & orationibus omnibus quas exposuimus demonstrandum sibi proposuit, ab eodem il-

 las

(*a*) num.7. (to.1.p.1.pag.411.(*b*) n.27. (ibid.pag.233.)
πάντες γὰρ ὑμᾶς ἀποςρέφονται πλὴν μόνον τοῦ διαβόλου· μόνος γὰρ ὑμῖν οὗτος τῆς τοιαύτης ἀποςασίας πατὴρ γέγονεν, ὁ καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν ὑμῖν ἐπισπείρας τὴν ἀσέβειαν ταύτην, καὶ νῦν λοιδορεῖν τὴν οἰκουμενικὴν σύνοδον.

las esse profectas; quod pariter recentiores nonnuli fecerunt, præsertim vero amplissimus doctissimusque Cardinalis Varmiensis Episcopus Stanislaus Hosius in libro primo ex iis quos ipse scripsit adversus Prolegomena Brentii, edideitque Petrus Canisius (*a*). Nam ipso statim initio, a communi hominum adversario Satana manasse Hæreses docet, & Lutheranismum ob eam ipsam causam *Satanismum* appellat; veteri more scilicet, quo ab auctore suo Secta quælibet appellata reperitur; ut ex Epiphanio præsertim constat; imo Religio ipsa nostra a Christo autore χριςιανιςμός vocatur ab Eusebio (*b*), Nazianzeno (*c*), Chrisostomo (*d*); a Basilio (*e*) vero pluribus in locis. Et vero si quis eum Hosii librum legat, videbit eadem ferme argumenta omnia, quæ Perpinianus persequitur, esse a Clarissimo illo viro usurpata, ut nullus illustrare magis Perpiniani nostri doctrinam possit.

§. VI.

(*a*) Lege *Præmonitionem* quæ Canisii nomen præfert in editione Coloniensi A. 1584. etsi id tacetur in Parisiensi A. 1562. & Antuerpiensi 1571.

(*b*) initio Evang. Præparat. (*c*) orat. XX.

(*d*) init. hom. XXXI. in epist. ad Hebr.

(*e*) in Isaj. num. 64., ep. 200. &c.

§. VI.

De oratione XII.

1. *Summa orationis XII. qua defendit recte a se Hæreticos* impios *fuisse appellatos ; & quinque sibi maxime demonstranda proponit . 2. primum quod Perpinianus probat ; potestatem nominis* εὐσέβεια *& Latini* pietas *multiplicem esse , atque ad eos quoque pertinere qui Deum non omnino negant . Græcorum & Latinorum testimonia . 3. Hæreticos appellari omnibus iis vocabulis , quibus omnia dicta atque facta Divinam majestatem minuentia significantur ; qualia sunt* sacrilega pravitas , perfidia , sacrilegus , Christi hostis , blasphemus : *pro* βλασφημία *Cyryllus Alex. uti solet* δυςφημία : *alia nomina ; in quibus omnibus* impietas *veluti delitescit . 3. Apostoli , & PP. Hæreticos vocant* impios, *&* ἀσεβεῖς. *5. Hæretici Patribus* ἄθεοι . *6. Iidem non sunt* Christiani ; *sed* Antichristi *vocantur , &* Christi adversarii . *PP. a Perpiniano adducti qui negant Hæreticos esse Christianos : Infideles sunt . 7. Alii* Fideles , *alii* Christiani *apud Veteres. 8. Nominis* Christianus *hæc potestas esse videtur , ut significet* qui fidem habet , *sive ba-*

baptismum acceperit , sive adhuc sit catechumenus : ex TT. Fides est , quæ membrum constituit Ecclesiæ . Vox illa usitata MM. Christianus sum *hanc fidem significabat ; quam aliquando aliis verbis expresserunt* credo in Deo , in Christo &c. *Hæretici fidem non habent , adeoque jure illis* Christiani *nomen denegatur . 9. Alii PP. a Perpiniano non prolati Hæreticos Christianos esse negant . Aliter* Christiani *nomen PP. accipere solent in homiliis ad populum .*

I. SEd aliquando veniendum ad eam quam omisimus orationem XII. Nam ab instituto parumper discedit , & id tantummodo agit Perpinianus ut dictum quoddam suum tueatur , quo *impietatis* nomine Calvinianam Sectam notaverat; quæ notatio tumultus causa fuerat quem superius narravimus . Aliam tamen accusationem prius depellere aggreditur (postquam *pag.* 337. exorsus est ab actione gratiarum prò silentio quod auditores sui servaverant superiori oratione , recepitque , se diligentius etiam vitaturum in posterum omnium offensionem) ; quod homo peregrinus tam libere in Gallia de Rep. loqueretur . Respondet huic accusationi *pag.* 439. non ignorare se quid officiorum Magistri præscribant , atque ea servasse . Dixisse in privata concione apud eos ; qui de universo regno consultare, & controversias ad imperii summã

per

pertinentes disceptare non possunt. Duo præterea esse genera de Religione quærendi & disceptandi; unum ita cum publico statu rerum omnium copulatum esse, nemo ut de eo loqui possit, quin omni de Rep. simul dicat; alterum a regni ratione disjunctum & avulsum privatim ad unumquemque pertinere. Primi generis esse, sintne in Gallia ferendæ duæ aut plures diversæ & contrariæ Religionis disciplinæ, an alterutra, vel omnes præter unam aut duas penitus exterminandæ? ac de hujusmodi causa se tacuisse. Esse vero alterius generis; utra de duobus, aut quæ potissimum de multis Religionibus disciplina sequenda sit unicuique? atque hanc suo jure sibi assumpsisse amore ac benevolentia erga illos; idque se in posterum etiam esse facturum. *At vero*, inquit, *pag.* 343. *in his quæ privato uniuscujusque nostrum consilio continentur, non preces & vota solum adhibebo, sed vocem, etiam & latera, & quicquid dicendo consequi potero ad preces adjungam, vosque ut in Religione Majorum, quam solam esse veram credo, constanter permaneatis cohortabor: neque patiar esse tam multos qui eloquentiæ suæ vires convertant ad Ecclesiæ Catholicæ statum evertendum; me communi parenti omnium nostrum non optanti modo, verum etiam poscenti & efflagitanti, si quam forte possim, opem oratione non afferre.* Quæ ubi dixit, transit ad alterum accusationis

caput de *impietatis* nomine. Eo ille donarat Calvinianam disciplinam orationeX.*pag.266. Adhibete quæso animos mentesque vestras Parisienses, non solum aures ad orationem meam admovete; ut intelligatis quam detestanda ac fugienda sit ista nova, ut ipsi vocant, Religionis; ut ego sentio, impietatis disciplina*: quæ verba consecutum esse fremitum & sibila Calvinianorum diximus. Iam vero ita accusatores contra se arguentes inducit: eumdem esse *impium* ac qui apud Grecos ἀσεβὴς dicitur, sive etiam ἄθεος; qui scilicet vim omnem potestatemque divinam funditus tollit; quamobrem nec Hæreticos quidem, nec quicumque illi essent qui Religionem aliquam colerent tali fuisse nomine appellandos. Perpinianus ait, primo respondere posse quadam se usum recriminatione: nam ab illis quoque suos appellatos *idololatras*. Sed negat ita accusatorie respondendum; ac post oratorios illos modos suspensionis & communicationis probare aggreditur, Hæreticos a Majoribus nostris solitos vocari *impios*. Ita tamen instruit hanc probationem, ut de nominibus, quibus vel Hæreses vel Hæreticos Patres notavere, luculenter docteque disserat. In quo quidem intueri licet, quantum ad hominis eloquentiam singularis cujusdam doctrinæ atque eruditionis præsidium accederet. Non enim ea profert, quæ ex verborum collectione aliqua sive

Glos-

Glossario ut vocant, hausta sint, (atque eorum eo tempore mira paucitas, quibus nunc abundamus) sed, quæ plane constat ex assidua diligenti que veterū Scriptorū lectione ab eo esse deprompta. Atque ut ejus vestigia persequamur, I. de potestate agit nominis εὐσέβεια apud Græcos, *pietas* apud Latinos; quam non simplicē esse ait, sed veluti triplicem; atque ad Deum spectare, Patriam, consanguineos; ita ut qui aliquam horum partium lædat impius dici possit; neque impiū esse eum solum qui Deum omnino negat. II. *pag.* 349. ubi dixit Majores nostros Hæresim, non ματαιότητα modo, & δεισιδαιμονίαν sive δεισιδαίμονα ἄνοιαν appellasse; sed etiam iis vocabulis quibus omnia dicta atque facta divinam majestatem minuentia significantur; qualia sunt βλασφημία, *sacrilega pravitas*, *sacrilegus*: hinc colligit, bene de Hæreticis dici *impietatem*; quæ in illis nominibus veluti delitescit. III. *pag.* 350. ipsum nomen ἀσεβεῖς convenire in Hæreticos, Patrum per ætates singulas recensione probat. IV. *pag.* 353. cum adversarii velint ἄθεον idem esse ac ἀσεβῆ, demonstrat illud etiam nomen Hæreticis tributum. V. *pag.* 355. sibi objiciens Hæreticos *Christianos* esse, adeoque ab iis ea nomina esse aliena, respondet 1. id Veteres negare. 2. etsi Christiani sint, non esse *Fideles*. Denique *pag.* 359. vocem *impius* latius patere demon-

monstrat ad improbos quoscumque indicandos.

II. Primum ex his docet indicatis Ciceronis & Catulli testimoniis. Tullii habentur *libro* VII. *in Verrē*, sive ut alii numerant V., aut etiam VI. Nam in fine ejus actionis colligens quæ adversus eumdem libris omnibus dixerat, de latrociniis quibus templa Deorum expilarat hæc habet; *ceteros etiam Deos Deasque omnes imploro atque obtestor quorum templis & religionibus iste nefario quodam furore & audacia instinctus bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum*. Præterea pro M. Fonteio *num.* 10. de Gallis loquens; *postremo his quicquam sanctum aut religiosum videri potest, qui etiam si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant? .... potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos imperio ac nomini bonis ac fidelibus & sociis & civibus anteferre?* Catulli epigramma quod profert, ubi dicitur

Si vera est Persarum impia Religio

est XCI. (*a*) ut vulgo numeratur, sive LXXXVIII. (*b*); hic ponitur XXII. quod ab elegiis, epigrammata secernātur. Quæ varietas orta ex eo est

(*a*) ex recens. Passeratii Parisiis 1608., Cum notis Varior. Parif. in fol. 1608., Trajecti ad Rhenum, 1680. in 8.

(*b*) ex recens. Jo: Antonii Vulpii Patavii 1710.

est quod nullus sit certus auctor vetus quem sequamur numerationis Catulli poematum; nullumque numerum pariter adscriptum habent antiquiores editiones; ut Parmensis A. 1473., Aldina &c., quod etiam fecit in sua Joannes Franciscus Corradinus de Allio. Sed hæc minutiora sunt quam ut hic persequi debeamus. Perpinianus allegat postea Tibullum *lib.* 1. *eleg.* 3.

Parce pater; timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba Deos

& *lib.* 3. *eleg.* 4.

Sed mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec læsit magnos impia lingua Deos.

Addit Arnobium, quem ait affirmare sæpius, gentes a veritate abhorrentes impias esse, vereque in impietate jacere. Nos unum vel alterum ejus locum afferemus(*a*): *Etenim revera est impium & sacrilegia cuncta transcendens, sapientem illam credere beatissimamque naturam, magnum aliquid putare, si se sibi aliquis adulatoria humilitate submittat; & si fuerit non factum despectam se credere, & ab summi culminis decidisse fastigio: (b) Hæc* cum

(*a*) lib. I. pag. 16. ex recens. Desiderii Heraldi Paris. 1605.
(*b*) lib. 7. pag. 53.

cum ita se habeant cumque sit opinionum tanta nostrarum, vestrarumque diversitas; ubi aut nos impii aut vos pii; cum ex partium sensibus pietatis debeat atque impietatis ratio ponderari? Adde locum alium *libr. 2. pag. 54.* Ceterum de vocis hujus potestate fuse Paulus Manutius in commentario primæ epistolæ Ciceronis ad Familiares.

III. Quod secundo loco ajebat, Hæreticis *blasphemi* nomen tribui & *sacrilegi*, sive *sacrilegæ pravitatis* & *blasphemiæ*, Jacobus Gothofredus ad tit. *de Hæreticis* (a) Codic. Theodosiani animadvertit; in legibus quæ ibidem recensentur *sacrilegi* nomen sæpe Hæreticis tribui, & *sacrilegam cohortem* appellari *leg. 21.*, *dogma sacrilegum l. 8.*, *mentem sacrilegam leg. 41.*; denique passim *sacrilegum* de illis dici *leg. 6. 7. 8. 20. 21. 41. 56. 53: 63. ultim.* Ex Patribus Augustinus ita librum I. aggreditur contra litteras Petiliani: *Nostis nos sæpe voluisse Donatistarum hæreticorum sacrilegum errorem in notitiam manifestam non tam ex nostro quam ex ipsorum opere producere atque convincere*; & *lib. 2. contra Cresconium num. 48. Superbia est ista obstinatio & sacrilega præsumptio quam sibi furor pravus assumit*: quæ verba sunt Cypriani. *ep. 51.* Cypriani vero locum quem affert Perpinianus *ad Jubajanum* habes *epistola 73.* ubi ait; *Si autem quid Apostoli de Hæreticis sen-* *se-*

(a) lib. 16. tit. 5.

ferint consideremus, inveniemus eos in omnibus epistolis suis execrari & detestari Hæreticorum sacrilegam pravitatem. Item *epistola* 40. (*a*) de quinque presbyteris loquens factionis Felicissimi, sive etiam Novati, quam *hæreticam factionem* postea vocat, scribit; *antiqua illa contra Episcopatum meum, imo contra suffragium vestrum, & Dei judicium venena retinentes, instaurant veterem contra nos impugnationem suam; & sacrilegas machinationes insidiis solitis denuo renovant .... Adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore ut dispositio divina violetur*. Et *epistola* 70. (*b*); *qui in errorem seductus est & foris tinctus in baptismo vero & ecclesiastico etiam hoc ipsum deponat, quod homo ad Deum veniens, dum Sacerdotem quærit, in sacrilegum fraude erroris incurrit*. Idem reperies epistola quæ nunc est ordine LV.,& in libro qui vero titulo inscribitur (*c*) *de unitate Ecclesiæ*, in antiquioribus (*d*) *de simplicitate Prælatorum*. Atque in mox laudata *epistola* 70. Hæreticos etiam *Christi adversarios* (*e*), atque *hostes* vo-

E e cat:

(*a*) In editionibus antiquioribus quas secutus Perpinianus, in quibus in libros plures epistolæ Cypriani tributæ sunt, quales vidimus Antuerpiensem anni 1541. & Manutii Romanam A. 1563., est lib. 2. ep. 8.

(*b*) in vet. edit. ut Perpinianus allegat lib. I. 12.

(*c*) ut probatur in editione Anglicana & Parisiensi A. MDCCXXVI. (*d*) Antuerpiensi &c.: in Manutiana utrumque titulum habet.

(*e*) *ne quis exorbitans & a veritatis exerrans apud Ha-*

cat : quo nomine Feliciſſimum illum ſæpius appellat *epiſtola olim* 3. *lib.* 2., *nunc LV.* ſcribens ad Cornelium ; *Significaſti Feliciſſimum hoſtem Chriſti non novum ſed jampridem ob crimina ſua plurima & graviſſima abſtentum* : & infra narrans ſe a quibuſdam impugnari ; *apparet* , inquit, *quis impugnet, non ſcilicet Chriſtus qui ſacerdotes aut conſtituit aut protegit, ſed ille qui Chriſti adverſarius & Eccleſiæ ejus inimicus ad hoc Eccleſiæ præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur ut gubernatore ſublato atrocius atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur*. In libro de unitate Eccleſiæ ; *nec perveniet ad Chriſti præmia qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt.* & epiſtola quam mox allegavimus 73. : *quomodo gerunt ſpiritalia & divina qui ſunt hoſtes Dei, & quorum pectora obſederit ſpiritus Antichriſti? ...qui ſpargentes atque impugnantes Eccleſiam Chriſti a Chriſto ipſo adverſarii, ab Apoſtolis vero ejus Antichriſti nominãtur.* Omitto hic nomen illud χριϛομάχȣ quo ſingulas fere Theſauri ſui paginas inſpergit Cyrillus Alexandrinus , & θεομάχȣ etiam quo frequenter utitur , ut *pag.* 23. 24. 243. 244. *&c.* necnon Athanaſius

Hæreticos & Chriſti adverſarios ungeretur &c. Quare qui cum Domino ſumus . . . quæcumque adverſarii ejus & Antichriſti faciunt rejicere & pro prophanis habere debemus : quid enim poteſt ratum & firmum eſſe apud Deum quod illi faciunt, quos Dominus hoſtes & adverſarios ſuos dicit &c.

sius *orat.* I. *contra Arianos pag.* 411. Alio præterea nomine Perpinianus docuerat Hæresim a PP. notari; nimirum *blasphemiæ*, atque auctoritatem indicaverat Justini in dialogo cum Triphone *num.* 80. (*a*) : *Nam*, inquit, *quod spectat ad eos qui Christiani quidem dicuntur, sed athei & impii sunt hæretici, blasphema illos in omnibus & impia & insana docere tibi demonstravi*: & *num.* 82: (*b*) *Multi enim impia & blasphema & iniqua in ejus nomine adulterantes tradiderunt*. Addiderat Irenæum in præfat. libri I. scribentem de Hæreticis; *suadenter quidem illi illiciunt per verborum artem simpliciores ad requirendi modum, male autem perdunt eos in eo quod blasphemam & impiam ipsorum sententiam faciant in fabricatorem, non discernere valentium falsum a vero*. Antiquum vero Interpretem cujus hæc sunt verba, pressius institisse Irenæo quam Billium, qui vertit *sententiam contumeliosam & impiam*, ex Græco textu patet, cujus fragmentum nobis *servavit Epiphanius*

 hæ-

(*a*) τοὺς γὰρ λεγομένους μὲν χριστιανοὺς ὄντας δὲ ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς αἱρεσιώτας ὅτι κατὰ πάντα βλάσφημα καὶ ἄθεα, καὶ ἀνόητα διδάσκουσι, ἐδηλωσάσοι.

(*b*) πολλοὶ γὰρ ἄθεα καὶ βλάσφημα καὶ ἄδικα ἐν ὀνόματι αὐτοῦ παραχαρόσσοντες ἐδίδαξαν.

haeresi 31., ubi habetur ὃν τοῦ βλάσφημον καὶ ἀσεβῆ τὴν γνώμην αὐτῶν κατασκευάζειν εἰς τὸν Δημιουργὸν. Atque infra revocari vult sive cavere omnes *a profundo insensationis, & ejus quae est in Deum blasphemationis*. Et in praefatione *lib*. 5. saepius hoc verbum de Haereticis usurpat: *super omnes est enim*, ait, *blasphema regula ipsorum &c. blasphemant autem & in Dominum nostrum &c: Non solum apostatas eos faciens sed & blasphemos in plasmatorem instituit multis machinationibus, idest per omnes Haereticos qui praedicti sunt. Hi enim omnes quamvis ex differentibus locis egrediantur & differentia doceant, in idem tamen blasphemiae concurrunt propositum, lethaliter vulnerantes, docendo blasphemiam in Deum factorem & nutritorem nostrum &c. Quaecumque enim cum gravitate summa dixerint omnes Haeretici, in ultimum ad hoc deveniunt ut blasphement fabricatorem &c.* Praeter haec loca quae Perpinianus attulit antiquissimus pariter ex Patribus Cyprianus (*a*); *Longe alia est*, inquit, *apud Marcionem, sed & apud ceteros Haereticos fides: imo nihil est apud illos, nisi perfidia & blasphemia & contentio, sanctitatis & veritatis inimica*; atque infra; *quid est igitur aliud quam participem Haereticis blasphemantibus fieri &c.* Frequens vero est apud Graecos deHaereticis loquentes, eo-

(*a*) epist. 73.

eorum hæresim vocare *τὴν βλασφημίαν*, & de iis docentibus dicere *βλασφημοῦσι*. Ita Eusebius de Novato ex veteri auctore: *τινας τῶν ἀδελφῶν εἰς ἀσεβείας καὶ βλασφημίας ἑλκύσαντι lib.7. cap.8.*, & *cap.* 28. de Samosateni hæresi loquens scribit, cum ille novitatem sui dogmatis occultare niteretur, contra sacerdotes conatos denudare atque in medium producere *τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν εἰς Χριστὸν βλασφημίαν αὐτοῦ*. Marcion etiam ab eodem narratur (*a*) scholam auxisse *ἀπηρυθριασμένως βλασφημῶν*. Eodem libro (*b*) referens negasse Encratitas primi hominis salutẽ addit *Τατιανοῦ τινος πρώτως ταύτην εἰσενέγκαντος τὴν βλασφημίαν*. Alibi (*c*) Artemonis *τῆς βλασφήμου ψευδηγορίας* meminit;&(*d*)ex veteri auctore, Sabellii *δόγματος ὄντος ἀσεβοῦς καὶ βλασφημίαν πολλὴν ἔχοντος*. Sed infinitus ero si cùm ejus tùm aliorum Græcorum loca hic indicabo, præsertim Epiphanii (*e*), & Nysseni contra Eunomium scribentis: qui postremus sane eleganter initio orationis XII. cum Goliath Eunomium comparans, manibus ait distringere *ῥομφαίαν, τὴν βλασφημίαν*: & *libr.* 1. conra eumdem postquam retulit fun-

(*a*) lib. 4. cap. 11. (*b*) cap. 29, (*c*) lib, 5. cap. 28. (*d*) lib 7. cap. 6.
(*e*) V. hæres. XL. 9. LXV. 56. LXVIII. 7. LXXVIII. 3.

fundamentum quod Hæretici ſubſtruxerant *βλασφημίας*, ait imitari eos qui Dominum lapidibus obruere cogitarunt nam: etiam ipſi *ταῖς βλασφήμοις φωναῖς τὸν τῆς ἀληθείας λόγον καταλιθάζουσιν.* (a)Illud non prætereundum cenſemus, Cyrillo Alexandrino placere affinem vocem *δυσφημίας* ſive ejuſdem ſignificationis,ut exOEcumenio conſtat *in acta Apoſtol. cap.* 12 : itaque ea frequenter utitur in Theſauro de Hæreticis loquens (b). De ceteris nominibus quæ obiter Perpinianus commemoravit, & quibus Hæreſim PP. vocant *ματαιότητα, δεισιδαιμονίαν, δεισιδαίμονα ἄνοιαν*, exempla non deſiderabit qui veteres Scriptores omnes attente diligenterque leget. Et Epiphanius quidem ubi contra Origenianam Hæreſim quæ eſt ipſi ordine LXIV. differuit, ex Methodio, ſcribit *num.* 63. putare hæc ſufficere *πρὸς τὰς ἐκείνου φλυαρίας καὶ τῆς αὐτοῦ ἀνατροπῆς τῆς τῶν ἀνθρώπων ζωῆς δι' ἐπιπλάσου Ἑλληνικῆς δεισιδαιμονίας καὶ κακοηθείας.* Deinde fruſtra eum laboraſſe narrat conſcribendis ſex librorum millibus qui exarati ab eo perhibentur, atque ita ipſum alloquitur: *ὦ ματαιοπόνε, καὶ τὸν πάντα κάματον εἰς ψόγους καὶ δόλους ματαιότητος ἀνα-*

(a) Append. ad oper. pag. 75.
(b) tom. 5. Oper. part. 1. pag. 57. 91. 193. 224. 307. 333. &c.

ἀναλώσας σφοδρῶς &c. Frequentius vero reperies apud eumdem in Hæreticorum reprehenſione ματαιοφροσύνην & ματαιόφρονον (a), ſive etiam ματαιολογίαν (b), & ματαιοπονίαν (c); uti etiam loco ἀνοίας quod verbum ſæpe Patres (d) uſurpant ἀπονοίαν (e), διανοίαν (f) ab iiſdem Patribus nominari. Exemplum ſubjicit Perpinianus ex Euſebio (g) ubi cavetur ne in publicis vel privatis locis congregentur δεισιδαίμονος ἀνοίας συςήματα: & ſupra iiſdem in litteris (h) quæ ibi recitantur Conſtantini, vocata fuerat Hæreſis ματαιότης; atque infra (i) legitur idem nomen, atque appellatur τὰ τῆς δεισιδαιμονίας συνέδρια. In Cypriani vero epiſtola LXXIII. ad Julianum, nominatis Patripaſſianis, Anthropianis, Valentinianis, Apelletianis, Ophitis, Marcionitis, additur; *& ceteræ hæreticorum peſtes & gladii ac venena ſubvertendæ veritatis*; ac mox; *ne longum*

(a) Hæreſ. XXVI. n. 30. XXXIII. 2. XXXVII. 1. XLII. 7 pag. 341. XVI. 13. &c.

(b) Hæreſ. LXXVII. 3. (c) Id. Hær. XXXI. n. 3.

(d) Chryſoſtomus in epiſt. ad Philipp. cap. 2. hom. 7. n. 4. (tom. XI. pag. 250.) Nazianzenus orat. 33. pag. 535., Cyrillus Alex. in Joa. cap. 4. tom. 4. pag. 30.

(e) Nazianzenus ep. 17. pag. 831., orat. 46. pag. 721. Cyrillus Alex. tom. 4. pag. 30. & tom. 5. pag. 243.

(f) Epiph. Hær. LXV. 1.

(g) lib. 3. V. Conſt. cap. 65. (h) cap. 64. (i) cap. 65.

gum sit per hæreses universas decurrere & singularum vel ineptias, vel insanias recensere &c. Hæreticorum ineptias; habet etiam epistola 55. hac ibidem *sciretis, eum vel sacrificio, vel libello esse maculatum, vel unum de Hæreticis, perversum scilicet & profanum*. His in vocabulis contendit Perpinianus impietatis veluti nomen delitescere, ut propterea culpandus ipse non sit si Hæreticos impios appellavit.

IV. Sed tertio ut diximus *impii* nomen ipsũ de Hæreticis usurpatum & Græcum ἀσεβῆ Perpinianus demonstrat. Allegat 1. Justinum in dialogo cum Triphone, & locum ex eo libro *num.* 80. supra recitavimus. Sed pluries repetit, ut *num.* 23. narrans Christianos cum nemine eorum communicare, γνωρίζοντες ἀθέους, καὶ ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους &c. 2. Irenæum, quem pariter supra audivimus vocare Hæreticorum sententiam *blasphemam & impiam*. 3. Dionysium Alexandrinum cujus verba sunt quæ retulimus ex Eusebio (*a*). 4. Cyprianum qui *epist.* 40. de schismaticis quibusdam scribens ad plebem exclamat; *adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur ut dispositio divina violetur* & epist. 73. *Tu Christum putas impiis & sacrilegis & in Patrem suum blasphemis impunitatem dare &c.*? 5. Alexandrum Alexandrinum illum Episcopum qui in epistola de Arii hæresi apud Socra-

(*a*) lib. 7. cap. 6. 8. & 9.

Socratem(*a*) cum quereretur Arianos ab Eusebio Nicomediensi susceptos; *Eusebius*, inquit, *eos suscepit, impietatem pietati, & veritati studens miscere mendacium*, atque infra, se impietatem illorum coram audivisse testatur(*b*). 5. Adducit Eusebium, qui recitatis Constantini litteris, narrat ita impietatis illorum auctores in fugam actos(*c*). 6. Synodi Nicenæ epistola apud Socratem (*d*) nominat τὴν ἀσεβῆ αὐτοῦ, Arii nimirum δόξαν, relatisque Arii erroribus subdit; ἅπαντα ἀναθεμάτισεν ἡ ἁγία σύνοδος, οὐδὲ ὅσον ἀκοῦσαι τῆς ἀσεβοῦς δόξης, ἢ ἀπονοίας. καὶ τῶν βλασφήμων ῥημάτων ἀναχομένη,

 Sæ-

(*a*) Libro 1. capite sexto pag. 12. edit Cantab. an. 1720. οἱ δὲ περὶ Εὐσέβιον προσεδέξατο, σπουδάζοντες συγκαταμίξαι, τὸ ψεῦδος τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τὴν ἀσέβειαν τῇ εὐσεβείᾳ.

(*b*) Libro primo capite sexto pag. 13. ejusdem edition. ἡμεῖς αὐτήκοοι τῆς ἀσεβείας αὐτῶν γενόμενοι.

(*c*) Lib. 3. vitæ Constantini cap. 66. pag. 622. ejusdem edit. οἱ τῆς τούτων δυσσεβείας ἔξαρχοι. & eodem capite postea memorat τοὺς μηδὲν δυσσεβὲς ἐν δογμάτων διδασκαλίᾳ φέροντας.

(*d*) Lib. 1. cap. 9.

Sæpius etiam postea Arii ἀσέβεια appellatur. 7. A Constantino in epistola scripta Alexandrinorum Ecclesiæ apud eumdem Socratem (*a*) describitur Arius malum ἀσεβεῖ γνώμῃ διασπείρας. 8. Sequuntur apud Perpinianum Athanasius, qui in epistola de Decretis Nicænæ Synodi, statim initio (*b*) τὴν τῆς αἱρέσεως ἀσέβειαν nominat, ac sæpius postea. Basilius ipse quoque libris v. adversus Eunomium illi hæretico impietatem crebro tribuit. Principio libri primi, ubi retulit, primum, qui dicere aperte, ac docere ausus sit dissimilem esse substantia unigenitum filium Deo Patri, fuisse Aetium Syrum, subjicit (*c*) ὁ δὲ ἐκδεξάμενος τὴν ἀσέβειαν, καὶ τελειώσας αὐτὴν Εὐνόμιος οὗτος ὁ Γαλάτης. Chrysostomus in epistolam ad Philippenses (*d*) hæreses nonnullas enumerans, dubitansque an in iis recensendis dogmatum affinitatis an temporis rationem habere debeat, hæc scribit: βούλεσθε τὴν τῆς ἀσεβείας, ἢ τὴν τῶν χρόνων; ἀλλ' ἴδωμεν τὴν τῶν χρόνων. τὴν γὰρ τῆς ἀσεβείας δύσκολον συνιδεῖν. Et alibi explicata Hæreticorum sententia subjungit

(*a*) ibid. (*b*) Tom. 1. pag. 208.
(*c*) tom. 1. Oper. pag. 208.
(*d*) cap. 2, hom. 6. num. 1. (tom. 11. pag. 234.)

jungit (*a*) ὁρᾶτε τὴν ἄνοιαν; ὁρᾶτε τὴν ἀσέβειαν. Sæpius vero eo vocabulo utitur disputans contra Anomœos, ut *hom.3.n.6.*(*b*). Ambrosius *lib.1. de fide ad Gratianum* (*c*); *unum ergo Deum*, inquit, *non duos, aut tres Deos dicimus, ut impia Arianorum hæresis dum criminatur incurrit*. Et inferius (*d*); *Sed avertat Deus hanc amentiam: nos enim ad impietatem eorum redarguendam hanc retulimus quæstionem*: subditque; *pia namque mens generationem sine tempore asserit*. S. Hieronymus in libro adversus Helvidium (*e*); *curramus per singula, & impietatem iisdem, quibus ingressa est vestigiis persequentes, pugnantia inter se dixisse doceamus*. In Dialogo contra Pelagianos (*f*) Attico interroganti; *Errat ergo qui Dei gratiam tollit?* respondet Critobolus; *Errat, quin potius arbitrandus est impius, cum Dei nutu omnia gubernentur; & hoc quod sumus, & habemus appetitum propriæ voluntatis Dei conditoris sit beneficium*

(*a*) in cap.2. ad Philip. hom.7. num.4. (tom. 11. pag.250.)

(*b*) ἐπεὶ καὶ χαλεπωτέρα τοῦ δαίμονος ἡ ἀσέβεια &c. tom.1.pag.468.

(*c*) cap.1. num.10. tom.2. col.445.

(*d*) cap.9. n.60. ibid. col.455.

(*e*) num.4. tom.2. col.207.

(*f*) ibid. col. 684.

cium. Augustinus (*a*) *Cogitate obsecro, quid pati pro tanta impietate debuistis*. Alibi (*b*) de Donatistis, nisi terrore percellerentur ait nunquam correctum iri; & *apud Deum postea non invenirent nisi debitas pœnas impiorum*. Contra epistolam Parmeniani (*c*). *Quomodo non spernunt Deum qui baptismum ejus in eis quorum causam non audierunt, & de quibus nullo modo judicare potuerunt incredibili temeritate impietatis exsufflant*. Optatus (*d*) cùm Schismaticos omnes *impios filios* vocat qui *foras exeunt, & se separant a radice matris Ecclesiæ*, tùm de Hæreticis subdit (*e*); *Hæretici vero veritatis exules, sani & verissimi Symboli desertores, de sinu sanctæ Ecclesiæ impiis sensibus depravati, contempto, quod bene fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent de se nasci voluerunt. Et qui jamdudum vitalibus pasti fuerant cibis, corruptela malæ digestionis, in perniciem miserorum, disputationibus impiis venena mortifera vomuerunt*. Victor Uticensis de persecutione Vandalica lib. I. (*f*) *Et quia*, inquit, *tacendum sem-*

(*a*) lib. 2. contra litteras Petil. cap. 8. num. 20. tom. 9. col. 223.

(*b*) ep. ol. 48. nunc 93. num. 1. tom. 2. col. 230.

(*c*) lib. 2. cap. 19. num. 38. t. 9. col. 52.

(*d*) lib. 1. (*e*) num. 12.

(*f*) pag. 6. ex recens 5. Fr. Balduini Parif. 1569.

ſemper non eſt de impietatibus hæreticorum: atque antea *impietatis agmina* agmina Arianorum appellaverat. His omnibus in locis quæ Perpinianus indicavit, noſque produximus, ut de ejus fide & doctrina conſtaret, *impietas* atque ἀσέβεια de Hæreticis prædicatur. Itaque mirum eſt, id ipſum probare coactum, quod nullo modo obſcurum eſſe poterat in veterum Patrum lectione aliquantulum exercitatis. Ac ſi quis ab eo prolatis teſtimoniis alia vellet adjungere is expilare poſſet Euſebii (*a*), Athanaſii (*b*), Epiphanii (*c*), Cyrilli Alexandrini (*d*) libros, in quibus frequentiſſime Hæreticorum ſive ἀσέβεια, ſive δυσσέβεια recurrit, atque huic contraria εὐσέβεια Catholicorum. Nobis id dumtaxat animadvertendum videtur, eam vocem non ad mores ipſorum, ſed ad doctrinam & falſitatem opinionum referri: quod a Perpiniano allata exempla declarant. Ac nos duo addimus veterum Patrum, quorum Perpinianus non meminit, Nazianzeni, & Phi-

(*a*) Vide l. 4. cap. 7., lib. 7. cap. 6. 8. 9. 30.
(*b*) orat. I. contra Arianos num. I. ad. Epiſ. Ægypti, & Lybiæ tom. I. pag 274.
(*c*) hereſ. LXVI. 66. LXXII. 9. LXXVII. 5. 6.
(*d*) In Joa. cap. 4. tom. 4. pag. 42. In Theſaur. præf. tom. 5. part. I. pag. 35. pag. 38. 242. 253. 265. in Oſeam tom. 3. pag. 154. 313. &c.

& Philastrii. Primus enim (a) de Arianorum fraudibus agens, & Concilio Seleuciæ ab illis habito, ait; sublata consubstantialis voce, atque alia ambigua substituta, qua Filius dicebatur Patri *similis secundum Scripturas*, veterem, & *piam* doctrinam eversam, *impietati* per scripti dogmatis ambiguitatem aditum patefactum; verba illa, *impietatis* veluti hamo circumjecta; idque effectum, ut non immanis cujusdam *impietatis*, sed longioris formulæ vitium objiceretur. Hinc pulsis Catholicis ab Ecclesiarum thronis, alios in eorum locum substitutos, hac tamen conditione ut *impietati* subscriberent: se multis sæpe lacrimis prosecutum *impietatem* quæ longe manabat, & persecutionem, quæ ab ipsis verbi patronis adversus orthodoxam doctrinam excitabatur. Itaque paucis exceptis omnes tempori obsecutos; hoc tantum discrimine, quod alii *impietatis* duces, alii secundarum partium fuerunt, atque aliqui, cum *pietatis* personam diu veluti per ludum gessissent, simul ut aliquid extitit quod coarguere eos posset, cesserunt. Athanasio pulso, eoque sublato de medio, qui Ecclesiæ robur erat, jam illos in *impietatis* dogmatibus atque operibus in-

cre-

(a) orat. 21.

credibili quadam cum voluptate versari (a). Alter ex antiquis Latinis PP. Philastrius,

F f 4 (quem

(a) pag. 386. tom. I. τὸ μὲν εὐσεβὲς δόγμα καὶ παλαιὸν καὶ τῆς Τριάδος συνήγορον καταλύσασα .... τῇ δὲ ἀσεβείᾳ θύραν ἀνοίξασα .... τὸ γὰρ ὅμοιον κατὰ τὰς γραφὰς τοῖς ἁπλουστέροις δέλεαρ ἦν τῷ τῆς ἀσεβείας χαλκῷ περικείμενον &c. οὐδὲ ἀσέβειαν ἄμεξον, ἀλλὰ συγγραφὴν ἄπληστον ἐγκαλέσαντες &c. οἱ μὲν ἐξωθούμενοι τῶν θρόνων ἀδίκως, οἱ δὲ ἀντεισαγόμενοι, καὶ τὰ χειρόγραφα τῆς ἀσεβείας ἀπαιτούμενοι &c. ὃ πολλάκις ἐδάκρυσα, ὁρῶν τὴν τότε χύσιν τῆς ἀσεβείας, καὶ τὸν νῦν ἐπαναστάντα διωγμὸν τοῦ ὀρθοῦ λόγου, παρὰ τῶν προστατῶν τοῦ λόγου &c. πλὴν γὰρ ὀλίγων ἄγαν ... πάντες τοῦ καιροῦ γεγόνασι .... καὶ τοὺς μὲν προαγωνιστὰς καὶ προστάτας γενέσθαι τῆς ἀσεβείας &c. τί δ' ἂν εἴποις περὶ τῶν ἄλλων, ὅσοι καὶ ἀγχινοίας μεταποιούμενοι, δι' ἃς εἶπον αἰτίας τῶν κρατούντων ἡττήθησαν, καὶ τὴν τῆς εὐσεβείας σκηνὴν ἐπὶ πολὺ παίξαντες, ὡς ἐφάνη τι τῶν ἐλεγχόντων,

(quem una cum Gaudentii aliorumque Brixianorum PP. operibus Cardinalis Angeli Quirini munificentia illuſtratum, ornatumque habemus) hæreſes, quæ ad ſuum uſque tempus extiterant deſcribens eo verbo ſæpe utitur; ut cum poſt Simonem magum *hæreſ*. 30. de Menandro diſſerit; *poſt hunc* inquit, *Menandrus quidam nomine, qui diſcipulus factus ipſius, impietatem ejus eſt ſecutus in omnibus*, & *num.* 34. hæreſi quadam deſcripta, quæ a Juda traditore nomen habuit, ſubdit; *Hoc autem malum aſſertionis impiæ quibuſdam vanis & væcordibus quaſi veriſimile videtur eſſe interdum*: & *num.* 92. *errant itaque modis omnibus qui dicunt divinitatem Chriſti eſſe natura paſſibilem, & impie ſentiunt aut doluiſſe, aut fleviſſe, aut ingemuiſſe*. Nomen vero ipſum *impii* ſive *impietatis* non ad mores ſed ad opinionem referri indicat etiam *num.* 50. quo Theodotum ejuſque aſſeclas, qui Chriſti divinitatem negabant, ait, *impietatis paganæ, & cæcitatis Judaicæ conſortes ſe potius quam Chriſtianæ ſalutis participes demonſtrare*: & *num.* 68.

των, καὶ κατηνέχθησαν &c. οἱ καθ' ἡμᾶς ἀλλόφυλοι, τὸ ἡμέτερον κράτος ἐκποδῶν ποιησάμενοι, καὶ τὴν δόξαν τῆς Εκκλησίας ἀποκείραντες, ὅπως ἤδη τοῖς τῆς ἀσεβείας ἐνεξβύφων δογμασίτε καὶ πράγμασι.

num 68. de Eunomianis narrans eos dicere Filium non Patri esse similem, quia creatura est; neque Spiritum Filio similem quia a Filio factus est; *magis*, inquit, *impietati Paganæ & iniquitati Judaicæ consentientes apertissime, quam Christianæ doctrinæ ac Fidei Catholicæ parere volentes.* Itaque vere dictum a Perpiniano est, *vox me citius & vires quam Auctorum nomina deficiant si percensere velim omnes qui Hæreticos hoc elogio decorare voluerunt.* Itaque his omissis ad Apostolorum testimonia descendit; ex quibus Joannes Hæreticos nominavit Antichristos; epistola nimirum I.*cap.*4. in qua postquam dixerat *v.*1. & 2. *quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum*, & qui confitetur Jesum Christum *in carne venisse*, esse ex Deo; subdit *v.*3. *omnis Spiritus, qui solvit Jesum ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Allegat etiam Petrum epistola II.*cap.*2. *v.*1. & 2. *fuerunt vero, & pseudo-prophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos dominum negant, superinducentes sibi perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias per quos via veritatis blasphematur*: atque infra *v.*10, describit homines *audaces sibi placentes, qui sectas non metuunt introducere blasphemantes*, δι' ὃς ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλα-

σφη-

σφημηθήσεται & δόξας ὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες. Profert præterea Paulum in altera ad Timotheum cap.3. in quo legitur: *Hoc autem ſcito quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi &c. habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes:* Græcè ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι: ad quæ loca in hanc rem multa interpretes, præſertim a Lapide. Videndus etiam Thomas Bozius in præfatione ad libros *de ſignis veræ Eccleſiæ*, ubi hæc loca aliaque allegat, & Conradus Brunus *lib.1. de Hæreticis cap.15.* cujus capitis hic eſt titulus: *De variis Hæreticorum nominibus in novo Teſtamento*. Perpinianus alium locum inſinuat ejuſdem epiſtolæ ad Timotheum cap.2. v.16. *prophana autem & vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit:* Græcè; τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας περιΐστασο. ἐπιπλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας· καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει. Præcipuè verbum expendit κενοφωνίας quod interpretatur *a Religione vacuam orationis vanitatem*. Eo verbo in hæreſibus nominandis utitur ſæpe Epiphanius, ut

ut hæresi XXXI. num.36. postquam Valentini Hæresim descripsit, ceteras persecuturum se esse ait in gratiam eorum qui velint τὰ ἀκριβῆ εἰδέναι τῶν ἐν τῷ κόσμῳ κενοφωνιῶν τε καὶ ἀσυστάτων δογμάτων. Et Hæresi XXXV. n.2. exposita Colorbasi doctrina ἅυτη καὶ ἡ τοῦ Κολορβάσου, inquit, μάταιος τῷ βίῳ, καὶ φαντασιώδης διὰ ψοφημάτων κενοφωνία: & post hanc Hæresim aliam commemorat, cujus auctor Heracleon(a), οὐδὲν ἧττον τῆς παρὰ τούτων κενοφωνίας ἠσκημένος. De Sethianis loquens (b), neminem ait ignorare esse μωρὰ, καὶ ἀδρανῆ, καὶ κενοφωνίας ἔμπλεα τὰ κηρύγματα. De Marcionistarum hæresi(c) πανταχόθεν γὰρ πίπτει ἡ αὐτοῦ ματαία κενοφωνία. Hæres. 46. num. 1. Tatiani τῆς κενοφωνίας διδασκαλίαν vocat. Hæresi 76.num.3. Aetii γνῶναι κενοφωνίαν: atque alibi sæpe eodem vocabulo utitur; cui simile aliud, quod in eodem animadvertimus ματαιολογίας, ματαιοφροσύνης &c. Admonemus, Patrum aliquos in laudato Apostoli loco non κενοφωνίας legisse

(a) hæres.36. num. 1.
(b) hæres. 39. num.4.
(c) hæres.42. n.5. pag.305.

se sed *καινοφωνίας*, quod etiam Benedictus Justinianus adnotavit, & unius litterulæ commutatio fieri facile potuit.

V. Transit Perpinianus ad probandum quod illi propositum 4. loco diximus, Hæreticos a Patribus *ἀθέους* appellatos. Probat 1. ex Eusebio lib. III. de vita Constantini *cap.*63. in quo narrat Constantinum a pacis Ecclesiæ cura ad hæreses exscindendas conversum esse; Novatianos nimirum, Valentinianos, Marcionistas, Paulianos, Cataphryges, quos recitans capite 64. Imperatoris edictum nominat *γένος ἀθέων* (*a*). Addit eumdem scribentem ad Cæsarienses suos, hoc nomine notare Arianam hæresim: quod ex Socrate constat qui (*b*) Eusebii litteras illas recitans & fidei formulam ab eodem compositam hæc Eusebii verba refert, quibus verbis Arianam labem significat *ἀναθεματίζοντες πᾶσαν αἵρεσιν ἄθεον*. 2. idem asserit

(*a*) *ἐπεὶ δὲ τὰς διαστάσεις ἐκποδὼν ποιησάμενος, ὑπὸ σύμφωνον ἁρμονίαν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ κατεστήσατο, ἔνθεν μεταβὰς, ἄλλό τι γένος ἀθέων ἀνδρῶν ᾤηθη δεῖν, ὥσπερ δηλητήριον τοῦ τῶν ἀνθρώπων ἀφανὲς καταστῆσαι βίου.*

(*b*) lib. I. Hist. cap. 8.

rit ex Justino : locus autem Justini quem innuit est in dialogo cum Triphone num 35. in quo Pseudo-Prophetas, Pseudo Christos, Pseudo Apostolos eos vocat, ac demum Atheos (*a*). Conjicit vero Irenæum ipsum Græce scribentem (Græce enim scripsisse ex Hieronymo contendit; quo item argumento alii utuntur, ut superius diximus) iisdem verbis ἄθεοι & ἀσεβεῖς usum, quibus Latinus interpres substituerit *impii irreligiosi*. Etsi hos duos tantum producit, sunt tamen alii plurimi eodem nomine in appellandis hæreticis utentes. Et Iustinus quidem ipse meminit Marcionis τῶν ἀθέων δογμάτων Apologia nunc 1.*n.* 58. idemque habet aliis in locis quos superius indicavimus dialogi cum Tryphone *n.*80. *&* 82. Eusebius etiam lib.4. Hist.cap.7. τῶν ἀθέων αἱρέσεων mentionem facit

---

(*a*) εἰσὶν οὖν καὶ ἐγένοντο, ὦ φίλοι ἄνδρες, πολλοὶ οἳ ἄθεα καὶ βλάσφημα λέγειν, καὶ πράττειν ἐδίδαξαν .... ὧν οὐδενὶ κοινωνοῦμεν, οἱ γνωρίζοντες ἀθέους, καὶ ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους, καὶ ἀνόμους αὐτοὺς ὑπάρχοντας... καὶ ἀνόμοις καὶ ἀθέοις τελεταῖς κοινωνοῦσι. καὶ εἰσιν αὐτῶν οἱ μέν τινες καλούμενοι Μαρκιανοί, οἱ δὲ Οὐαλεντινιανοί, οἱ δὲ Βασιλιδιανοί, οἱ δὲ Σατορνιλιανοὶ &c.

facit & lib. 5, cap. 28. ἀνόμου καὶ ἀθέου διδασκαλίας: atque ididem commemorat τὴν τῆς ἀθεότητος σύστασιν: & lib. 7. cap. 31. δόγματα ψευδῆ καὶ ἄθεα. In Constitutionibus Apostolicis *lib. 6. cap.* 18. leges τοὺς ἀθέους αἱρεσιώτας. In Ignatii epistola ad Trallianos n. 10. Hæretici pariter vocantur ἄθεοι. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* VI. *n.* 16. Marcionis τὸ τῆς ἀθεότητος στόμα compellat: *num.* 18. exclamat ad Valentini dogma; ὢ τῆς ἀθεότητος: addens postea, βλέπεις τὴν ἀσέβειαν; *num.* 12. τοὺς τῶν αἱρετικῶν λέγω παῖδας τοὺς δυσωνύμους καὶ ἀθεωτάτους *&c.* & *num.* 13. ἔστι δὲ πολυσχιδὴς ὁ τῆς ἀθεότητος τῶν αἱρέσεων λόγος. Mitto reliquos ne longior sim cum minime necesse est.

VI. Quod 5. loco Perpinianus negaverat Hæreticos esse Christianos; probat auctoritate I. Joannis Evangelistæ, qui *epist.* 1. *cap.* 2. *v.* 18. *Filioli novissima hora est, & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus quia novissima hora est.* Ita vero accipit Antichristi nomen, quasi adversarium Christi significet. Nemo ignorat, qui Græcis sit litteris vel leviter tinctus ἀντί in compositione alia significare, atque interdum *vicem, opem, æqualitatem*

tatem, *similitudinem &c.* ut apud Aristophanem *in equit. v.* 1041.

καὶ πῶς μ᾽ ἐλελήθεις ἀντιλέων γεγενημένος.

uti extra compositionem *v.* 1040. dixerat

ἐγὼ γὰρ ἀντὶ τοῦ λέοντος εἰμί σοι.

Quamobrem Wolffangus, Musculus, Magdeburgenses heterodoxi in Romanum Pontificem odio incitati dicere non sunt veriti, nomen illud, *Christi Vicarium* significare; & Papam quod se Christi Vicarium faciat ideo esse Antichristum: contra quos bene Bellarminus *lib.*3. *de Summo Pontifice cap.*1. probat hoc nomen, utut ex se sit ambiguum, non tamen esse hujusmodi ut in Scriptura accipitur, & significare *hostem & æmulum Christi*. Calmet quoque in *dissert. de Antichristo* aliique Interpretes passim Antichristum interpretantur hostem sive adversarium Christi: quin etiam Combefisius in animadversionibus ad librum S. Hippolyti de Antichristo putat sive ipsum Hippolytum, sive quemvis alium titulum illi operi fecisse περὶ Χριστοῦ καὶ Ἀντιχρίστου quod tota tractatione Antichristum Christo opponat. Ex antiquissimis PP. Cyprianus epist. 76. adducto Joannis loco, quem Perpinianus adduxit, subdit, *unde apparet adversarios Domini & Antichristos omnes esse quos constet a caritate*

atque

atque ab unitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse: quibus verbis eamdem esse earum vocum significationem indicare videtur *adversarii Domini*, *& Antichristi*. Ita & Hilarius in libro contra Constantium, postquam eum Antichristum *n.* -. appellarat, addit hæc *n.7. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es, Antichristum prævenis & Arianorum mysteria ejus operaris*. Sed apertius libro contra Auxentium *n.2. Antichristos plures esse etiam Apostolo Joanne prædicante cognovimus. Quisquis enim Christum qualis ab Apostolis est prædicatus negavit, Antichristus est. Nominis Antichristi proprietas est Christo esse contrarium*. Hinc, quod Hæretici dicantur Antichristi sive Christi adversarii infert Perpinianus, illos Christianos non esse; nimirum qui Christi se esse sectatores profitentur ejusque doctrinam & fidem amplecti, uti nunc Christianos intelligit. Idem deinde probat auctoritate PP. qui negant diserte Hæreticos esse Christianos. Ii sunt Tertullianus de Præscriptionibus cap.7 scribens, *Quid ergo Athenis & Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis?* & *cap.37. Si enim Hæretici sunt, Christiani esse non possunt*. Hæc, puto. loca spectans Perpinianus scripsit, Tertullianum negare, Hæreticis quidquam esse cum Christianis; & qui sint Hæretici, Christianos eos, contendere, esse non posse.

2. Cy-

2. Cyprianum profert quem ait constanter sejungere ab Hæreticis Christianos. Facit hoc *epist.* 55. scribens; *An ad hoc, frater carissime, deponenda est Catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta majestas, & Sacerdotalis quoque auctoritas & potestas, ut judicare velle se dicant de Ecclesiæ Præposito extra Ecclesiam constituti, de Christiano Hæretici?* Idem facit sæpius in eadem epistola, & ad Pompejum scribens contra epistolam Stephani de Hæreticis baptizandis; (a) *quo lecto, magis ac magis ejus errorem denotabis qui Hæreticorum causam contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asserere conatur.* De Novatiano vero *epist.* 52. *Quisquis ille est & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Jactet se licet & philosophiam, & eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam caritatem, nec Ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit.* Hieronymi locum in dialogo adversus Luciferianos superius retulimus. Demum adducit Perpinianus Augustinum, quem ait perspicue scripsisse, Hæreses esse a regula Christianitatis aversas; ab Hæreticis animos decipi nomine Christiano, & similes Chamo medio inter filios Nochi

(a) Epist. 74.

ab utroque se dividente & inter utrumque remanente, atque ita Hæreticos a populo segregare. Hæc ille de Augustino vere. Nam in libro *de vera Religione cap. 5, num. 8.* (a) *Hæreses namque*, ait, *tam innumerabiles a regula Christianitatis aversæ testes sunt non admitti ad communicanda Sacramenta eos qui de Patre Deo & sapientia ejus & munere Divino aliter sentiunt & hominibus persuadere conantur, quam veritas postulat*. Et lib. 1. *de sermone Domini in monte* (b) *num.* 13. de persecutionibus loquens scribit; *Nam multi Hæretici nomine Christiano animas decipientes multa talia patiuntur*. Et lib. 16. *de Civitate* cap. 2. (c) *Cham porro quod interpretatur calibus medius ante filius, tamquam se ab utroque discernens, & inter utrumque remanens, nec in primitiis Israelitarum, nec in plenitudine Gentium quid significat nisi Hæreticorum genus calidum non spiritu sapientiæ sed impatientiæ, quo solent Hæreticorum fervere præcordia & pacem perturbare Sanctorum? .... Quamvis non solum qui sunt apertissime separati, verum etiam omnes qui Christiano vocabulo gloriantur & perdite vivunt non absurde possunt videri medio Noe filio figurati &c.* Posteaquam his testimoniis probavit Hæreticos non esse Christianos, iis res-

(a) tom. 1. col. 751. (b) tom. 3. col. 170.
(c) tom. 7. col. 414.

respondet qui objiciunt, Hæreticos tamen se Christianos dicere: respondet vero, Justinum adducens in dialogo cum Tryphone *num.* 35. cujus hæc sunt Greca verba: καὶ Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς λέγουσιν, ὃν τρόπον οἱ ἐν τοῖς ἔθνεσι τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ ἐπιγράφουσι τοῖς χειροποιήτοις, καὶ ἀνόμοις καὶ ἀθέοις τελεταῖς κοινωνοῦσι. Profert & Cyprianum in libro de unitate Ecclesiæ. Demum Perpininianus Hæreticos non esse *Fideles* contendit auctoritate Tertulliani in libro *de Præscriptionibus cap.* 3. *Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus a regula fuerit, ideo Hæreses veritatem videbuntur obtinere? ex personis probamus Fidem, an ex Fide personas? Nemo sapiens est nisi Fidelis, nemo major nisi Christianus*: item Cypriani & Ambrosii qui Hæresim perfidiam, Hæreticos prophanos ac perfidos vocant. Ita loquitur Cyprianus epist. 55. *Si quis autem præter hos quos epistola nostra complexi sumus scribere vobis auderet, sciretis eum vel sacrificio vel libello esse maculatum, vel unum de Hæreticis, perversum scilicet & prophanum*; atque in ejusdem epistolæ fine de Hæreticis loquens *nulla*, inquit, *societas Fidei & perfidiæ potest esse*. Et *epistola* 47. ait gratias Deo agendas

quod sic Ecclesia divinitus protegatur ut unitas ejus & sanctitas non jugiter nec in totum, perfidiæ, & hæreticæ pravitatis obstinatione vitietur. Et in libro *de unitate Ecclesiæ* (*a*) scribit : *nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi : alienus est, prophanus est, hostis est*. Et *epistola* 73. *ad Jubajanum*. *Longe alia est apud Marcionem, sed & apud ceteros Hæreticos fides. Immo nihil est apud illos nisi perfidia & blasphemia, & contentio, sanctitatis & veritatis inimica*. Ambrosius vero in præfatione *lib.*1. *de Fide ad* Gratianum *Augustum num.*5. (*b*) *De Conciliis id potissimum sequar quod trecenti decem & octo Sacerdotes, tamquam Abrahæ electi judicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subactis perfidis extulerunt*. Denique Optatus *lib.*6. *n.*8. de Donatistis hæc habet ; *Jam & de vestris silere quis posset, de illis scilicet, quos aut factione, aut subtilitate, ut vestros faceretis, seducere potuistis, non solum masculi, sed etiam fæminæ ; ex ovibus subito facti sunt vulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi &c.* His testimoniis effici se posse arbitratur Perpinianus (nec sane immerito) Hæreticos esse infideles cum *perfidiæ* nomen *fidei* opponatur: quod vel Tullius indicat

(*a*) pag.195. edit. Paris. 1726,
(*b*) tom.2. col.444.

cat *in oratione pro P. Quintio num.6.* ubi homini qui fide societatem colit opponit perfidiosum. *Etenim*, inquit, *si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur; necesse est iste qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se & perfidiosum, & impium esse fateatur*. Cum vero objectum esset Perpiniano 1. Thomas; ex ejusdem sanctissimi doctissimique viri doctrina idem adstruit. Nam 2. 2. *qu.5. art.3.* quærens; *utrum qui discredit unum articulum fidei possit habere fidem informem de aliis articulis*, respondet; *dicendum quod in hæretico discredente unum articulum Fidei non manet fides neque formata, neque informis*: additque; quicumque non inhæret sicut infallibili & divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ; illum non habere habitum fidei, sed ea quæ sunt fidei si tenet, alio modo tenere, quam per fidem. Et *qu.10. art.5.* quærens de pluribus generibus infidelitatis, docet; cum peccatum infidelitatis consistat *in renitendo fidei*, posse hoc contingere dupliciter; aut renitendo Fidei nondum susceptæ; atque esse hujusmodi infidelitatem Paganorum seu Gentilium; aut renitendo FideiChristianæ susceptæ in figura, atque hanc esse infidelitatem Judæorum; aut in ipsa manifestatione veritatis; *& sic*, inquit, *est infidelitas Hæreticorum*. Demum *qu. 11. art.1.* cujus est hic titulus: *utrum hæresis sit infi-*

infidelitatis species, rem ita definit. *A rectitudine ergo Fidei Christianæ dupliciter quis potest deviare: uno modo, quia ipse Christo non vult assentire, & hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem, & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum & Judæorum. Alio modo per hoc, quod intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat, quia non eligit ea quæ sunt vere a Christo tradita, sed ea quæ sibi propria mens suggerit. Et ideo hæresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt.*

VII. Ut de tota hac re, quid nobis videtur, aperiamus; juvat observare, primo; Perpinianum optime *Fideles* secrevisse a *Christianis*: horum enim nominum & vocabulo- olim apud PP. diversa acceptio atque potestas fuit. Unum hic nominabo Augustinum, qui perspicue hæc distinguit (*a*) de Paulo quodam scribens ad Alypium; *narrat gaudia de Gabiniano, quod ab illa sua causa, misericordia Dei liberatus, non solum Christianus, sed etiam Fidelis sit valde bonus, per Pascha proxime baptizatus, in corde atque in ore habens gratiam quam percepit*. Quid vero hæc nomina valeant, quidve differant inter se, res est, ut mihi quidem videtur, non satis explicata. Vul-

(*a*) epist. 227. tom. 2. col. 829.

Vulgo quidem *Fidelis* is dici putatur qui baptiſmum jam ſuſcepit: quare *Catechumenis* ſæpe opponuntur *Fideles*; ut canone XIX. Laodiceni (*a*) capite I., Valentini A. DXXIV. habiti (*b*); atque in horum antiquiore Eliberitano canone XXXII. & XXXVIII. (*b*); in quorum poſtremo ſtatuitur, poſſe *Fidelem qui lavacrum ſuum integrum habet* (ideſt, qui poſt ſuſceptum baptiſmum nón peccavit, ut cum Albaſpinæo plerique hunc locum interpretantur) *nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis Catechumenum.* Innocentius quoque in epiſtola ad Macedonas Epiſcopos (*c*); *quæro*, inquit, *& ſollicitus quæro, ſi una eademque ſit uxor ejus, qui ante Catechumenus, poſtea ſit Fidelis, filioſque ex ea cum eſſet Catechumenus*

(*a*) tom.1. Collect Hard.col.734. *Quod oporteat ſeorſum primum poſt allocutiones Epiſcoporum, orationes ſuper Cathecumenos celebrari, & poſtquam Cathecumeni egreſſi fuerint, ſuper eos qui ſunt in pœnitentia pracem fieri. His etenim accedentibus ad manum Sacerdotis, & diſcedentibus tres orationes conſummare Fidelium* τῶν πιςῶν τὰς εὐχὰς γίνεσθαι τρεῖς.

(*b*) tom.2. col.1067. *ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſam Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur; quatenus ſalutaria præcepta D.N.I.C., vel ſermonem Sacerdotis, non ſolum Fideles, ſed etiam Catechumeni ac pœnitentes, & omnes qui ex diverſo ſunt audire licitum habeant.*

(*c*) XVII. cap.2. n 5.col.832. ex recenſ. Couſtant.

menus susceperit, ac postea alios cum Fidelis, utrum sint fratres appellandi, ac non habeant potestatem defuncto patre, hercıscundæ hæreditatis consortium, quibus filiorum nomen creditur abstulisse generatio. Contra vero *Christianum* eum censent appellatum, qui nondum ad baptismum pervenerat, sed adhuc inter Catechumenos versabatur (*a*). Ita interpretantur canonem XLV. Fliberitanum. qui ex vulgari lectione apud Conciliorum collectores(*b*), & Cotelerium (*c*), sic habet; *Qui aliquando fuerit Cathecumenus, & per infinita tempora nunquam ad Ecclesiam accesserit, si eum de clero quisque cognoverit esse Christianum, aut testes aliqui extiterint Fideles; placuit ei baptismum non negari; eo quod in veterem hominem deliquisse videatur*. In Actis SS. Luciani & Marciani apud Ruinartium de Magis quibusdam ad fidem conversis; *cumque facti fuissent Christiani, & postea baptizati*. Atque hinc *Christianare* & *Christianizare* idem valere traditur, ac *cathechizare* ut in vita S. Felicis Episcopi Anglorum Orientalium (*d*) *Sigbert .... successit, ceteros chri-*

(*a*) v. Salmasium ad Sulpitii librum *de V. S. Martini*, Martene lib. 1. E. rit. cap. 5. art. 6. apud quem extat *Ordo ad faciendum Christianum, idest Catechumenum*.

(*b*) tom. 1. col. 233. Hard.

[*c*] in lib. 7. cap. 39. constit. Apostol.

(*d*) apud Bolland. tom. 1. Mart. pag. 781.

christianizans cum Felice Episcopo, quem de Burgundia ortum miserat illuc Honorius Episcopus ad prædicandum: & in Statutis Ecclesiæ Biterrensis (*a*); *& si certum sit & indubitatum ipsi Capellano secundum formam prædictam eos* (infantes) *fuisse baptizatos, nec etiam catechiset, quod apud nos appellatur vulgariter christianare*. Verum non omnes omnino Scriptores, in his significationibus consentire videntur, atque hac plane ratione ea nomina accepisse. Et *Fideles* sive πιστὸς catechumenos significare in supremo catechumenatus ordine constitutos apud Cyrillum Hierosolymitanum, jam pridem observatum est a viris doctis: præsertim *in procatechesi* (*b*), ubi de hoc nomine multa, quod Deo tribui in Scripturis ait (quemadmodum; & Cyrillus alter Alexandrinus in Thesauro (*c*)) & Catechesi V. (*d*). Et quamquam Touttejus (*e*) proprium hoc fuisse vult Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ut Catechumeni in ea *Fidelium* τῶν πιστῶν nomen obtinerent; nihilominus aliud innuere videtur S. Ambrosius, qui sic orditur libros de Sacramentis (*f*); *De Sacramentis quæ accepistis sermonem adorior*

(*a*) ap. Martene tom.4. anecd. col.645.
(*b*) num.6. pag.5.
(*c*) tom.5. part 1. pag.214.
(*d*) num.1. pag.72.
(*e*) ad procatech. Cyrilli n.6.
(*f*) tom.2. col.349.

rior, cujus rationem non oportuit ante præmitti: in Christiano enim viro prima est Fides: ideo & Romæ Fideles dicuntur qui baptizati sunt. Ita videtur proprium id afferere Romanæ urbis, ut in ceteras non conveniat. Eadem varietas apparet in nomine *Christianus*. Nam a Catechumenis eos aperte distinguit canon VII. CP. I. (*a*): *Quicumque ex his rectæ Fidei adscribi volunt, ut Gentiles admittimus; & primo quidem die ipsos Christianos facimus; secundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus, sive adjuramus ipsos, ter simul in facies eorum & aures insufflando: Et sic eos catechizamus, & curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus.* Quo ex loco Christianus Lupus (*b*) colligit, Christianos dictos, qui nondum Catechumeni erant, sed dumtaxat ad Catechumenatum designati seu admissi; Christianos autem factos impresso signo Crucis. Itaque hanc fuisse primam Gentilium Fidem

(*a*) Collect. Harduin. tom. I. col. 813. καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους. εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτούς... καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.

(*b*) ad cap. 3. Tertull. *De Præscript.*

dem nostram amplexantium vocem apud Episcopum ad Presbyterum; *Domine volo Christianus fieri*, quibus cum Episcopus, aut Presbyter assentiebatur, dici consuevit; *fecit illum Christianum*. Potest ille quidem hujus assertionis suæ testes quamlibet multos reperire. Ac de more primum hos consignandi signo Crucis, sive hac ratione ad Catechumenatum admittendi legenda exempla quæ profert Martene (*a*), præsertim ex Actis Indis & Domnæ MM. (*b*), necnon ex vita Porphyrii Gazensium Episcopi (*c*). Sed neque in hoc omnino consentiunt veteres Auctores; apud quos per impositionem manus, quæ Catechumenis adhibebatur, primo Christianos factos reperies. Sulpicius Severus dialogo II. *de virtutibus S. Martini* (*d*), postquam narravit hominem defunctum ad vitam revocatum spectantibus multis ethnicæ superstitioni addictis: *tum vero*, inquit, *multitudo omnis in cælum clamore sublato Christum Dominum fateri, postremo cuncti catervatim ad genua B. viri*

(*a*) lib. 1. antinq. Eccles. rit. cap. 1. art. 6. n. 5.

(*b*) *Ille autem* (Cyrillus Episcopus) *cum moderate ei divinas cecinisset Scripturas, & veneranda Christi Cruce eam obsignasset, tunc quidem eam fecit catechumenam.*

(*c*) *Die sequenti parentes mulieris & cognati euntes ad B. Porphyrium prociderunt ad ejus pedes petentes Christi signaculum. Beatus vero, cum eos signasset, & fecisset catechumenos, dimisit illos in pace.*

(*d*) cap. 5.

ri ruere cœperunt, fideliter postulantes ut eos faceret Christianos; nec cunctatus, in medio ut erat campo, cunctos imposita universis manu catechumenos fecit. Ita & canonem Eliberitanum XXXIX. explicat Cotelerius (*a*), Martene(*b*), atque ex Heterodoxis Binghamus(*c*)(secus ac Albaspinæo videtur); *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum aliqua ex parte vita honesta, placuit eis manum imponi & fieri Christianos*. Potes id quidem referre si velis ad regionum, in quibus diversi ritus obtinerent, varietatem, sive temporum; præsertim cum ingruente aliqua necessitate, sive alia de causa una & catechumenus designabatur, & quasi jam admisso manus imponebatur; vel etiam ad vocis *catechumeni* multiplicem acceptionem, atque ad plures vel pauciores gradus Catechumenatus; de quibus Christianus Lupus (*d*), Joseph Vicecomes (*e*), Martene (*f*), Binghamus (*g*). Sed quæcumque causa esset, constat, nequaquam, aut unum omnibus communem ritum fuisse, quo *Christiani* efficiebantur; aut illud nomen uni hominum generi

(*a*) ad cap. 39. lib. 7. *C.* A.
(*b*) lib. 1. antiq. Eccles. rit. cap. 1. art. 6. num. 7.
(*c*) lib. 1. antiq. Eccl. cap. 3. §. 3.
(*d*) ad canon. XIV. Nicæn.
(*e*) vol. 1. *Observation. Eccles.* cap. 2. &c.
(*f*) l. l. (*g*) lib. X. cap. 2.

neri convenisse, nec facile posse ad certam classem aliquam qui *Christiani* dicerentur revocari. Olim equidem arbitrabar nomen commune fuisse cùm rem ipsam adeptis cui proprie competebat, tùm illam proxime comparaturis: ita & qui ad Catechumenatum designabantur *Catechumenos* quandoque dictos, atque utrosque ob eandem causam *Christianos*. Quod & in *Fidelium* nomine valet. Apud ipsum enim Cyrillum Hierosolymitanum πιςοὶ appellati inveniuntur, qui jam baptismum susceperant eodem loco (*a*) quo hoc nomine donaverat eos qui in supremo ordine catechumenatus constituti, jam erant baptizandi. Nunc mihi sane congruere omnia videntur si dicamus, ad distribuendos veluti homines in certas classes, non tam Baptismum spectasse veteres PP. (quamquam hoc etiam aliquando fecisse non negamus) quam quid edocti de Fidei doctrina credere incipiebant: itaque Cyrillum *Fidelium* nomine comprehendisse omnes quicumque in Fidei rebus, nulla occultata, diligentius erudirentur, atque eas fide comprehenderent; quod & baptizatis conveniebat, & qui supremum inter catechumenos gradum obtinebant. Neque hanc quam dico partitionem, in Cyrillo solum reperies, aut in Hierosolymitana Eccle-

 sia.

(*a*) Protocath. n. 13.

ſia. Leidradus Lugdunenſis Epiſcopus in libro *de Sacramento Baptiſmi ad Carolum M.* (a); *Differt ſane*, inquit, *inter Catechumenos & Competentes. Catechumeni itaque ſunt qui primum de Gentilitate veniunt & habentes voluntatem credendi in Chriſto audiunt verbum Fidei, ſed nondum appellantur Fideles: Competentes autem ſunt, qui jam poſt doctrinam Fidei, poſt continentiam vitæ gratiam Chriſti percipere feſtinant: ideoque appellantur Competentes, ideſt gratiam Chriſti petentes.* Hic manifeſto non ſolum Catechumenorum claſſe eximit Competentes, ſed *Fidelium* nomen illis convenire docet, quod etiam tradit Zonaras (b) de iis catechumenis, qui baptiſmum differrent. Quamobrem nequaquam huic noſtræ definitioni nocet, quod ſæpe *Catechumenis* opponantur *Fideles*: nam catechumenorum nomine veniunt qui in inferiore gradu conſtituti nondum fidei dogmata cognitione, & fide comprehendebant, vel ea fide carebant negligentia potiſſimum ſua; uti intelligendus Chryſoſtomus (c), quando opponens Catechu-

(a) cap. 6.

(b) in concil. Neocæſ. c. v. δύο τάξεις ἦσαν κατηχουμένων τὸ παλαιόν. οἱ μὲν γὰρ πιστοὶ ὄντες &c.

(c) hom. 25. in Jo. num. 3. tom. 8. pag. 147.

chumenum Fideli, atque extraneum illum ab hoc appellans, subdit, huic eidem omnia esse iu cælo, illi omnia in terra; huic Christum delicias, ipsi corruptionem &c.; ac demum si inopina morte Catechumenus abripiatur, gehennæ deputari: quod postremum abhorret a ceterorum ferme PP. sententia. Atque hæc de nomine *Fidelis* nostra sententia est.

XIII. Ut dicam de altero nomine *Christianus*, id amplius observo, sæpe ita solere accipi, ut commune sit catechumeno atque ei, qui baptismum suscepit. Animadvertit hoc Gothofredus *ad l.2. de Apostatis C. Th.* cujus legis sunt ea verba; *Christianis ac Fidelibus, qui ad Paganos ritus, cultusque migrarunt omnem in quamcumque personam testamenti condendi interdicimus potestatem, ut sint absque jure Romano. His vero, qui Christiani, & Catechumeni tantum venerabili Religione neglecta ad aras & templa transierunt, si filios vel fratres germanos habebunt, h. e. suam & legitimam successionem, testandi arbitratu proprio in quaslibet alias personas jus adimatur.* Est ergo *Christiani* nomen veluti *genus*, ut ajunt ad *Fidelem & Catechumenum.* Idem videre licet in Augustino, cujus locum (a) ita suspicior legendum; *Interroga hominem: Christianus es?*

(a) tract. 44. in Evang. Jo. num.2. tom.3. col590.

es? *Respondet tibi: non sum, si Paganus est, aut Judæus: si autem dixerit; sum, adhuc quæris ab eo; Catechumenus, an Fidelis?* Itaque de hac voce sic placet statuere; plerumque accipi consuevisse pro eo, qui sive diligentius fuisset in Fidei dogmatibus eruditus, sive hanc diligentiorem informationem non accepisset, sive baptismo tinctus, sive eo nondum perfusus, Fidem tamen habebat, eaque credebat quæ omnino sunt necessaria ad Christianam Religionem. Quod ut luculentius explicemus, & ostendamus nominis hujus acceptioni rem subesse, quam cognoscere operæ pretium sit; ex Theologo cùm multæ doctrinæ, tùm nominis ingentis Francisco Suarez repetere juvat, quod ipse decernit & probat (*a*); omnes qui Fidem habent Ecclesiæ membra esse; omnes vero qui illa carent extra Ecclesiam constitui. Quare eorum sententiam idem refutat, qui solos baptizatos censent esse membra Ecclesiæ; & Catechumenum, si credat Fidei articulos, inter Ecclesiæ membra recenset: de eo enim vera sunt, quæ sunt quasi *de substantia* Ecclesiæ, cum habeat unionem internam & externam per externam Fidei confessionem, quæ ex PP. fundamentum est vel potius forma Ecclesiæ; licèt non habeat peculiares eas conditiones & veluti accidentia, quæ Christus addidit Ecclesiæ-

(*a*) *de Fide* tract. 1. disp. 9. sect. 1.

clesiæ. Hæc sententia ex eo maxime probabilis videri potest, quod Ambrosius (a), aliique PP. tradant, & ipse Suarez certum judicat; Catechumenum morientem salvari. At vero extra Ecclesiam non esse salutem, iidem PP sæpius inculcant. Hoc autem affirmare; ad salutem satis esse votum seu desiderium existendi intra Ecclesiam, si aliàs absolute quispiam extra illam maneat; & Suario displicet, & auditu durior sententia est. Itaque concludimus Fidem esse, quæ & omnino necessaria est ad salutem; & constituit membrum Ecclesiæ. Jam vero nomen *Christiani* ad id significandum adhibuisse PP. videntur; ad eum scilicet indicandum qui membrum Christi est, & Fidem habet. Atque hac maxime significatione accipio *Christiani* nomen, quod sibi olim Confessores tribuebant; objiciebantque Martyres Tyrannis cum torquerentur, vel cum de iis quæstio haberetur. Frequentissima fuit hæc eorum vox, *Christianus sum*, ut ex Actis patet, legiturque in epistola Ecclesiæ Lugdunensis (b) de Blandina: *eratque ei refectio & quies, sensumque omnis præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum, Christiana sum*; subditurque de Martyre Sancto, ad omnes interrogationes Romana lingua respon-
dis-

(a) *de obitu Valentin.*

(b) apud Eusebium lib. 5. Hist. cap. 1. pag. 202. edit. Cantab.

disse; *Christianus sum*; & infra (*a*) *nullam tamen ab ipso Sancto vocem elicere potuerunt, praeter illam quam ab initio proferre consueverat confessionis suae vocem*. Ibidem (*b*) etiam narratur Attalus interrogatus, quis esset, *Christianum* se dixisse. In *Passione* SS. Perpetuae, & Felicitatis, quam Lucas Holstenius edidit, inducitur Perpetua sic alloquens Patrem: *Pater vides v. g. vas hoc jacens, urceolum, sive aliud? Numquid alio nomine vocari potest quam quod est? Sic & ego aliud me dicere non possum, nisi quod sum Christiana*. In Actis MM. sinceris quae collegit Ruinartius, saepius leguntur fortissimi viri hac una responsione usi cum pluribus variisque de rebus interrogarentur. In Actis S. Maximiliani; *Dion Proconsul dixit; quis vocaris? Maximilianus respondit: quid autem vis scire nomen meum? Mihi non licet militare, quia Christianus sum .... Non possum militare, non possum malefacere: Christianus sum ... Ego Christianus sum; non licet mihi plumbum collo portare:* quod saepius etiam postea repetit. In Actis SS. Tarachi, Probi, & Andronici; *Maximus Praeses Taracho dixit: quis vocaris? ... Tarachus dixit: Christianus sum. Maximus dicit; parce hanc impiam professionem, dic quis vocaris? Tarachus dixit; Christianus sum. Maximus dicit; frangite illi maxillas, dicentes; aliud*

(*a*) pag. 206. (*b*) pag. 208.

aliud pro alio noli respondere &c. In *Martyrio* S. Luciani narratur: *ille vero ad unamquamque interrogationem tantum respondebat; Christianus sum: ac dicente tortore; quanam ex patria ortus es? Christianus sum ait: quam artem profiteris? Christianus sum: quibus parentibus natus es? Ille vero ad omnia dicebat Christianus sum ..... Unum, inquit, verbum ad omnem diaboli turmam in fugam vertendam sufficit.* Similia leges in Actis MM. Scyllitanorum apud Baronium (*a*), & apud Ruinartium in Actis S. Pionii, SS. Petri & Andreæ. &c. S. Cypriani, S. Fructuosi, S. Nicephori, S. Bonifatii, SS. Saturnini & Dativi, SS. Agapes, Chioniæ &c. SS. Didymi, & Theodoræ, S. Eupli, SS. Ciryaci & Julittæ, S. Sereni, S. Julii &c. Hac enim voce *Christianus* nihil aliud significabant nisi Fidem eorum in Christum; ut iidem aliquando eam edisserunt. *Ego sum Christianus*, dixisse narratur S. Nicephorus in ejus Actis (*b*); *& credo in nomen Domini nostri Jesu Christi*. In Actis MM. Scillitanorum, *stans Vestina dixit: & ego Christiana sum. Secunda similiter dixit. Et ego credo in Deo meo*. Ita apud Baronium. In Actis apud Ruinartium ex cod. Bibliothecæ Colbertinæ Secundæ responsio narratur *sum Christiana*. In Actis SS. Fausti & Januarii &c. *Faustus respondit: Nos Christiani*

(*a*) ad an. 202. (*b*) num. 8.

stiani sumus, Christum fatentes qui Dominus unus est &c. Cumque impietatem responsionis ei Præses objecisset, reposuit; *nobis confessio Christi nulla est impietas &c.* Ita in Actis SS. Agapes Chioniæ &c. cum Agatho respondisset *Christianus sum*; & Præses, *Tu vero Agape quid ais?* Illa respondit: *Ego Deo viventi credo*. Quare nomine *Christiani* nihil aliud intellexisse videntur nisi eorum fidem in Christum. Eo igitur redeamus unde hæc de nomine *Christiani* tota disputatio orta est, probemusque in hac, quam diximus acceptione, Hæreticos non esse Christianos. Quod manifestum omnino est. Etenim Hæretici vel unius articuli errore decepti nullius Fidem habent, ut S. Thomas in eo loco quem supra adduximus & plures TT. docent; bene ergo Perpinianus asseveravit Christianos non esse. Qeamobrem Hilarius *lib. 1. ad Constantium*(a) vocem illam *Christianus sum* quam contra Ethnicos prisci MM. inculcabant ipse adhibet contra Arianos. *Certe vox exclamantium a tua mansuetudine exaudiri debet Catholicus sum, nolo esse Hæreticus, Christianus sum, non Arianus.*

IX. Ceterum Hæreticos nequaquam dicendos esse Christianos præter Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Hieronymum, quos Perpinianus laudavit, multi præterea PP. alii

(a) num. 2: col. 1219:

alii affirmant; Lactantius (*a*). *Cum enim Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Ariani, seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana, & externa vocabula induerunt*. Cyrillus Hierosolymitanus (*b*) de Hæreticis loquens hoc eos nomine notat, τῶν Χριστιανῶν ψευδῶς λεγομένων. Auctor Chronici Alexandrini (*c*) *ad a.* 380. Gratiani mortem narrans scribit παρεσκεύασεν αὐτὸν Ιεστίνα ἡ μητρυιὰ αὐτῶ, ὡς Χριστιανὸν ὄντα σφαγῆναι. ἦν γὰρ ἐκείνη Αρειανή. Sed præcipue Athanasius; qui & Constantium Christianum vocari debere negat *in historia Arianorum ad Monachos num.* 74. (*d*): *& epistola prima ad Serapionem* (*e*); in fide quam Dominus tradidit, Apostoli prædicavere, & Patres servavere Ecclesiam fundatam ait; *a qua*, inquit, *si quis exciderit is nec esse nec amplius dici Christianus ulla ratione poterit*: & in orationibus contra Arianos fusius id declarat: imo initio orationis I.

(*a*) *Divinar. Instit.* lib. 4. cap. 30.
(*b*) catech. 6. num. 12.
(*c*) pag. 304. edit. Parif. 1688. ex recens. Ducangii.
(*d*) tom. 1. par. 1. pag. 388.
(*e*) tom. 1. par. 2. pag. 676. καὶ ὁ ταύτης ἐκπίπτων, οὔτ' ἂν εἴη, οὔτ' ἂν ἔτι λέγοιτο Χριστιανός.

nis I. (*a*) ubi dixit dubitari non posse Hæresum omnium auctores ex nobis exiisse, ut Joannes asseruit; de Ariana subdit, eam Christiana specie assumpta nonullos decepisse, quemadmodum tenebræ lux non sunt nec mendacium veritas, ita Arianam hæresim minime bonam esse: quin eos qui Arianos Christianos vocant, valde errare, qui nec Scripturas legerint nec quid sit Christianismus & Christianæ Religionis Fides omnino sciant. Deinde Catholicorum diversum ab Hæreticis morem adnotat: illi enim a Christo Christiani dicti; hi vero a sectæ suæ Magistris nomen sortiti sunt. Tandem postquam multa in hanc rem dixit concludit *num.* 10. eos debere vel sero intelligere, *quia Ariani sint Christianos non esse* (*b*). De eo quod ait Hæreticos a Magistris suis denominatos, nec dici debere Christianos, extat Theodosii & Valentiniani lex (*c*); *Damnato portentosæ superstitionis auctore Nestorio, nota congrui nominis ejus inuratur gregalibus*,

(a) tom. 1. part. 1. pag. 406. ἀλλὰ καὶ τοὺς τούτους καλοῦντες χριστιανοὺς πολὺ καὶ λίαν πλανῶνται, ὡς μήτε τάς γραφὰς ἀνεγνωκότες, μήτε ὅλως εἰδότες τὸν χριστιανισμὸν καὶ τὴν ἐν αὐτῷ πίστιν.

(b) ὅτι Αρειανοὶ ὄντες οὐκ εἰσὶ χριστιανοί.

(c) cod. Theodos. tit. *de hæreticis* 66.

libus, ne Christianorum appellatione abutantur; sed quemadmodum Ariani lege divæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis Porphyriani a Porphyrio nuncupantur, sic ubiq; participes nefariæ sectæ Nestorii Simoniani vocentur; ut cujus scelus sunt in deserendo Deo imitati, ejus vocabulum jure videantur esse sortiti. Legem Constantini quæ hic laudatur recitat Socrates *H. E. lib.* 1. *cap.*9. atque ex eo Gothofredus in commentario hujus legis. Hæc constitutio habetur etiam in collectionibus Conciliorum inter ea quæ ad Concicilium Ephesinum pertinent (*a*). Eam quoque habet Gelasius Cyzicenus in volumine Actorum Concilii Nicæni *cap.*36. Similes leges sive effata leguntur in Constitutionibus Imperialibus, ut Βασιλικῶν lib. I. tit. I. n. I *Christianus est qui credit unam esse deitatem sub pari majestate Patris, & Filii, & Spritus Sancti: qui vero diversum ab his sentit hæreticus est*. Postea decernitur ut omnes eam sequantur fidem quam Damasus Romanus Episcopus tenet ejusque successor; subditurque; *hanc legem sequentes Christianorum Catholicum nomen jubemus amplecti; reliquos vero dementes vesanosque judicantes hæreticorum dogmatum infamiam sustinere*. Quam constitutionem compendiose proposuit Photius in Nomocanone (*b*) *tit.*12. *cap.*2.

(*a*) collect. Labbei tom.3. p.1209. Harduini t.1. col.1 715.
(*b*) Biblioth. Voelli pag.1160.

cap.2. item Joannes Antiochenus (*a*) *tit.36.* ta tamen ut uterque oppositionem illam quæ in ea habetur expresserint Hæretici & Christiani. Addas his synodicam Sardicensis quam refert Theodoretus (*b*). In ea mandatur ut qui luporum instar in Ecclesias invaserunt Gregorium Alexandriæ, Basilium Ancyræ, Quintianum Gazæ nemo Episcopos aut Christianos appellet. Ex his vides jure a Perpiniano, dictum veteribus Scriptoribus & PP. Christianos non esse Hæreticos: quod ideo factum, quod Fides in eis non sit, sive Fidei mysteria non credant. Nam ut Tertullianus *de carne Christi cap.2. Si Christianus es credet quod traditum est ... creditum Christianos facit.* Cavendũ tamen est ne alia PP. effata loquentiũ ad populum & adhortantium ad pietatem hoc etiam titulo ut se Christianum quisque præstet, huc trahantur, quasi Christianus nemo vere sit sine vita morumque sanctitate. Tunc enim alio sensu *Christianum* PP. accipiunt non ita exacto, quam hic facimus. Itaque de industria ea loca selegimus quæ dogmatica sunt non ascetica. Unum restat ut animadvertamus Hieronymum in dialogo adversus Luciferianos *Christiani* nomine videri intelligere qui baptizatus

(*a*) Ibid. pag. *644.*

(*b*) Hist. Ecclesiast. lib.2. cap.8. pag.79. edit. cantab. πάτας μηδὲ ἐπισκόπυς ὀνομάζειν, μηδὲ χριστιανὺς.

zatus sit; adeoque Hæreticos concedere esse Christianos, contra quam Perpinianus sensit. Sed ejus sermo ut dialogi est, non satis perspicue Hieronymi mentem declarat. Legendus non solum initio ubi de hoc Orthodoxus & Luciferianus differunt, sed etiam in fine *num.* 25. Ceterum nobiles TT. agnoscunt a PP. negari, Hæreticos esse Christianos quod fidem non habeant; inter quos recensere possumus Suarez de Fide *tract.* 1. *disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 21., Bellarminum *lib.* 2. *de summo Pontifice cap.* 30. *num.* 5. *&* *lib.* 3. *de Ecclesia cap.* 10. *num:* 28. Franciscum Fevardentium *in cap.* 20. *lib.* 1. *Irenæi &c.*

§. VII.

De Oratione XV. & XVI.

1. *Quis qualisque fuerit Jacobus Sorianus, cui inscribitur a Perpiniano Oratio* XV. 2. *Summa bujus orationis.* 3. *Multi, ut Perpinianus facit, Parisiensis Academiæ Auctorem dixere Carolum M. quam opinionem Lambecius, Launojus, aliique viri eruditi refutarunt.* 4. *Vere Perpinianus perpaucas dixit esse scholas bene constitutas, quæ Parisiensi multum non debeant: de Academiis, quas Perpinianus nominat, Complutensi, Salmaticensi, Valentina. S. Dominicum non in Valentina sed in Palentina Academia Theo-*

logiæ operam dedisse; nec vero necesse est cumBollandianis & Malvenda id ponere, antequam ea esset regia auctoritate Academia instituta. 5. De Italicis Academiis antiquissima Bononiensis. In ea Jurisprudentia publice tradi cœpta sæculo XI. serius inductæ reliquæ disciplinæ. Hæ jam florebant in Parisiensi Academia sed præcipue Italicorum hominum opera. 6. De Carolo Lotharingo Cardinali, cui inscribitur postrema oratio: non solum naturæ eximiis laudibus instructus fuit, sed magnis præclarisque virtutibus, ut honestiores Historici tradunt. 7. Turbæ initio adversum Societatem in Gallia excitatæ. Fundandi Collegii Parisiensis difficultates præsertim ob Decretum Sorbonicum tempore Perpiniani nondum sedatæ. 8. Objecta in primis peregrinitas. Hanc accusationem Perpinianus diluit exemplo Doctorum peregrinorum. Quis Franciscus Vicomercatus, Bartholomæus Latomus, Antonius Pinus, Petrus & Bartholomæus Gallandius. 9. Calumnia de barbarie. Hanc, sive morum barbaries intelligatur, sive inscitia doctrinæ, depellit Perpinianus. 10. Ex Perpiniano ipso instituta superius narratio de Parisiensibus turbis confirmatur.

I. Restat ut dicamus de duabus postremis orationibus quæ prima parte operum Perpiniani continentur; nimirum XV. & XVI. Ha-

Harum prima inscribitur. *De divina & humana Philosophia discenda, ad Parisienses:* diciturque in orationum elencho habita mense Octobri A. MDLXVI. Sed eam habuisse Perpinianum ipsis Kalendis Octobris in epistola ad Jacobum Soranium Venetorum Oratorem narrat. Quam epistolam præmisimus huic orationi, quod eam Perpinianus ipse præfixerit, cum primum vulgata oratio est eo ipso anno *Parisiis ex officina Thomæ Brumennii in clauso Brunello sub signo Olivæ:* ut ibidem in extrema fronte orationis additur. Hæc autem epistola inter editas a JoanneLucas est XXX. *p.* 190. De Jacobo hoc Soriano, sive Suriano ut alii appellant (alius ab eo qui hoc tempore pariter vivebat Jacobus Sorantius uti eum Gratianus nominat *de bello Cyprio*; Petrus Justinianus *de Venetis rebus* & Thuanus ad an. 1551. Superantium) cujus in se *benevolentiam & studium in Sodalitatem nostram singulare*, præterea *familiæ nobilitatem*, *consilii gravitatem*, *suavitatem morum*, *optimarum artium lucem* Perpinianus prædicat, plura habes apud laudatum Iustinianum (*a*) & Venetarum rerum Scriptores. Nam Cenetæ imperium Cardinali Grimano cum abrogandum censuissent, comitiis habitis Cenetæ Prætorem creaverunt ingenti populi illius lætitia plausuque exceptum: quod viri hujus prudentiam declarat;

 cum

(*a*) lib. 13. pag. 179. edit. Ven. 1576.

cum eum deligerent qui alterius insolens imperium, ut dicebatur, abstergeret, Venetumque quale esset, populisque exoptandum demonstraret. Contigit id circa an. 1546. quod & Ciacconius memorat in Grimani vita (a). Anno 1560. cum decessisset Hercules Dux Ferrariæ hujus nominis III. & patri Alphonsus successisset, destinati sunt ad eum a Venetis Oratores: *duo*, inquit Justinianus (b), *claro ingenio, & virtute patritii fuere. Jacobus Surianus, & Lazarus Mocenicus qui insigni comitatu cultuque in eam legationem profecti sunt*. Quare hinc optimarum quoque artium scientia constat, quam Perpinianus laudabat, si is fuit, in quem illa cadit viri disertissimi laudatio.

II. Ut nunc ad ipsam orationem veniamus, habita est hæc ut diximus Kalendis Octobris, quo die studiorum curriculum repetebatur: quare in exordio orationis *pag.* 433. cum Areopagitico illo more sine proemio perorandum videri dicat; ait id suadere cùm argumentum ipsum; laudes scilicet humanæ divinæque Philosophiæ; tùm adjuncta urbis, in qua sibi dicendum, auditorum ad quos sermo instituendus, & temporis, *quo*, inquit, *utriusque studia perpetuo totius anni cursu languentia, interposita medica quiete, renovantur*: & pau-

(a) tom. 3. pag. 487.
(b) lib. 14. pag. 398.

& paulo post audientiam sibi postulat dicenti de pulcherrimo Dei munere ac dono, *cujus potiundi* (ait) *non tam restinctus, quam sopitus ardor hodierno die rursus excitatur*. Ubi vero Auditorum suorum alacritatem in studiis capessendis laudavit, ad magis magisque inflammandos adolescentes; cum magno atque excelso animo præditos, par sit dignitate maxime, atque integra solidaque laude commoveri; adhortandos eos sibi sumit ad complectendam utramque Philosophiam, & omnibus tum animi, tum corporis opibus tuendam; *quod a Deo una cum hominibus profecta, atque propagata sit, & secundum naturam sit maxime, & nos quoad mortalitas nostra fert efficiat quam simillimos Deo*. Hæ veluti tres orationis hujus partes sunt, quas pariter recenset extrema oratione *pag* 457.; alia adjecta de scholæ nobilitate. *Quæ*, inquit, *si vos admonitione mea permoti sedulo feceritis quicumque animum ad Sapientiæ studium appulistis ... & donum jam inde a rerum ortu mortalibus divinitus datum consequemini & vitam convenienter naturæ traducetis; & cognitione, actione, potestate propius ad naturæ divinæ cognationem accedetis; & nobilissimæ scholæ nomen usque a Carolo M. omnium gentium sermone celebratum immortale reddetis & æternum*. Primam igitur partem aggreditur *pag*. 435. de antiquitate utriusque Philosophiæ, eamque non primum apud Romanos exortam, non apud Græcos, non apud

Ægy-

Ægyptios, aut Hebræos, aut Chaldæos inventam affirmat, sed apud omnium hominum parentes primum ejus ortum quærendum. Itaque hos non solum dum in ea felicitate vixerunt, quæ brevis fuit, sed postea etiam violata divina lege in exilium ejectos, de Deo, rerumque exortu, & similibus rebus sermones ad labores suos levandos adhibuisse: atque hinc earum rerum cognitionem ad posteros permanasse; atque ad Chaldæos omnem humanarum divinarumque rerum scientiam pervenisse, a Chaldæis per Abrahamum ad Hebræos; ab his, vel a Misraimo Chami filio, qui Ægyptum obtinuit ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Phœnices, Græcos, Romanos, similique ratione ad ceteras gentes ab illo principio derivatam. Quare concludit *pag.* 441. *cum rerum humanarum nulla sit hominibus ipsis antiquior, nihil cum Philosophia posse de vetustate contendere, qua ne ipsi quidem homines vetustiores esse potuerunt*. Ibidem addit, humanæ Philosophiæ partum, atque originem commendari priscorum hominum auctoritate; vel Timæi, qui apud Platonem, divinum donum esse confitetur; vel fabulis a doctissimis hominibus confictis quibus idem veluti clam indicatur, cum Musas faciunt Jovis filias, & Minervam e cerebro ejusdem educunt nascentem. Id vero magis etiam constare de divina Philosophia vel a Salomonis ipsius testimonio. *Pag.* 442. aggreditur alteram ora-

orationis partem ; quemadmodum Philoſophia cum noſtra natura congruat ; quam quidem nobis Deus attribuit non eamdem ac ceteris animantibus, ſed (quod figura ipſa corporis declarat) ad contemplationem rerum factam, ut ab illa ad Deum cognoſcendum colendumque deducerentur . Itaque duas eſſe hujus Philſiſophiæ partes ; altera ponit ante oculos terras, maria, aerem, cælum, & partim ex illis, quæ ſunt hominibus enuntiata divinitus, fabricatorem tanti operis inveſtigat ; altera demonſtrat, quemadmodum illum jam cognitum, & debito cultu proſequamur; & ſapientia, conſilio, generis humani caritate, juſtitia, clementia, ceteriſque virtutibus, quoad per naturam fas ſit, exprimamus . *Pag. 445.* venit ad tertiam partem orationis de ſimilitudine qua nos propius Philoſophia admovet divinæ naturæ. Ac primo fuſe Deo vindicat præter contemplationem, alterum munus de gubernatione rerum & providentia ; quam vel ipſi ſaniores Ethnici homines teſtati ſunt . Ait ergo *pag.*448. his duabus functionibus cum maxime vigeat cæleſtis illa beataque natura contemplatione, & gubernatione rerum ; quoad ferre poteſt naturæ mortalis infirmitas, humanam divinamque Philoſophiam nos Deo quodammodo ſimiles reddere, dum facit, ut illius veſtigia perſequentes, & ſupera, infera, humana, divina cernamus, & nos ipſi familiaſque noſtras at-

que

que civitates optimis institutis ac legibus temperemus: Platonis hanc fuisse Philosophiæ definitionem, judice etiam Ammonio, ut sit similitudo Dei quoad homini fas est, atque ad hunc finem referri oportere universam Philosophiæ doctrinam. *Pag.*450. præter has duas res scientiam & actionem, aliud præterea esse ait, quo cum Deo similitudo a Philosophia profecta continetur: eam esse divinam potestatem; a qua propius quam idiotæ absunt qui præditi sunt omni genere scientiæ. Nam & Mathemathici qui vocantur multa faciunt soli, quæ ingens hominum multitudo conjunctis viribus non fecisset; & Physici multa perficiunt præter hominũ opinionẽ; & Medicorũ in servandis hominibus arte & vim sæpe miramur. Quamobrem *pag.*352.ex superioribus ita colligit; *Jure igitur similitudo Dei nominata est humana, divinaque Philosophia, per quam scientiæ dignitas, honestas actionis, magnitudo potestatis quæ maxime propria sunt illius immortalis divinæque naturæ cum hominibus communicantur: quo quid majus, quid admirabilius, quid ingenue ac liberaliter educatæ juventuti magis expetendum cogitari potest; quasi Deum quemdam inter homines versari, ut de Hectore suo Priamus ob eximiam virtutem prædicat apud Homerum, neque satu mortalis alicujus generatum atque editum videri, sed omnia tuentis ac regentis Dei?* Locus Homeri quem laudat est *Iliad.* 24. *v.* 258.
ubi

ubi filios suos alloquens Priamus eorum ignaviæ objicit *Mestora Divinum*, & *Troilum ex curru pugnantem*.

Ἕκτορά θ' ὃς θεὸς ἔσκε μετ' ἀνδράσιν οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

Hic vero Perpinianus vehementer auditores suos adhortatur ad utriusque Philosophiæ studium atque ad eos excitandos *pag.*453. Parisiensis Academiæ nobilitatem proponit. *Anni circiter*, inquit, DCCC. *sunt, cum summi Imperatoris Caroli Magni singulari consilio, humanarum, & divinarum artium est in hac urbe sedes constituta: ætates ab eo tempore singulas lustrate; eum semper ingenii, industriæ, eruditionis fuisse florem invenietis, exterarum ut nationum homines catervatim huc, tamquam ad utriusque sapientiæ fontem, tam longe a patria convenirent*. Deinde addit, quod ad illius laudem maxime insigne est, perpaucas esse scholas bene constitutas, quæ & ortum & incrementa sua Parisiensi scholæ accepta referre non debeant; numeratque Complutensem, Salmanticensem, Valentinam Academiam in Hispania, in Lusitania Conimbricensem: ac subjungit ; *Non dubito quin ceteris quoque gentibus idem acciderit apud quas vigent studia sapientiæ; sive hinc transtulerint omnem insti-*

tutionem, sive exemplo tantum impulsæ fuerint ad imitandum. Recte igitur hæc una scholarum mater est, unde vel omnes, vel plurimæ ubicumque gentium scholæ sunt profectæ. At quò major est ista laus, eo illis studiosius ait retinendam; nec committendum ut, cum nihil sit in rebus humanis quod non fiat vetustate deterius, nisi assidua cura obsistatur, florentissima hæc Academia, incitatissimo rerum humanarum cursu, ad interitum rapiatur.

III. Quod indicat Parisiensem Academiam a Carolo M. fundatam, vulgaris erat eo tempore opinio, ut Jacobus Middendorpius testatur (a) in libris *de Academiis*, quos libros edidit anno 1572. Ait enim de illa differens. *Hanc Carolus ille M. circa A. D. 791. ex Alcuini præceptoris sui, venerabilisque Bedæ discipuli consilio erexisse creditur*: in cujus rei testimonium affert Eustachii Cnobeldorpii Pruteni versus. Idem scripsitRobertus Gaguinus, Hector Boëthius, Nicolaus Gillesius, Franciscus Belleforestus. Sed præcipue eam opinionem fuse persecutus Cæsar Egassius Bulæus in *Historia Universitatis Parisiensis* (b) scribens; se *cum novem prope sæculorum fide indubitanter asserere, Carolum vere Magnum, omnium Regum maximum, sapientissimum, litera-*

(a) lib. 3. pag. 571. edit. Coloniensis 1583.
(b) tom. 1. pag. 91. &c.

teratissimum, esse hujus principis Academiæ vere Parentem, Institutorem, & Fundatorem. Verum distinguendæ hic sunt scholæ seu *Cœnobiales*, ut vocant, in Cœnobiis Monachorum constitutæ, seu *Episcopales* in Episcopiis patefactæ, de quibus extat constitutio Caroli inter Capitularia Regum Francorum (*a*), de qua constitutione Cabilonense II. *can.*3. (*b*), a scholis publicis ita quidem constitutis, ut Academiam, sive studiorum ut dicimus universitatem efforment. De scholis publicis editam a Carolo sanctionem testis est Synodus Parisiensis VI. sub Ludovico Imperatore habita (*c*), in qua capite XII. hæc habentur: *Similiter obnixe ac suppliciter vestræ Celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis imperii vestri locis scholæ publicæ ex vestra auctoritate fiant: ut labor patris vestri & vester per incuriam, quod absit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna utilitas & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet.* Bulæus (*d*) affirmat se *neminem hactenus legisse qui locum hunc de Academiis, seu ut hodie loquimur de Universitatibus non interpretetur, deque tribus istis fere Parisiensi, Bo-*

(*a*) tom. I. col. 201. ex recens. Baluzii.
(*b*) tom. 4. collect. Harduini col. 1032.
(*c*) tom. 4. collect. Hard. col. 1356.
(*d*) tom. I. pag. 159.

Bononiensi, *&* *Ticinensi*, *seu Papiensi*: atque affert hujus sententiæ viros doctos quam plures. Verum, utcumque sit de scholis publicis; Petrus Lambecius in commentariis de Bibliotheca Vindebonensi *lib.* 2. *cap.* 5. (*a*) ait se lubentem accedere sententiæ Stephani Pasquieri *Recerches de la France lib.* 3. *cap.* 23., & Petri Bonfonsii *Antiquitatum Parisiensium cap.* 13. qui *jam pridem magni ponderis argumentis demonstrarunt*, fundationem celeberrimæ istius Parisiensis Academiæ, si ut hic sit, nomine Academiæ intelligatur non quodcumque collegium litterarium, sed tale dumtaxat, in quo per specialem Principalis privilegii prærogativam omnes quatuor facultates, Theologia videlicet, & Jurisprudentia, & Medicina, & Philosophia publice traduntur, & secundum eruditionis profectum tituli quoque ac dignitates graduum scholasticorum publica auctoritate conferuntur, perperam attribui Imperatori Carolo Magno: revera autem attribuendam esse, partim quidem Regibus Galliæ Ludovico VII. qui cœpit regnare anno 1137. & filio ipsius Philippo II., qui Patri in regno successit anno 1180., partim vero etiam celeberrimo Theologo Petro Lombardo, qui ob libros quatuor Sententiarum a se editos Magister Sententiarum vulgo appellatur, & sub duobus illis Regibus Episcopatui Pa-

(*a*) tom. 2. pag. 261.

Parifienfi cum fumma laude præfuit. Concedit autem alioqui habuiffe urbem Pa ifinam multo antea Artium liberalium fcholam. Joannes Launoius anno 1672. librum edidit *De fcholis celebrioribus feu a Carolo Magno ; feu poft eumdem Carolum inftauratis* (a). In eo libro primum refert quæ habet Monachus Engolifmenfis in vita Caroli *ad a.* 787. qui præter cetera fcribit; *Domnus Rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticæ & computatoriæ Magiftros fecum adduxit in Franciam & ubique ftudium litterarum expandere juffit. Ante ipfum enim domnum Carolum Regem in Gallia nullum fuerat ftudium liberalium artium.* Huic fidem adhibet, & concedit, Carolum fcholarum & bonarum artium inftauratorem fuiffe in Occidente. Commenta vero putat quæ ab aliis narrantur ; ut Alcuinum Bedæ auditorem fuiffe, tempore Caroli per totum ejus imperium litterarum ftudia floruiffe &c. Deinde fufe differit de fcholis antiquiffimis cùm tempore Caroli M. quo fundatas refert fcholam Palatii, Turonenfem, Fontanellenfem, Lugdunenfem, Fuldenfem, Ofnaburgenfem, Metenfem, tùm fubfequutis temporibus. De fchola vero Parifienfi pronuntiant, a vero aberrare eos qui Carolum M. prædicant Academiæ Parifienfis au&orem ; maxime vero fi Academia, uti quatuor facultates continet, fpe-

(a) extat nunc Oper. tom. 4. part. 1.

ctetur; Artes nimirum liberales, Medicam, Canonicam, Theologicam facultatem. Addit, quicquid Academiæ hujus reperitur ante Ludovicum Crassum desultoriam veluti naturam sortitum esse, nec per certam, uti postea, successionem decurrisse. Hanc eruditi viri sententiam complures postea secuti sunt. Sed ex iis quæ antea narravimus constat, Perpinianum non temere, nec sine laudatis auctoribus, in eam sententiam concessisse, quæ quidem tum vulgaris & communis habebatur.

IV. Addiderat; omnia fere Complutensis Academiæ instituta translaticia esse ex Parisiensi. Id liquet ex Alvaro Gomecio, qui Cardinalis Francisci Ximenii res narrans (quem virum illa Academia auctorem, & institutorem habet, ut Franciscus Tarapha, Middendorpius, aliique testantur) hoc affirmat libro IV. Ac primo de Ximenio, præclaris initiis quæ posuerat perspectis, quibus ingens studiorum spes ostendebatur; *illico*, ait, *viros doctissimos partim Salmantica, partim Lutetia Parisiorum, quæ semper bonarum artium emporium est habita; ad disciplinarum possessionem accersendos doctores curavit*. Deinde cùm alia multa tùm constituisse refert *ad Parisiensis scholæ exemplum Academiæ Cancellarium*. Demum adeo Parisiensis Academiæ exemplum Ximenio semper obversabatur; ut cum Salmanticenses legati ad eum venissent ab eo

eo obnixe efflagitantes, ut suam illam litterariam rem ad Academiam Salmanticensem transferret, responderit Cardinalis, ut idem Gomesius narrat, *libenter se quidem conditionem accepturum, modo in ea intra urbem planitie, quae ad aedem Franciscanam est, suam sibi Academiam exaedificare permitterent, quae Parisiensis instar suo jure & Rectore fruens, propriis legibus gubernaretur.* De Salmanticensi & Valentina Academia Matamorus, Middendorpius &c. Primam circa ann. MCCCCIV. institutam affirmant aliqui apud laudatum Middendorpium. Matamorus ab Alfonso Castellae Rege Academiam Palantinam conditam tradit circa a. 1173.: exactis vero annis 34. idest A. MCCVII. vel a Ferdinando Castellae Rege vel ab Alfonso sanctissimi Ferdinandi Regis filio, qui Hispalim ex Arabum dominatione ac tyrannide vindicavit, in urbem Salmanticam Academiam ipsam translatam. Atque illum annum constitutionis Palentinae Academiae quem Matamorus indicat, vero maxime convenire arbitror. Nam qui a.1200. consignant; ut Gilius Gonzalez de Avila in Historia urbis Salmaticensis *lib. 2. pag. 78.*, non minutiores rationes persecuti videntur; sed, ut fit, ad proximum centenarium annum confugisse: Mariana statuens circa annum 1209. a Roderico Toletano falsus videtur qui *lib.7. cap. 39* Palentinae Academiae initia ponit aera 1247. Ceterum de Salmanti-

censi fuse is quem modo nominavi Gilius Gonzalez. Legendus de Academia Complutensi & Salmanticensi Melchior de la Cerda in *Apparatu*. Valentinam Academiam a. 1470. Middendorpius ait mirifice floruisse, clarissimosque in omni artium genere professores habuisse. Antea tamen S. Dominicum illustrissimi Ordinis Prædicatorum Parentem ibidem bonis artibus & sacræ Theologiæ operam dedisse, auctore Raphaele Volaterrano tradit. Verum hoc postremum falsum esse Gaspar Esculano (*a*) demonstrat, cum nondum litteræ in eadem civitate restitutæ essent: licet olim ibi floruisse, & multis ætatibus ante Christum natum celeberrimam Academiam institutam arbitretur. Placet vero ejusdem Esculani conjectura, Volaterranum deceptum librariorum errore, quo factum est ut in nonnullis codicibus sanctissimi viri res gestas persequentibus Valentia pro Palentia legeretur. Nam Palentiam Dominicum adhuc juvenem missum, *ubi liberalibus informaretur scientiis*, scribit B. Iordanus Scriptor Dominico æqualis in ejusdem vita (*b*): item Constantinus Urbevetanus (*c*). Corrigendus itaque hic error in chronico quoque S. Antonini (*d*), uti animadver-

(*a*) lib. 5. Valentinæ historiæ cap. 22. n. 4.

(*b*) cap. 1. n. 4.

(*c*) in vit. num. 4. apud Echardum. tom. 1. Bibliothec. pag. 26.

(*d*) part. 3. tit. 3. cap. 4.

madvertit Malvenda in annalibus (*a*) ; qui pariter observat Valentiam tunc sub jugo Maurorum extitisse . Bollandistæ in commentario prævio ad Acta S. Dominici (*b*), nondum plane constare temporum rationem arbitrantur ; quod Mariana (*c*) , aliique statuant Palentinæ Academiæ initia circa an. 1209. quare non potuisse studiorum causa illuc proficisci Dominicum anno 1184. Itaque cum Malvenda nodum sic extricant , ut velint, *antequam generales Academiæ omnium scientiarum cum his juribus , & privilegiis , quibus frui solent eæ, quas Universitates vocant , Palentiæ ab Alfonso Rege fundarentur , Pontificia & Regia auctoritate, jam in eadem urbe viguisse artium liberalium & Theologiæ studia magna confluentium celebritate , privato tamen veluti jure & sine universitatis privilegiis .* At juxta rationes nostras supra constitutas , res omnis in proclivi . Jam vero utramque Academiam Palentinam ex qua crevit Salmaticensis , & Valentinam , Parisiensi plurimum debere veteres Scriptores testantur . Rodericus Toletanus *lib.* 7. *de rebus Hispaniæ cap* 34. res gestas describens Alfonsi ait : *Sed ne fasciis charismatum quæ in eum a Sancto Spiritu confluxerunt virtute aliqua fraudaretur , sa-*

(*a*) ad an. 1184. cap.2.
(*b*) num.129.tom.1. Aug. pag.388.
(*c*) lib.11. cap.22.

sapientes a Galliis & Italia convocavit, ut sapientiæ disciplina a regno suo nunquam abesset & magistros omnium facultatum Palentiæ congregavit, quibus & magna stipendia est largitus. de Valentina vero jure dixisse Perpinianum, *non prius tantam elegantis doctrinæ famam quanta nunc floret consecutam esse, quam suos cives instructiores quam venerant ex hac urbe recepit*, liquet ex viris iis doctissimis qui eam celebrarunt. Atque ut nominatim appellemus nonnullos, Petrus Joannes Nunnesius Philosophiam Valentiæ docuit: at idem *ad uberiorem ingenii cultum*, ut vitæ ejus enarrator prodit (*a*), Lutetiam Parisiorum profectus est, ibique assidue annum integrum audivit Turnebum, Talæum, Ramum, & Carpentarium. Joannes Andreas Straneus (*b*) *tamquam avidus bonarum rerum negotiator adiit Galliam, ad celeberrimum illud litterarum emporium Lutetiam Parisiorum: ibi se totum Musarum studiis dedit per omnia litterarum genera magno studio peregrinatus. In Theogicis etiam diu multumque versatus. Reversus e Gallia publice in Academia Valentina S.Scripturam enarravit*.

V. Hactenus de iis Academiis quas Perpinianus nominat tunc temporis Hispaniæ nobilissimis: quid Italicæ? Idemne in illas convenit,

(*a*) Biblioth. *Hispan. Schotti* tom.3. pag.612.
(*b*) ibid. pag.619.

venit, ut multo post Parisiensem conditæ dicantur, atque ex ipsa creverint? Equidem si liberet Genealogorum Scriptorum, quos ætas superior tulit, morem sequi, atque uniuscujusque familiæ caput Heroam facere aut Deum, possem Parisiensi Academiæ æquales ponere multas Italicas aut etiam antiquiores affirmare. Henricus quidem Pantaleo (a) narrat a Carolo M. *duo celeberrima gymnasia litterarum* instituta; alterum *in Occidentali Francia Parisiis*, alterum *Papiæ in Italia*; eaque reditibus dotasse, doctissimisque præceptoribus instruxisse: Ex recentioribus vero, ut Guidonem Pancirolium (b) aliosque prætercam in Italia natos; Jacobus Middendorpius (c); *Papiensis*, inquit, *sive Ticinensis Academia a Carolo M. non diu post Parisiensem erecta esse creditur. is enim Imperator ad conservandam propagandamque veram doctrinam Christianæ Religionis alterum illorum Monachorum qui ex Brittannia V. Bedæ Præsbyteri discipuli in Galliam venerant Sapientiam se venalem habere profitentes Ticinum misit, ut illam ibi in animas hominum infunderet, primumque hujus Academiæ ut quibusdam videtur Rectorem dedit.* Alludit ad ea quæ Sangallensis Monachus primum a Canisio productus

(a) de vir. illustr. German. part. 2.
(b) de clar. leg. Interpret.
(c) Academ. l. 3.

ductus (a) narrat, de Carolo M. scribens; *Qui cum in occidui mundi partibus solus regnare cœpisset, & studia litterarum ubique propemodum essent in oblivione, contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad litus Galliæ devenire, viros & in sæcularibus, & in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos. Qui quotidie cum nihil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare solebant; si quis sapientiæ cupidus est veniat ad nos & accipiat eam; nam venalis est apud nos: quam tamen idcirco se venalem habere professi sunt, quia populum non gratuita, sed venalia mercari viderunt*. Hos ubi ad Carolum perductos retulit, subdit: *unum eorum nomine Clementem in Gallia residere præcepit ... alterum vero in Italiam direxit, cui & monasterium S. Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit, ut qui illic ad eum voluissent ad discendum congregari potuissent*. Idem Middendorpius Patavinam Academiam pariter Caroli M. liberalitate circa an. 791. conditam credi ait. De Bononiensi vero Academia hæc habet; *quamquam inter historiarum Scriptores fere convenit quod Bononiensis Academia & vetusta sit & a Theodosio Romanorum Imperatore fundata, tamen, quo vel Domini*

(a) tom. 1. pag. 360. var. lect. antiq. edit. Deinde inter Scriptores rer. Franc. relatus a Duchesnio tom 2. pag. 107. Hunc Goldastus & Basnagius putant esse Notkerum.

ni & Salvatoris nostri J. C. vel imperii suo anno eam instituerit non satis inter auctores convenit : deinde iis fidem habet qui anno 495.institutam volunt. Præter Middendorpium Papirius Massonus (*a*) tradit una cum Parisiensi Patavinam & Ticinensem Academiam Carolum M. parentem suum appellare. De Ticinensi idem habet Bulæus. Sed, quemadmodum Parisiensis cui has Italicas æquant, hanc tantam vetustatem non fert, ita & Italicæ. Itaque miror nostra ætate scribentem Gymnasii Ticinensis historiam Antonium Gattum *capite* v. Guidoni Pancirolio, & Jacobo Middendorpio adhærere & a Carolo M. accersere constitutionem Ticinensis Academiæ. Commodius sane Nicolaus Comnenus Papadopolus initio Historiæ Gymnasii Patavini de ejus origine & prima constitutione loquens, quæ a Riccobono, Tomasino, aliisque de ejusdem antiquitate dicta sunt ait *splendida magis esse quam vera*. *Neque*, inquit, *quod alicubi litterarum scientiarumque amor exarserit, quodque ibidem legum, artiumque liberalium studia floruerint, idcirco ibi Lycæum & uti loquimur Universitas agnoscenda erit*. Itaque ejusLycæi initia statuit non ante obitum Actiolini Tyranni circa A. MCCIX. Cl. Muratorius tomo III. Antiquitatum medii ævi differens (*b*) *De litterarum fortuna in Italia post annum MC. & de*

(*a*) in Annal. Franc. (*b*) differt. XLIV.

& de Academiarum, sive gymnasiorum erectione; universim statuit; litterarum quidem studium in Gallia & Germania, præterea Ticini quanto potuit ardore animi Carolum M. procurasse; majora etiam præstitisse Lotharium I. Augustum illius nepotem in Italico regno, excitatis scholis in quibusdam civitatibus, ad quas reliquarum civitatum pueri erudiendi confluerent: Episcopales quoque scholas & Cœnobiales antiquis sæculis institutas fuisse; idque in ipsa Italia factum. *Sed nihil horum*, inquit laudatus Muratorius, *Academiæ seu Universitatis faciem unquam retulit, si quod hisce nominibus nunc significamus cum sæculis iis conferatur. Unus Magister unam scholam tunc constituebat, & humiliorum quidem plerumque artium. Ticini unus Dungalus, Eporediæ unus Episcopus munere docendi publice fungebantur. In reliquis civitatibus non dispar modulus fuit: parium ferme scholarum specimen nunc ipsa Castella servant.* Harum scholarum ab Academiis discrimen animadversum a Launojo jam supra vidimus. Itaque de his scholis interpretandum arbitror quod de re litteraria Mediolanensi narrat Cl. Saxius (*a*): etsi plusculum aliquid evincere videtur ab eodem allegatus Landulphus Senior scriptor sæculi XI. qui Mediolanensis Ecclesiæ instituta describens usque ad

(*a*) de stud. Mediolanens. cap. 7.

ad obitum S. Heriberti (obiit hic anno 1045.) scribit; *in atrio interiori* (Ecclesiæ majoris) *quod erat a latere portæ respicientis ad Aquilonem Philosophorum scholæ diversarum artium peritiam habentium, ubi urbani & extranei Clerici Philosophiæ doctrinis studiose imbuebantur; erant duæ, in quibus, ut Clerici qui exercitiis tradebantur curiose docerentur, longa temporum ordinatione, Archiepiscoporum antecedentium stipendiis a Camerariis illius Episcopi, qui tunc in tempore erat, annuatim earum Magistris donatis, ipse Præsul multoties adveniens sæculi solicitudines, a quibus gravabatur, a se depellebat, ac Magistros & scholares in studiis adhortans, in palatiis sese demum recipiebat Ambrosiacis*. Legendus ea de re vir eruditus, & Cl. Joannes Sitonus de Scotia, qui Collegii Mediolanensium Jurisperitorum Chronicon orditur a sæculo XII. Ceterum Italicarum Academiarum initia serius aliquanto videntur constituenda quam aut Middendorpio visum est aut Cl. Gatto. Antiquissimam fuisse Bononiensem communi ferme consensu recentiores viri eruditi tradunt; quibus accedit quem modo laudavi Ludovicus Antonius Muratorius, Bononiensem Academiam asserens illam esse, quæ *ut vetustate ita & celebritate nominis, & copia virorum illustrium ceteris Italicis præferenda sit, & quæ cum ipsis exteris de antiquitate saltem certare aliqua ex parte possit*. Hujus

jus initia constituere difficillimum est; præsertim quod non constet quid sit Academiæ nomine intelligendum. Launojus Academiam Parisiensem tunc institutam putat cum, uti nunc habet, complexa est IV. facultates, liberales nimirum Artes, Medicinam, Jus Canonicum, Theologiam. Alii etiam plures disciplinas postulant quæ universitatem quamdam studiorum referre possint & publice tradantur. Ita sane Italicæ Academiæ ad antiquiora tempora non pertinebunt. Sed si Academiæ formam induci aliquo modo existimamus cum præter Artes, sive humaniores litteras, facultas aliqua ex severioribus, publice a docto interprete magno auditorū concursu traditur, antiquam sane existimare licet Bononiesem Academiam. Non enim ejus initia repetenda solum ab anno MCXXVIII., quando Irnerium, seu Wernerium Leges publice intrepretatum ibidem faciunt (*b*); sed omnino a superiori memoria. Nam Robertus de Monte in accessionibus ad Chronicon Sigeberti, ad a. MXXXII. habet; *Lanfrancus Papiensis & Garnerius socius ejus, repertis apud Bononiam Legibus Romanis Justiniani Imperatoris, operam dederunt eas legere & aliis exponere*. Quod si hujus auctoritas non satis esse censetur ad hæc, quam

(*a*) DD Bonon. in respons. ad Bertholdum Nihusium apud eumdem *in Anticritico* & inscriptio Irnerio posita in Bononiensi Gymnasio.

quam vulgo censent, initia altius removenda, est præterea Anonymus auctor poematis Cumani, sive *de bello & excidio urbis Comensis* (*a*), in quo res a se visas narraturum poeta professus ad an. 1119. recensens populos a Mediolanensibus accitos adversus Comenses ait v. 211.

Docta suas secum duxit Bononia Leges.
& ad an. 1197. referens adjunctas Mediolanensibus Bononiensium copias v. 1848.

Docta Bononia venit & huc cum Legibus una.
Si circiter a. 1130., arguit Muratorius, *Comensis Poeta tam expressis & grandibus repetitis verbis* doctam *appellat, eamque laudat uti Jurisprudentiæ Romanæ Magistram Bononiam, hinc intelligas necesse est, jam longe antea ibi fuisse cœptam, imo constabilitam disciplinæ legalis scholam, ejusque prærogativæ famam jamdudum evulgatam fuisse per universam Italiam.* Itaque putat vir doctus amovendam a temporibus Lotharii II. Scholæ Bononiensis originem, atque ætatem Irnerii recte componi cũ ætate Comitissæ Mathildis, ipsũque etiam per complures sæculi XI. annos præesse potuisse Bononiensi scholæ. An aliud quidpiam discipulis illuc ea de causa confluentibus tunc explicaretur, idem Muratorius testatur, ex monumentorum inopia decernere posse neminem. Constat tamen sæculo XII. ad Juris civilis scientiam additum

Ll jus

(*a*) tom. v. rer. Italicar. Murat.

jus Canonicum ; cum a. 1165. Gratiani Decretum prodiisset, fuissetque avide in Gymnasio Bononiensi exceptum. De Philosophiæ, Theologiæ, ac Medicinæ Magistris, quando primum in eo gymnasio locum nacti sint res pariter incerta est. Grammaticæ atque Humaniorum litterarum Magistrum circa an. 1208. accitum Boncompagnū Florentinum pluribus ostendit Murarorius in præfatione ad ejus opusculum *de obsidione Anconæ* (a). A. MCCXIX. Sigonius in Bononiensi Historia commemorat Honorii III. Papæ litteras ad Episcopum Boniesem, *ut Theologiæ studium in urbe aleret, neque Religiosos aut Juri civili, aut Physicæ operam dare permitteret* : quæ verba, Muratorio, indicare videntur, Theologiam quoque ac Physicam, præter Leges, in Bononiensem Academiam jamdiu antea immigrasse. Atque hactenus putat unicam illam in tota Italia extitisse ; aliis deinde consecutis temporibus in ea excitatis. Mutinensem Academiam sæculo XII. celebrem fuisse affirmat: Fridericum II. Patavium transtulisse Academiam Bononiensem : & quamvis hanc postea anno 1227. suam in urbem restituerit, nihilominus Patavinam Academiam floruisse ; atque eodem sæculo Ferrariensem, Reginam, Romanam, Neapolitanam, Placentinam. Sæculo demum XIV. Pisanam, Perusinam, Ticinen-

(a) tom. 6. rer. Ital.

nenſem, Senenſem, Taurinenſem atque aliaſ. Hinc duo colliges; 1. ſi facultate una contentus ſis quæ multis audientibus publice prælegeretur, primùm id conſtare in Italia factum Bononiæ: ſi plures velis, additis humanioribus litteris, Italia excedendum, confugiendumque in Galliam. Alterū eſt quod hùc præcipue ſpectat; conſueviſſe Italos homines ut litteris informarentur celebrare Gallicanas Academias. Teſtem hujuſce rei Muratorius exhibet Landulphum a S. Paulo qui *cap.* 13. Mediolanenſis hiſtoriæ narrat, ſe una cum Anſelmo de Puſterla, & Olrico Vicedomino, qui ambo poſtea Archiepiſcopi Mediolanenſes fuere, perrexiſſe in Galliam atque in iis ſcholis annum eoque amplius litteris navaſſe operam: quod quidem fecerunt circa annum MCVIII. quod nimirum, ut Albericus de Tribus Fontibus ſcribit ad A. MCXV., *florerent in Francia apud Laudunum nominatiſſimus ille Magiſter Anſelmus, qui Gloſſaturam interlinearem primus exhibuit, & frater ejus Radulphus, & ipſe Magiſter Theologus & Catalaunenſis Epiſcopus*. Quamobrem cum Gilberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi opiniones quædam delatæ fuiſſent ad Eugenium III. Papam; is, teſte Othone Friſingenſi (*a*), reſpondit, *ſe Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter litteratorum virorum copiam ibidem* ma-

(*a*) lib. 1. cap. 46. de Geſtis Frider. Imp.

manentium opportuniorem exanimandi facultatem haberet, plenius velle cognoscere. In Galliis vero principem certe locum occuparat Parisiensis Academia. Itaque bene Cl. Muratorius scribit sæculo XII. & XIII. gloriam Theologiæ Parisienses scholas ita sibi vendicasse, ut Lycæum illud certatim nobiliora Italicorum ingenia peterent eruditionis causa, ibique etiam ad alios docendos adhiberentur, Est ergo, quo ingeniosissima se Galliæ natio efferat; nec ei tamen Italia de litterarum laude concedat: nam, ut diximus præcipuos Gallia Magistros habebat ex Italia. Quem sæpius nominavi, vir eruditissimus Muratorius testem producit Guitmundum Monachum. aliosque eorum temporum Scriptores qui Lanfranci Ticinensis, & Anselmi Cantuariensis Episcopi patria Itali operâ præcipue factum tradunt, ut severiores disciplinæ recalescerent, & cùm humanarum rerum tùm divinarum studia excitarentur. Consecutis vero temporibus Parisiensi Academiæ Italia dedit Petrum Lombardum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram Balneoregiensem, atque Ægidium de Columna Romanum qui maximam illi laudem nomenque pepererunt. Denique constat Galliam sæculo XII. accepisse ab Italis Juris saltem Canonici libros, cum in Jurisprudentiæ disciplina excellerent præ Gallis Italici viri. Atque hactenus quidem de Italicis scholis sive Academiis, non ut nationes duas, quas flo-

florentiſſimas eſſe & fuiſſe nemo neget, committerem, ſed ut Perpiniani effati illius veritatem explorarem *pag.* 434. *perpaucas eſſe ſcholas bene conſtitutas quæ & ortum & incrementa ſua Pariſienſi ſcholæ accepta referre non debeant*: quod item (ut virum aliquem Gallum nominemus eumque cujus teſtimonium repudiandum non eſt) Thomaſinus tradidit ſcribens (*a*), *ceterarum univerſitatum formam & veluti regulam ſemper fuiſſe Univerſitatem Pariſienſem*.

VI. Sequitur poſtrema oratio quæ inſcribitur *Pro Societate Jeſu ad Carolum Lotharingum Cardinalem*. Eam nondum in lucem hominum prolatam inveni in cod. mſ. qui Lugdunenſem orationem, & Pariſienſes omnes complectitur: additurque in titulo; *dicta non eſt, ſed oblata Lutetiæ, menſe Majo* MDLXVI. *non enim ei licuit audire*. In epiſtola vero ad Emmanuelem Sa Perpinianus *pag.* 162. hæc de ea oratione ſcribit: *Lutetiam venire juſſus urbem vidi omnium, quas unquam viderim maximam; defenſionem Sodalitatis noſtræ Cardinali Lotharingio ſcriptam obtuli*. Hic ille eſt Carolus, qui vulgo Guiſius, ſeu Guiſianus dictus eſt: defuncto vero Joanne patruo Cardinali *Lotharingus* dici cœpit; ut Thuanus tradit (*b*), & Ciac-

(*a*) Vet. diſcipl. part. 2. lib. 1. cap. 100. n. 5.
(*b*) lib. 6. num. 12. tom. 1. p. 217.

& Ciacconius (*a*). Natus est A. MDXXIV. patre Claudio I. Guisiæ & Aumalii Duce filio natu minore Renati II. Ducis Lotharingiæ. A Paulo III. creatus Cardinalis A. MDXLVII. obiit A. MDLXXIV. De eo Historici omnes horum tēporum; fuit enim maximis rebus gerendis adhibitu. De eximiis ejus animi dotibus nemo dubitat, aut minus quam honorifice scribere ausus est, ut recens etiam Scriptor animadvertit (*b*): in earum tamen vel pravo vel recto usu exponendo diffident; cum alii ferventissimo Catholicæ Religionis propagandæ studio ejus facta adscribant; alii speciem hanc veluti quamdam obtexisse ambitioni suæ & domus amplificandæ desiderio velint. Hi tamen sunt plerumque Hæretici homines vel eorum fautores; quibus profecto adnumerandus Thuanus: qui non solum eum ambitionis sæpe notat turbulentique animi atque inquieti (*c*); sed ita hominem nobis depingit, dum mortem describit veluti ex mœrore de suæ famæ imminutione obitam; ut Flagellantium hæresi addictum faciat, & ambitionem, levitatem, inæqualitatem in omni vita exprobet. Temerariam illam vocem qua hæresis notavit sanctissimum probatissimumque usum voluntariæ corporis afflictationis multi refutarunt; & præ

(*a*) tom. 3. col. 724.
(*b*) Daniel Histor. de Franc. ad a. 1574.
(*c*) ad a. 1550. num. 11. 1555. n. 3. 1559. n. 3.

& præ ceteris Nicolaus Baillius in Edmundi Augerii vita. Cetera quæ Cardinali nostro imputat falsa demonstrant congestæ in eum a viris cùm doctis, tùm prudentibus & candido sinceroque ingenio laudes; qui etiam Calvinistarum in eum odium aperiunt. Genebrardus in Chronographia a. M. 5661. Christi 1574. hæc scribit: *Vigesimo sexto die Decembris, die S. Stephani moritur Carolus Lotharingus Cardinalis summo Calvinistarum voto, sive quia sua auctoritate & consilio illorum conspirationes disturbabat, sive quoniam in conconventu Possiaco Petrum Martyrem, Bezam, & decem alios Ministros luculenta oratione læthaliter vicerat & universo conventui piaculares reddiderat*. Spondanus ad eundem a. 1574. n. 15. *In Gallia mortuus est item Carolus Cardinalis Lotharingius vir multis animi, & corporis dotibus præstans; de quo multa superius tempore Concilii Tridentini & Colloquii Possiacensis, in quibus multa dedit excellentis ingenii, egregiæ doctrinæ, raræ eloquentiæ, & magni animi: piique zeli specimina, & exempla: pluraque etiam deinceps apud Reges Galliæ, in defensione auctoritatis ipsorum & Religionis Catholicæ: unde & summa in se concitavit Politicorum & Hæreticorum odia ac calumniarum plaustra: quæ illi in benedictionem apud Deum & Ecclesiam, piosque omnes extitere,*

(a) lib. 2. cap. 3.

tere, ac nævos & culpas, quibus ut homo non caruit, operuere, & extinxere. Addere his possumus Sammarthanos fratres a quibus (*a*) appellatur *vir maximus, qui Ecclesiæ Fidem tutatus est contra Hæreticos, Regem & patriam consilio & opera juvit, familiam nominis sui fama illustravit, litteras auctoritate sua protexit, omnes bonos ad sui venerationem compulit*: item *in Gallia Christiana* (*b*) Claudium Robertum qui vitæ ejus institutionem ita nobis exhibet; *Psallebat in choro, pauperibus, propriis manibus ministrabat, concionabatur in templis, lectionem sacram mensæ adhibebat, Veneris & Sabbathi singulis diebus jejunabat, cilicio plerumque utebatur, vaniloquio abstinebat, solemnibus festis Pontificaliter litabat, litteratis favebat, ordinabat, visitabat, Synodus habebat per se.* Idem ferme iisdem verbis Petrus Frizon in *Gallia Purpurata* (*c*); nec non

(*a*) tom. 1. Galliæ Christianæ pag. 543.

(*b*) pag. 137.

(*c*) pag. 615. *Quid dicam de ejus religione & publico cantu in Ecclesia choro? Quid memorem propriis manibus ministratas pauperibus dapes? conciones pro suggestu sacro habebat: etiam lectio sacra mensis adhibebatur: in ejus familia nulli aucupes aut venatores: bis jejunabat hebdomade, scilicet diebus Veneris in honorem Passionis Christi, & sabbathi in cultum B. Virginis, corpori domando cilicium frequenter adhibebat, vanis colloquiis minime vacabat, festis solemnioribus Pontificaliter litabat, favebat viris de litteris benemeritis, sacerdotes ordinabat, Curiones visitabat, Synodos habebat Provinciales.*

non Hippolytus Maraccius (a) Carolum *magnarum variarumque virtutum Principem vocans*, illius jejunia in Virginis obsequium commemorat. In Catholica vero fide tuenda ardorem laudat Jo. Antonius Petramellarius (b) in continuatione ad librum Panvinii *de Summis PP &c.*; contra vero illi semel iterumque structas insidias ab Hæreticis narrat. Ut omittamus laudes in eum a Poetis collatas Petro Ronsardo, Michaele Hospitali, Joachimo Bellayo, Adriano Turnebo, Vevræo Divioniensi Consiliario: præterea ab aliis qui huic veluti mœcenati suo opera nuncuparunt, Jacobo Concenatio *in epist. nuncupatoria Quæstionum juris singularium*, Jacobo Carpentario *in ep. ad commentar. in Alcinoi institutionem &c.* Præ ceteris vero de eo fuse Guillelmus Marlot *tom. 2. lib. 4. Metropolis Remensis Historiæ cap. 52. &c.* Non possum tamen hic Nostrorum duos præterire, antiquissimum unum atque ejusdem ætatis hominem; Petrum Ribadeneira, qui in vita Jacobi Laynez (c) Cardinalem vocat *singulari in Ecclesia zelo, pium, atque disertum*; in vita vero S. Ignatii *Cardinalem amplissimum* appellat *summa prudentia antiqua fide, egregia doctrina, singulari eloquentia*: alterum vero recentiorem, sed qui Cardinalis nostri famam

(a) Purpura Mariana pag. 99.
(b) pag. 219. edit. Bonon. a. 1599.
(c) in latina vers. A. Schotti lib. 3. cap. 7.

egregie tueatur, Sfortiam Pallavicinum in Concilii Tridentini Hiſtoria.. Nam cum Sarpius. ſive quivis alius qui Suavis nominis larvam induxit, ſtudium hæreſis extirpandæ in Lotharingo, & Atrebatenſi Epiſcopo ambitionis nomine atque avaritiæ traduxiſſet; quod ad avaritiam pertinet, calumniam in aperto eſſe oſtendit: de ambitione vero ita reſpondet (a) ut bene animadvertat; cum externa actio omnis ſi honeſta, ſit nomini famam gloriamque pariat, atque ideo ambitio creſcere inde poſſit; ſtudium ſive honeſtatis ſolidum laudandumque, ſive gloriæ futile atque inane (quemadmodum Auguſtinus etiam obſervavit, in libris de Civitate Dei) non opere ipſo, ſed animo diſcernitur, cui introſpiciendo hominibus facultas adempta eſt. Quamobrem cui libuerit opera, quorum externa ſpecies honeſtatem præſefert, potius ad ambitionem trahere, quam ad virtutem, certe eum erroris nunquam revincas, livoris tamen malitiæque jure damnabis. Quæ quidem defenſio valet in omnem Cardinalis hujuſce vitam, quam tamen non ex ambitionis ſed honeſtatis præſcripto actam, privatæ illæ quas ſupra deſcripſimus virtutes, pietas, abſtinentia, temperantia aperte demonſtrant. Idem Pallavicinus alibi (b) diluit levitatis cujuſdam maculam

(a) lib. 14. cap. 8.
(b) lib. 24. cap. 8.

culam quam ei inurere Sarpius ex aliorum auctoritate tentavit, quasi vitio illi versum fuerit, quod acclamationes concinere in Concilio Tridentino maluerit. Quam quidem calumniam ab eo intentatam, doleo ab aliis susceptam, objectamque gravissimo viro, præsertim a Spondano (a), qui alioqui, ut vidimus, est ejus virtutum egregius laudator. Pallavicinus vero testatur, se illius temporis monumentis pervolutatis nunquam in hanc communem levitatis opinionem offendisse; quin ex eo comperisse in Carolum laudem plausumque excitatum. Libuit hæc de Lotharingio Cardinali aliquanto fusius persequi, quod ejus in Societatem meritis nihil omnino sit quod non debeamus; cui se patronum præsidiumque fore recepit ipsi Sodalitatis parenti Ignatio, ut Orlandinus narrat (b), stetitque abunde promissis, tentatamque malevolorum aut Hæreticorum invidia egregie sustentavit. Quare & columen illum fuisse rebus Sodalitatis in Gallia afflictis, Nostri libenti animo professi sunt, & iniquiores nobis homines doluerunt, ut vel in Thuano videre licet qui (c) de Societatis origine & turbis in Gallia adversus illam excitatis differens, eam & commendatione Caroli, (cujus nomen diplomati apposi-

(a) ad a. 1563. n. 65.
(b) part. 1. Hist. S. I. lib. 10. num. 108.
(c) lib. 37. n. 8.

positum est) ab Henrico II. receptam in regnum narrat a. 1550., & Francisci II. tempore Guisianos ait impense novo huic Sodalitio favisse; atque *instigante Cardinali Lotharingo* diplomate dato VII. Kal. Maji a. 1560. *Curiæ mandatum, ut nulla habita Theologorum Parisiensium, & Episcopi ipsius intercessionis ratione, tam Pontificia quam Regia diplomata in Societatis gratiam facta promulgaret.*

VII. Sed rerum nostrarum statum, qui tunc esset Parisiis, ad Perpiniani orationem intelligendam juvabit hic breviter exponere, & turbarum causam, ex Historicis nostris Nicolao Orlandino & Francisco Sacchino, quorum probitas fidesque abunde est clarissimorum virorum judicio laudata. Atque ut narrationem paulo altius, uti necesse est, repetamus; cum de Collegio Romano supra dissereremus docuimus, Lutetiam Parisiorum celebratam ab adolescentibus iis qui se Ignatio adjunxerant Societatique ab eo institutæ nomen dederant, ut litteris erudirentur (a). Hoc primum rudimentum Collegiorum fuit. Hi tamen proprias ædes non habebant, sed in Longobardorum collegio recepti. Quadriennio post; idest a. 1544. exorto bello consilium captum est tantisper Parisiis discedere & secedere Lugdu-

(a) Orlandin. P. 1. Histor. lib. 2. num. 96.

Lugdunum (*a*). Poſtea Crepinii pace inter Franciſcum Regem & Cæſarem conſtituta priſtinas Lutetiæ ſedesSocii repetiverunt. Sed cum ea habitandi ratio religioſis inſtitutis minime eſſet accomodata (*b*),Guillelmus a Prato Claromontanus Antiſtes domũ ſubminiſtravit, & annuos reditus ultro deſponderat. Domicilii tamen adiri poſſeſſio non poterat, quod Societas jus *naturalitatis* ut vocant non haberet, Galliæ legibus impetrandum a Rege. Hoc Cardinalis Guiſanus de quo modo diximus impetravit (*c*); ejuſque beneficio Societati facta poteſtas Collegii fundandi: in quo quidem beneficio præſtando mirificam ipſe conſtantiam, induſtriam, ſtudium adhibuit. Cum enim hujuſmodi beneficium conſignari de more ſine publici conſilii auctoritate conſenſuque non poſſet, id ille impetravit, ut ab interiore illo ſecretoque Concilio quod privatum nominant, ſubſcriberetur; & Cancellarii Galli ſigno, ſine quo privilegium illud minimum virium momentique habuiſſet obſignaretur. Verum, ut plerumque accidit, vel rei novitate vel invidia excitari odia malevolorum: ita (*d*) Societati hoc tempore Pariſiis contigit; ubi non privatis tantum voculis

(*a*) lib.4. num. 119.
(*b*) lib. 9. num. 56. l. 10, num.108.
(*c*) lib.11. num. 47.
(*d*) lib.10. num. 106.

& contumeliis res continebatur, sed ex ipso sacro suggestu fuit qui graviter in illam inveheretur, quasi id sibi nomen arrogaret, quod cum Christianis omnibus erat commune: hortatusque est orator auditores suos ut ab ejus usu & consuetudine longe abhorrerent. Id tolerabile fuisset, nisi multo vehementior tempestas oborta esset (a). Cum enim oporteret, quò vim suam privilegium obtineret, ut ab eo quoque Senatu probaretur, cujus est a Galliæ legibus recognoscere atque in acta referre quæ in regio sunt decreta & approbata Concilio; malevolorum invidia atque auctoritate factum est, ut præ aliis, qui impense nobis favebant, adversantium multitudo superaret. Tandem Senatus, cum, Carolo Cardinali Lotharingio patrocinante (b), alterum super hac re jussum Henricus Rex dedisset, ut eam ab se sive curam, sive invidiam amoveret; cognitionem morum Societatis institutorumque, & Pontificiorum quibus probabatur diplomatum Sorbonicis Magistris & Episcopo delegavit. Ex quibus Episcopus adversarium se nobis sine dissimulatione profitebatur, concessas Societati immunitates, & alia beneficia Apostolicæ benignitate Sedis negans potuisse concedi, ut quæ Hierarchiæ solvendæ essent; e Sorbonicis vero

(a) lib. 11. num. 47.
(b) lib. 13. num. 33.

ro Theologiæ Magiſtris plures erant qui novas Religioſorum diſciplinas omnino ſine exceptione damnarent. Ita malum tumebat Parisiis donec erupit tandem; foraſque emiſſum eſt decretum quoddam Sorbonicum contra Societatis inſtituta longe graviſſimum (*a*). Hoc Kal. Decembr. A. MDLIV. factum, noſtris ſignificatum eſt anno inſequenti. Illud recitat Bulæus Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis *tom.6. pag.572.* & multi præterea alii. Dolemus autem, quod in rebus pleriſque noſtris evenit, quæcumque invidiam Societati concitare aliquam poſſint, ea proponi palam ab omnibus, non item quæ ad eam amovendam valent. Nam ita decrevit tum illuſtris ceteroquin Academia, quemadmodum decreviſſe olim accepimus de venerando Prædicatorum ordine; ut eadem ferme conditio videri poſſit atque utriuſque calamitas; jactatæ nimirum virtutis, innocentiæque damnatæ, incognita cauſa. Cum enim eo ipſo anno per autumnum Cardinalis Lotharingius Romam veniſſet, Doctoreſque cum eo Sorbonici aliquot, viſum eſt ſanctiſſimo Societatis parenti Ignatio hos coram planius edocendos. Itaque apud Cardinalem certo die conventus inſtitutus, in quo adfuit inter alios is qui ſingularum decreti partium inventor ac ſuaſor fuerat; cumque omnia tueri conaretur, ita So-

(*a*) l. 14. num. 51.

cii probarunt eorum causam, atque Pontificis, ut Lotharingius gravi oratione pronuntiarit, male cognitam illam habuisse Theologos; fecisseque permodeste Ignatium ac peramanter, quod eorum placitum neque ad Cardinales neque ad Pontificem detulisset: quod ipsum nec gravate agnovere ceteri Sorbonici Doctores, & ille ipse decreti suasor non potuit infitiari. Disputatio vero ipsa scripto explicata deinde est a Martino Olavio, eamque Orlandinus (*a*) relato Sorbonæ decreto subjecit, additque (*b*) satis uberem explicationem causarum quibusSocietas sæpe exagitatur. Nos id solum ex eodem (*c*) hic afferimus, *non magis dolere Societatem posse quod incognita causa damnata sit, quam ipsi doctores irasci, quod falsa rerum narratione tam graviter eis causæ cognitores illuserint*. Quod agnovisse se palam professi sunt cum quadragesimo post anno in gravissimis temporibus procellisque quibus in eo regno Societas jactabatur, pronuntiavit Facultas Theologica, retinendam eam esse in Gallia. *Tantum aberat*, ut cum eodem Historico nostro loquar, *ut jam prioris sententiæ, qua perniciosam pronuntiaverat, meminisset* (*d*). Itaque posteriori beneficio non solum sibi Societatem devinxit, sed in illis ipsis tenebris non defuerunt, quibus multum deberet;

(*a*) lib. 15. n. 46. (*b*) Ibid. n. 34. (*c*) n. 39.
(*d*) Ibid. n. 62.

beret; cum nonnulli decreto nomen ſubſignare ſuum abnuerint, alii anceps ſuffragium, veluti re nondum comperta, dederint. Extitit vero egregia ac ſingularis quædam laudati Guillielmi a Prato Claromontani Antiſtitis pietas, iſque tum fuit in Societatem ſenſus, ut quò magis jactari eam oppugnarique cerneret, hòc arctius ipſe libentiuſque complecteretur. Rex vero ipſe Henricus profeſſus, ſe & Cardinalem Lotharingium, quibus pæne ſolis Societatis patrocinium relictum fuerat, id nunquam deſerturos. Quin etiam in cœtu procerum e præcipuo flore Galliæ (a), Jeſuitarum orta mentione, cum interrogaſſet ſingulos de novo illo hominum genere quid ſentirent, neque inter reliquos, vitæ innocentiam, vel ſtudium propagandæ religionis, vel doctrinæ famam memorantes, defuiſſet unus qui egregios virtutis ſimulatores & hypocritas videri ſibi reſponderet, gravi Rex vultu; *Fabor & ipſe quid ſentiam*, inquit, *næ iſti viri egregii probique ſunt; vitam Apoſtolicam vivunt; ac fructus, quemadmodum recte compertum habeo, ferunt præclaros toto orbe terrarum*. Verum brevi viduata his præſidiis Societas eſt, Rege extincto eo infelici miſeroque caſu qui omnium animos commovit. Nec multo poſt Franciſcus, qui ei ſucceſſerat, regio animo multaque virtute adoleſcens, & Societati ipſe quo-

(b) Sacchinus P. 2. Hiſt. l. 3. n. 66.

quoque impense favens, decessit. Hic (a) unas, alteras, ac tertias litteras dederat, quibus a se admitti in Gallias Societatem testatus Senatui Parisiensi mandabat, ut eam ipse quoque suo rite Concilio amplecteretur: cumque nihilominus obstitisset Senatus, aliquid semper excogitans novi unde jussum Regis frustraretur, atque in primis decretum illud Sorbonicum quasi scopulum quemdam objiciens; quartas ille litteras adjecit, quibus decretum Sorbonicum & quæcumque objecta fuerant refellens, testansque rem a se diligenter perspectam & cognitam, ut sine cunctatione obsequerentur imperabat. Obiit tamen, re nondum confecta, cumque adhuc Societas velut in salo, sic studiorum Senatûs fluctibus jactaretur: nam hic, quoniam Eustachium Bellajum Parisiensem Antistitem nobis infensum noverat, consultum fecerat, quo ei cognitio causæ permitteretur. Aliud vulnus accessit eodem anno (is erat R. S. MDLX.) Claromontani Antistis morte: nimirum viri, ut eum merito Sacchinus (b) vocat, *in omnes partes optimi ac memoria digni, & a Deo collocandæ educandæque Societati in Galliis dati*. Hic testamento cum pauperes Claromontanos eorumque hospitalem domum hæredes scripsisset, donata olim Parisiensi Colle-

(a) l. 4. num. 86.
(b) lib. 4. num. 91.

Collegio & Billomensi confirmavit, & utrobique ad ædificationem domus ac templi certam addixit pecuniam. Verum testamenti procuratores (*a*), quod Societas nondum recepta in Gallia ad jura civium esset, negabant posse ad eam legata pervenire. Quod eo confidentius faciebant, quod, ut diximus, Franciscus Rex obierat Societatis perstudiosus. Sed tantis incommodis afflictis Sociis, atque humanis ablatis præsidiis ad cælestem opem confugientibus, Deus subsidio fuit. Successit Regi Francisco Carolus ejus frater hoc nomine rex IX. Hic litteras dedit ad Lutetianum Senatum quibus acta a Francisco comprobavit, simulque imperavit ut Societatem in regnum admitteret. Cum vero Senatus nihil expediret, iterum litteras, virumque nobilem dedit cum mandatis, ut Senatus vel omnino recipiat Societatem, vel intra XV. dies causas exprimat, quo minus recipiendam censeat. Non semel actum super hac re in Senatu est, ubi semper decretum illud Sorbonicum allatum. Auditus etiam e Nostris unus ita Senatui fecit satis, ut diceret quærendum ex auctoribus decreti ejus quid ita censuissent. Fuere etiam ex ipsis Senatoribus qui sumpto animo aperte professi sunt, se constitutionibus Societatis, diplomatisque Pontificum quibus ea confirmata & ornata est perspe-

(*a*) lib. 5. num. 191.

ſpectis, comperiſſe, vanum omnino eſſe ac falſum id quod in eo decreto huic Ordini imponeretur. Tandem Senatus ita rem compoſuit ut admittendæSocietatis negotium in futurum conventum Ordinum ſeu Statuum, ut ipſi appellant, vel provinciale Concilium rejiceret; hanc vero rem nihil velle officere pronunciaret quo minus interea Societas legatis ab Antiſtite Claromontano frueretur. Haud multo poſt celebris ille conventus Poiſiacus celebratur, in quo conventu Societas recepta eſt (a). His rebus docendi poteſtas Societati permiſſa, & ſcholis neceſſarius apparatus inſtitui cœptus; quem tamen peſtilentia, quæ A. MDLXII. Pariſios invaſit aliquantum turbavit. Tandem biennio poſt initium docendi factum (b) a Joanne Maldonato & Franciſco Vanega magna audientia; cum alter haud multo minus trecentis, Maldonatus plures etiam diſcipulos numeraret. Auditorum vero frequentiæ additus procerum favor; quorum opera ſupremus Senatus id ceteris adnumeravit Collegiis, Rex immune apendendis vectigalibus fecit. Academiæ tamen animus neutiquam adverſus nos commutatus: novæ ſemper controverſiæ excitatæ (c), quæ uſque ad autumnum crebras inter dimicatiunculas tractæ tum

(a) lib. 5. num. 198.
(b) lib. 8. num. 78.
(c) num. 89.

tum demum foras, tota velut acie prodierunt. Jam additis ad Maldonatum & Vanegam Magistris duobus, quorum alter Porphyrianam Isagogen, alter Græcas litteras & Orationes Tullii egregia facultate explicabat, ab auditoribus amplius mille, iisque adultis omnibus, ingenioque præstantibus Collegium celebrabatur. Ergo felicem novi gymnasii progressum cum Academiæ ordines gravate ferrent, dederunt in primis operam, ut Sorbonæ Prior, qualem ipsi optabant, præficeretur. Is ad Rectorem Academiæ & designatos quosdam, jussit adesse Nostros, quaque potestate Societas publice doceret profiteri. Cum prolatum esset quod quærebant, nihilominus Academiæ Rector interdixit ne ultra Sodales docerent. Cui edicto, etsi nulla esset parendi necessitas tamen, ne forte novarum calumniarum causa arriperetur, obtemperandum Nostri censuerunt, & tantisper scholis abstinendum. Id vero simul primum Auditores persenserunt, gravissime indignati libellos in multis per urbem affigunt locis, quibus se invicem adhortabantur, & ad certum locum ciebant, consultaturi, quid consilii capere ipsos deceret. Res haud dubie ad seditionem & tumultum spectabat. Itaque Nostri, ne si quid eveniret, Societati, reique publicæ damno fraudique esset, unum ex iis libellis ad regios administros raptim deferunt, quoque loco res sint, exponunt. Illi consuetum edi scho-

ſcholarum ſignum & doceri de more juſſerunt. Quod factum cum eſſet, haud quaquam ſedati illico auditorum ſunt animi: quin adeo jactabant, ſe tamen velle rem totam cognoſcere, & injuriam ut vocabant ulciſci. Verum Præceptorum prudenti allocutione piiſque monitis impetratum eſt ut quieſcerent. Illis quieſcentibus, haud multis intermiſſis diebus Academici rem de integro vel agunt vel agi ſimulant, adſciſcendum necne eſſet in Academiæ corpus Collegium Claromontanum. Hæc, ita uti a me narrata ſunt Sacchinus (a), qui rem ita proſequitur: *Dictis in Academia pro more ſententiis, Juris Pontificii Doctores omnino faverunt. Sorbonici & pars Philoſophorum rem ad certorum hominum qui deſignarentur arbitrium rejecere. Medicorum natio, quorum maximam partem ægra Religio, atque (ut leviſſime dicam) ab Hugonottis minime abhorrens habebatur, pugnaciſſime contra ſtetit: nec modo non in Academiam recipiendos, ſed omnino extrudendos Lutetia Jeſuitas contendit. Ita Rector qui item medicorum e cuneo erat, præciſe eos ab Academia excluſit. Qui Medicorum in Societatem animus, non diſciplinæ, ſed tempori tribuendus eſt, quia tum Pariſiis ut dixi, ita evenit, ut plerique eorum religione dubia eſſent.* Neque hoc ſatis fuit Academicis,

(a) Lib. 8. num. 91.

micis, ſed quod nuper incœptarant (a) anno inſequenti, nimirum MDLXV. enixe adurgentes, rem ad Senatum Regium deferunt & ad cauſam ibi dicendam Patres accerſunt. Placet hic quoque Hiſtorici noſtri verba proferre: *Erat*, inquit, *tum noſtrarum ſtatus rerum Pariſiis, qualis eſt naſcentis diei, cum lux exoriens haud dum plene e tenebris explicata, umbras jacit longiſſimas. Obſcuritate adhuc, ut in principio, & inter Hæreticorum mendacia involuta Lutetiæ Societas, non nullum jam incipiebat, doctrina præſertim fulgorem ſpargere. Is in homines vel pravos, vel rerum ignaros incidens, quam maximas inanium ſuſpicionum, formidinum, invidiæ creabat umbras. Inde factum nullum prope ut hominum genus fuerit, quod non contra modicam illam novi Collegii albeſcentem lucem cooriretur. Nec mihi dubium eſt quin multi errore, ſtudioque ducerentur. Adde quod præcipui inter Adverſarios Hugonotti Caſtellionio duce, aliique vel dubiæ fidei mortales, vel ad ſua, publicorum incurioſi, plus æquo attenti compendia, id agebant, ut quos quaque ratione poſſent, alios alia ſimulatione ac ſpecie, ad intendendam ſimul litem ſollicitarent, quod ex æquitate deſperabant, factionibus extorturi. Petrus Ramus, & Galandius, ille apertus hæreticus, hic ſuſpectus, principes habebantur: fave-*

(a) Sacchinus P. 3. Hiſt. lib. 1. num. 8.

favebant etiam tempora per absentiam Regis Reginæque matris; cumque iis, procerum quoque illorum qui patrocinium commodare causæ nostræ solebant. Itaque ad IV. Kal. April., quo die primum agitata est in Senatu causa, contra disceptantium, & opibus & lingua pollentium ingens stetit agmen. Non Paschasius modo aderat, qui velut agminis ductor, Academiæ depugnavit nomine; sed & alius qui partes Episcopi tuebatur. Ad hæc Magistratus civium, quem & Præpositum mercatorum, seu Tribunum plebis appellant, munus in ea urbe peramplum, oratorem suum addiderat. Denique Pastorum alius & Curionum patronus; alius pro Mendicantium ordinibus impleverant Curiam. Adversus hanc numerosam & potentem aciem unus pro Societate stabat Petrus Versoris, ut facultate fideque & cura nulli adversariorum impar; nam inter doctissimos religiosissimus habebatur, ita bonitate causæ facile cunctis superior. Deinde Sacchinus (a) Paschasii primum, deinde Versorii oratione narrata, hæc subdit: *Ubi ille* (Petrus Versoris) *finem loquendi fecit, Advocatus regius, homo ancipiti religione, cum ab exordio speciem præbuisset Societatis causæ faventis collaudato utriusque disceptatorum ingenio, & dicendi genere, tandem ad criminandum erupit; quod Versorium, & ceteros Advocatos magnopere perculit, existimantes*

(a) Ibid. num. 16.

mantes in ea dictione verti rei summam. Quippe ea est regii Advocati in Senatu Parisiensi auctoritas; ut quamvis judex ipse non sit, tamen judicum sententiæ fere semper in eam ferantur partem, in quam sententia ejus inclinat. Exagitato nomine Societatis (*quod cuique contradicentium solemne erat*) *adjecit, haud negligendum illud in causa videri sibi, quod peregrini inducerentur, qui exortis bellis, in ipso Reip. insidentes gremio, litteris suis Regem prodere ac regnum possent. Super hæc cum Gallicana Respublica non admodum abundet pecunia; si cui veniat in mentem, infinitam auri vim (nam pietati hominum modus statui nequit) Jesuitis largiri; verendum esse, ne alienas in oras regni nervos transferrent. Inde conversus ad pauperes Parisienses (quamquam, perinde ut Judæ Iscarioti, dicebant boni, pauperes ei curæ esse) cum tanta sit multitudo eorum in hospitiis & religiosis tectis; jure metuendum ajebat, ne advenis exsaturatis, cives destituti perirent. Videre se præterea imminentem Academiæ pestem, perverti statum Reip., docendi novas rationes iniri, veteres negligi; ut sumus omnes appetentissimi novitatis. Nihil autem periculosius in bene moratis Civitatibus mutatione legum ac morum veterum esse. Hæc vociferabatur, cui nihil pensi erat, veterem Christi disciplinam, legesque sanctissimas perverti novis deliramentis: scilicet de Academia Parisiensi sollicitus, de Ecclesia Dei securus.*

Addebat eò certiora se hæc mala prospicere; quod penes Academiam potestas non esset Jesuitarum conatus interrumpendi, cum a Papa ipso regantur, qui Academicis legibus constringi nequeat. Observantiam se profiteri ac deferre Pontifici: sed eam liberalem, ut filium, non servilem, uti mancipium, quo minus pro Reip. suæ commodis constanter liceat, libereque decertare. Minime negare se Jesuitis esse literarum varietatem, & scientiam; nequaquam tamen Sorbonam, quasi jam senio effetam, abjici, aut deprimi oportere. Si redintegranda sit Academiæ disciplina, revocandam esse ad pristinos mores per viros prudentes & graves, qui vetera norint instituta, non accersendos nescio unde homines novos. Hæc Advocatus regius cum dixisset, & causa quam ita impugnasset, pro auctoritate qua is pollet, deplorata haberetur (ut sunt divinæ providentiæ prorsus admirabiles viæ) inde plane salus, unde exitium timebatur, affulsit. Qui aderant in Curia Religionis integræ Senatores, iis tam desperati capitis visa illa oratio est, argumenta tum vana ac futilia, sed malitiose collecta, ac turbulenter ad invidiam detorta, ut non obscure animadverterint, quo ex fonte tam acerba insectatio oriretur. Profecto non de uno Parisiensi Collegio, sed de Societate e toto Galliæ regno exturbanda agi, deque auctoritate summi Pontificis, & Religione Catholica penitus proculcanda per speciosum illum regni tuendi

di

di titulum, per quem olim Christum Dominum Judæi crucifixissent. Hæc itaque Senatores Catholici attentare cum intelligerent, eò sibi patrocinium Collegii suscipiendum enixius statuerunt; nec permittendum, ut nomine umbraque Academiæ ab Catholicæ Religionis hostibus vexaretur. Verum cum adeo turbulento rerum statu non auderent decidere causam; ad declinandam invidiæ molem, atque Hæreticorum, qui supra quam credi posset Jesuitas optabant perditos, furorem a se avertendum, ex tempore ipso sperantes affore medicinam, pronuntiant: Claromontani Collegæ docere pergant, ad Regium paucorum Concilium causam rejici. *Quæ formula non solum eò adjudicabat Collegio causam, quod nihil mutabat, sed etiam quod raro aliud in concilio illo decernitur.* Hactenus Sacchinus: ex quo præterea cognoscere licet, Adversarios spe dejectos, causæ unquam per aliquā juris speciem obtinendæ, demoliri funditus Claromontanum Collegium, Jesuitasque in eo ad unum contrucidare omnes constituisse. Quod consilium quamquam ad finem non venit, Sodales tamen misere vexarunt; cum sæpius conati essent homines facinorosi domum irrumpere, cum vitreas fenestras lapidibus & sclopetis perfregerint: in quo illud fuit mirabile, quod pictam in iis Crucifixi imaginem ad quam maxime collimabant, nunquam potuerint attingere. Ad hæc incedentes per urbem Nostros, vel e fenestris sordibus

dejectis operuerunt, vel appetiverunt lapidibus: in declamationibus fabulisque, revocata veteris comœdiæ licentia, introductis etiam eorum personis, habuere ludibrio. Quæ & id genus alia cum illi constantes perferrent, celebratur interea Claromontanum Collegium (*a*) majori in dies frequentia auditorum; præsertim Maldonatus Theologicam scholam exorsus trecentos numerabat; atque hæc erat opinio, numerum duplicatum iri, si locus satis pateret. Jam & advenis Jesuitarum Collegium inter prima monstrari: viros quoque doctos, licet mutato sæpe habitu, auditorum inserere sese turbæ, notantes, scriptoque diligenter excipientes quicquid ad oculos, quidquid ad aures accideret dignum adnotatu: cœpti præterea convictores, parentibus flagitantibus in disciplinam admitti. Itaque magnum famæ ac nominis incrementum factum, quietis nonnihil a violentioribus turbis concessum. Magnam partem id debuimus Possevini nostri curæ atque industriæ. Nam cum de Societatis causa consilium Rex haberet essetque introductus Possevinus, Apostolicæ Sedis litteras, novissimum Tridentini Concilii de Societate judicium attulit; quasque res aut in Indiis aut in ipsa Gallia Sodales egissent commemoravit. Litteræ igitur ad Senatum Parisiensem decretæ ut Societatis quieti

(*a*) lib. 1. num. 84.

quieti tranquillitatique consuleret. Suas Regina mater & Principum alii ad Senatum eumdem, ad Episcopum & Gubernatorem Parisiensem adjecere. Accessit Pii IV. Regi Christianissimo commendatio in hæc verba (*a*). *Ad aures nostras pervenit, Collegium Parisiense S. J. magnis affici cœpisse molestiis, & variis vexationibus impediri, quominus, sicut cœperat, inservire saluti animarum & vacare juventuti doctrina Catholica, & pietate ac bonis litteris atque artibus imbuendæ atque erudiendæ possit. Id accidit nimirum humani generis hostis instinctu, qui consuevit illis adversari, seque opponere, quos bonis operibus videt esse intentos; & Dei servos quò fidelius officio suo funguntur, eò acrius insectari. Sed id non laturam Majestatem tuam esse scimus, ubi edocta fuerit de ejus Societatis meritis. Nihil enim æque Christianissimum Regem decet, ac religiosos viros, & Dei honori inservientes tueri, & ab injuriis defendere. Eam igitur Societatem sciat Majestas tua, propter pia & laudabilia sua instituta, & ab Apostolica Sede confirmatam, & nuper a sacro œcumenico Tridentino Concilio approbatam fuisse. Cujus Societatis propter uberes fructus, quos Dei Eccesiæ his tam turbulentis temporibus attulit, non in Italia modo, in Hispaniæ ac Lusitaniæ Regnis; sed in ipsius etiam Germaniæ multis locis, & in urbe regia*

(*a*) Apud Sacchinum P. 3. l. 1. num. 19.

regia Bohemiæ Praga, ejusdem Societatis, Catholicorum cura, & studio, Collegia instituta fuerint: quæ constat, Deo juvante, multum in reprimendis hæresibus, hæreticisque ipsis ad unitatem Ecclesiæ reducendis profecisse. In hac quidem alma Urbe nos præcipue Collegii, quod hic est. opera utimur, quam fidelem & utilem admodum experimur, quascumque in partes orbis terrarum evenit ut ejus Collegii Præsbyteros divini obsequii causa mittamus: atque etiam ejusdem Collegii fidei regiminique, de Fratrum nostrorum consilio nuper commisimus Seminarium, quod ex sacri Concilii decreto instituendum curavimus. Hoc eò Majestati tuæ referimus, ut ipsa quoque, pro suo in Catholicam Religionem, piosque viros studio, Collegia Societatis in regno suo sibi diligenter tuenda & fovenda esse intelligat. Sed cum reliqua pietati tuæ studiose commendamus; tum præcipue ipsum Parisiense Collegium; eam vehementer hortantes ut provideat curetque ut id ab Hæreticorum obtrectatorumque injuriis, vexationibusque diligenter defendatur. Qua in re Dei honori, & suæ, & regiæ illius civitatis existimationi consulet: experieturque in dies magis, sicut confidimus, quantopere expedierit id in ea Civitate Collegium institui.
His ergo litteris &commendatione, tametsi nequaquam est transacta causa, quies tamen Parisiensibus Sociis est parta, Collegiique incrementa nullo impediente procedere satis feliciter

liciter cœperunt. Quin Academia, quam intenderat litem, ultro consenescere patiebatur (*a*): eò magis, quod jam Theologorum ordo, cum recusasset quibusdam contra Societatem litteris subscribere, aperte significarat, tandem se in eam venisse sententiam, ut expedire censeret Reip., Jesuitas & esse & docere Parisiis. Nihilominus adversarii non destitere A. MDLXVI., dum ab aperta oppugnatione cessant, quasi furtim cuniculos agere, falsis criminibus apud principes viros serendis. Adeundus iterum Sacchinus (*b*), qui rem ita describit: *Anna Momorantius Comestabilis seu magnus Equitum Magister, & ejus filius secundo loco genitus Princeps Anvillanus sub ferias Paschales Lutetiam cum venissent, continuo ad Comestabilem Gallandius Academiæ Rector accessit, opem rogans ad Jesuitas exterminandos, quos longa oratione conabatur Academiæ pestem ostendere. Deinde cum Prætor quæstionum inter sicarios (causas criminales vocant) cognito, e quibusdam gymnasiis prodire noctu, & turbulenter per urbem vagari juvenes, Rectorem ea de re admoneret; Rector ac Petrus Ramus haud cunctanter responderunt, fontem mali Jesuitas esse. Quippe cum ad eos licentiæ causa plurimi accurrerent, neminem regentium posse continere in officio suos.*

(*a*) lib. 2. num. 57.
(*b*) num. 58.

suos. Quidquid enim severitatis adhiberetur, statim se migraturos ad Jesuitas interminari. Verum hæ quoque criminationes, patrocinante Providentia, ad illustrandam magis innocentium industriam, quam ad obscurandam famam valuerunt. Namque Anvillanus, qui forte præsens intererat; post egregie Societatem apud parentem defensam, & Quæsitor ipse obtrectatores gravi oratione increpitos silere jusserunt, nec criminari sed imitari Jesuitarum institutionem. Et Comestabilis, cum ad eum Patres, Anvillani monitu purgaturi calumnias adivissent, in hunc eos modum affatus est: Nequaquam me fugit, quam multa Societas vestra in Gallia perpessa sit, postquam præsertim dissidium in Religione publice factum est. Ceterum vos æquiore hæc animo ferre debetis, quod sunt vobis cum optimis quibusque communia. Ac recordamini, quicumque in Ecclesia Dei magnum aliquid moliti sunt, magnas etiam, uti vos, difficultates expertos esse. Quod si qua simplicitate, quaque pietate cœpistis Ecclesiæ Dei prodesse reique publicæ pergatis; nihil est quod vobis magnopere timendum sit: istis enim præsidii tuti eritis. Quod attinet ad me, operam meam nullo unquam loco desiderabitis.
Nihil ille eo anno habet præterea de Parisiensibus contra nos turbis. Bulæus (*a*) refert cum die 23. Junii Rector suffectus esset Jacobus Mar-

(*a*) tom. 6. pag. 653.

Martinus, die 24. Julii habita esse comitia, atque inter cetera capita actum *de Jesuitis, quibus Claromontanus Episcopus testamento multa legaverat, decretumque ut illi testamentum exhiberent; vocatos autem die 28. promisisse se exhibituros*. De iisdem præterea actum die 21. Augusti & die 16. Decembris cum novus Rector Academiæ creatus esset Margarinus de la Bigne: atque aliis consecutis diebus: ac tandem 11. Januarii *probibitum scholasticis audire lectiones Jesuitarum, eorumque scholas frequentare*.

VIII. Verum hæc ultra id tempus excurrunt quod quærimus. Discere ergo licet a Perpiniano expostulationes instauratas in Nostros, auctore Gallandio, nomenque delatum ad Carolum Lotharingum. Accusationis capita Perpinianus post ipsius Cardinalis laudes & fiduciam in ejus æquitate ac benevolentia in Societatem demonstratam, enumerat v., scribens *pag.* 458. *Nos peregrinos esse & barbaros dicunt, seditiosos vocant, negant Academiæ institutis Rectorisque jussis velle parere; quosvis etiam nulla religione homines ad scholas nostras admitti dictitant; postremo depravari a nobis ajunt & corrumpi adolescentes.* Horum capitum primum diligentius refutandum sumit; quod nimirum vulgo contra nos jactaretur. Curiones Parisienses in scripto quodam quod Bulæus refert *pag.* 644 *Est considerable que quand, ores ils disent que ce n'est*

que College, ils ne peuuent estre tolerez; par ce que seroit receuoir & introduire en France une maison & College d'estrangers. Du Mesnilius in oratione adversus nos habita (*ibid. pag.* 642.) *Que contre les Constitutions de France au peril de ce Royaume l'on n'admette des estrangers de Religion non approuuée &c.* Carolus Molinæus *in Consilio super commodis vel incommodis novæ sectæ seu factitiæ Religionis Jesuitarum* (*oper. tom.* 5. *pag.* 445.) ubi dixit rejiciendos Jesuitas quod novam Religionem instituant *contra antiquos Canones etiam Conciliares. Secundo*, inquit, *& nominatim; hoc est contra Arresta supremi Parisiorum Senatus, quibus præfati Jesuitæ jam non semel repulsi sunt, non solum ut ignoti, sed etiam ut peregrini*. Addit vergere in magnum periculum regni, *nempe detegendorum & revelandorum passim secretorum exteris*. Huic criminationi Perpinianus ita respondet, ut primo neget in peregrinorum numero habendos eo tempore apud Gallos, Hispanos; Regibus eorum affinitate conjunctis. Deinde multos præterea esse in ea Academia Doctores, homines externos & pereginos; numeratque in his Franciscum Vicomercatum quem laudat *studiis Philosophiæ florentem*, Bartholomæum Latomum *Rhetorem egregium*, Antonium Pinum *eximium artis oratoriæ doctorem*; præcipue vero commemorat Galandios. Fuit Vicomercatus Mediolanensis ex Honuphrio de Vicomerca-

to

to Mediolani Decurione natus a. 1474. & primum Lutetiæ, deinde Taurini Philosophiam docuit; ad quem Joannes Guinterius in epistola nuncupatoria libri sui Aphorismorum Hippocratis; *Quem laborem tibi vir excellentissime, nominatim appendere visum est, qui tum veterem tum novam percalleas medicinam, qui in Mathematicis, altioribusque disciplinis nulli Italorum, Gallorum cedas, denique qui tanta curandis ægros dexteritate, & methodo polleas, ut omnibus facile medium, quod ajunt, unguem ostendas. Hac enim ratione Galliarum Reginæ Illustrissimæ Medicus es creatus, ac in gravioribus Principum morbis ubique accersitus, hac te Galli amant, Itali venerantur, utrique expetunt &c.* Eumdem veluti hominem *Græce & Latine scientem* laudat Bulæus *tom. 6. Histor Universit. in catalogo illustrium Academicorum*, atque ex Academiis Italis in Parisiensem translatum, adoptatum ait die 33. Aug. 1540. a natione Gallicana; ab Henrico II. primum omnium professorem regium in Philosophia Græca, & Latina constitutum, eamdem professum annis 8. aut 9. Obiit Franciscus hic (nam alter Franciscus de Vicomercato floruit ab a. 1429. ad 1449.) a. 1570. De eo Morigia *l. 3. nobilit. cap. 9.* Hieronymus Borserius in *supplemento cap. 11.* Jo. Baptista Salvaticus in *Collegio Medicorum Mediolanensium*, Philippus Piccinelllus in *Athenæo*; ac novissime Philippus Argelatus *tom. 2. Biblioth.*

Scriptor. Mediolan. Bartholomæus Latomus natus est a. 1485. Arluni quod Ducatus Luxemburgii oppidum est. Primum Treveris, deinde in Ubiis Rhetorem egit; post Friburgi fuit Collegii Philosophici moderator; demum Lutetiæ primus Eloquentiæ professor regius constitutus a. 1534., ut Bulæus narrat, perstititque Parisiis ad a. 1541. nam eo anno Ratisbonensi colloquio interfuit: *moritur octogenario major Confluentiæ circa annum* 1566. inquit Valerius Andræas Desselius in Bibliotheca Belgica; eumdemque annum habet Franciscus Svvertius in *Athenis Belgicis* atque ex eo Freherus. Quare Perpinianus dum Lutetiæ floruisse indicat non illum annum sed tempus paullo antiquius indicasse putandus est. Antonius Pinus Portodomeus regiis Joannis III. Lusitaniæ Regis impensis Parisiis sustentatus ut litteris operam daret, ut ipse in præfatione *ad Scholia in Quintiliani librum* 3. testatur, postea ibidem oratoriam artem docuit: demum eum ad Episcopatum evectum se audivisse Andreas Schottus in Bibliotheca *tom. 3. pag.* 476. narrat, atque ex eodem Nicolaus Antonius (*a*). Laudat hunc præterea Matamorus *de Academiis* sermonem instituens de Conimbricensi, atque eum Bartholomæum vocat, & Aubertus Miræus de Scriptoribus sæculi XVI. Petrum Galandium fuisse Aeriensem

(*a*) Biblioth. Scriptor. Hispan. tom. 1. pag. 120.

ſem Arteſium regium litterarum Latinarum Profeſſorem Lutetiæ, atque ibidem Collegium Boncurtianum inſtauraſſe & annos multos rexiſſe ſcribit Valerius Andreas Deſſelius & Bulæus: obiit Pariſiis a. 1559. Canonicus ad S.Mariam. Turnebus, qui eum mire laudaverat *lib.2. cap.1. Adverſariorum*, poſtea *lib.8. cap.12.* de ejus obitu dolet. Fuit Pariſienſis Academiæ Rector creatus 23. Junii 1543. ut habet Bulæus *tom. 6. Hiſtoriæ pag.*381. & in nomenclatura Rectorum, ubi eum Morinenſem fuiſſe ait, quod pariter ſcribit in *Catalogo*. Sed falſum id eſſe coarguit Perpiniani oratio. Qui ad Comeſtabilem adverſus nos venit fuit Guillelmus Gallandius Rector dictus 24. Martii 1566. Petri fratris filius, ut habet idem Deſſelius, additque *in Boncurtiano Lutetiæ Pariſiorum gymnaſio bonas litteras profeſſum*: obiit a. 1612. Miror itaque hic Petri fratrem appellari. An ipſe, an alii potius errarunt? Nam Perpinianus qui tunc vivebat, hominem ignorare non poterat. Certe alicujus Gallandi qui Petri frater fuerit, & ut ait Noſter, *cum eſſet ipſe peregrinus non ſatis habuerit vivere in Gallia, niſi etiam Galliæ doctiſſimis hominibus imperaret*, neminem meminiſſe comperi. Commemoratione horum omnium qui peregrini fuere, calumniam de peregrinitate depellit Perpinianus, ac deinde digreditur ad antiquum morem civitatum, externos homines re-

recipiendi, præsertim ad docendi munus: instituta etiam commemorat Platonis, præceptumque Hebræis datum *Exodi* 22. *v.* 21. *Advenam non contristabis neque affliges eum*. Item quod Apostolus docet ad Romanos *cap*. 10. *v*. 12. *Non enim est distinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium. Galat*. 3. *v*. 28. *Non est Judæus neque Græcus ... omnes enim vos unum estis in Christo Iesu*. *Colos*. 3. 11. *Ubi non est Gentilis & Iudæus, Barbarus & Scytha, sed omnia & in omnibus Christus*. Concludit *pag*. 462. *Desinant igitur adversarii vociferari nos esse peregrinos; aut si nos hac una de caussa exturbandos esse putant, ejiciant ipsi antea Rectorem suum; damnent instituta non Majorum & sua modo, verum etiam omnium nationum; vocent in judicium omnem vetustatem; tollant e medio & humanam & divinam sapientiam, quæ exteriorum hominum caussam tam luculenta oratione defendit*. Addit, multos esse natione Gallos, quos pellendi e Gallia nulla causa sit. Itaque qui exigendos e regno Nostros velint, aliquid aliud quærere quam patriæ vel utilitatem vel dignitatem.

IX. De barbarie respondet; non debere quicumque extra Galliam nati sunt, eos feros & agrestes existimari. Quod si barbariem dicant, artium inscitiam, quibus homines ad humanitatem informantur; mirum esse sane, doctissimis hominibus negotium facessere homines

mines ingenuarum artium expertes: mirum, tantos fieri concursus ad magistros hebetes & omnium rerum rudes. *An quia* (subjicit Perpinianus) *sensa mentis eloqui non possumus pro dignitate? Ex mea facile judicium fieri potest, qualis aliorum sit oratio, quibuscum non sum ipse multis partibus comparandus. Quod si nec in cultu, nec in doctrina, nec in oratione vel Graeca vel Latina quicquam habent quod possint jure contemnere; quaenam est, quaeso, illa barbaries, quam in hanc urbem a nobis queruntur inferri?* Ita notam hanc ignorantiae, quam barbariem illi dicebant, amovebat eloquentissimus Orator, non verbis tantum aut rationibus sed exemplo suo; quod in medium jure protulit. Erat enim, ut ex iis quae hactenus attulimus videre quivis per se potest, excultissimus non solum hac humaniorum artium disciplina, sed interioribus quibusdam litteris, scientiisque sacris atque civilibus. Qui si nostro hoc tempore viveret, atque in hominum coetibus congressibusque versaretur, & quae de Societatis doctrina invaluit apud nonnullos opinio, audiret, idem opinor multo apertius vehementiusque ageret. Non enim desunt qui hujusmodi barbariem nobis affingant, & praeter Latinas litteras, ac fortasse Graecas, subtilioremque Philosophiam quamdam de schola, nihil nobis relinquant. Quos equidem doleo de nobis adeo iniquam, atque etiam a vero alienam opinio-

 nem

nem habere, rogoque etiam atque etiam ut velint noſtris rebus penitius noſcendis qualemcumque operam ponere; vel etiam eorum hominum qui nunc vivunt aut ætate noſtra vixerunt libros in manus ſumere. Nam & pleroſque iis litteris, quas plurimi faciunt, videbunt non eſſe expertes, & nonnullos ita excellere, ut omnino eas artes auſpicantibus hi tradantur in manus. An vero ulla eſt facultas quæ nunc pluris fiat rerum antiquarum cognitione? At juveni nummariam rem primum attingenti quis Joberti libello qui *nummorum ſcientia* inſcribitur utilior? quis lapidum atque inſcriptionum cognitionem optanti, Antonio Lupo? Ex reconditionibus vero diſciplinis Mathematicæ facile omnium judicio præſtant. At elementa conſcripta ab Andrea Tacquet ipſis Batavis in uſu ſunt, eaque noſtri hominis qui nunc vivit & Mathematicas diſciplinas in hoc Collegio profitetur operâ, auctiora nuper prodierunt. Taceo reliqua, ne locum captaſſe videar laudandæ induſtriæ noſtræ; quam ita profecto omni hominum generi atque omni ætati impendimus, ut commodare magis populis atque urbibus Societas videatur, ſi plurimos habeat mediocri ſcientia homines, qui ſe tamen quòcumque opus eſt convertant, atque omni quaſi ratione populis prodeſſe ſtudeant, quam ſi illos eximia quadam ſingularique doctrina atque excellenti ingenio, bibliothecæ unius aut conclavis anguſtiis, uti id genus viri inſueverunt,

runt, atque etiam necesse est, concludat. Sed a Perpiniani oratione longius aberravimus, de qua tamen vix quicquam superest dicendum. Nam reliqua capita idem brevissime expedit. Ac de seditionibus quidem, ita *pag.465.* respondet ut neget ullum a nobis aut Parisiis, aut aliis in locis reprehendendum ac seditiosum motum extitisse, atque affert vel legatorum exterarum gentium, vel Gallorum ipsorum testimonium. *Pag.466.* contumaciam objectam, quasi recusemus parere jussis Rectoris, crimen ait esse novum, nec in acerba, & summo hominum odio jamdiu incensa accusatione nobis intentatum. *Pag. 457.* quod nullus delectus habeatur ac sine discrimine quivis admittatur ad scholas nostras, non esse id criminis loco objiciendum, cum Rex edictum posuerit, ut liceat cuique vivere ac sentire quemadmodum velit: ipsos accusatores non aliter facere: a nobis vero in eosdem adolescentes quorum plurimi hac maxime ratione ab Hæreticorum castris discedunt plurimum commodi proficisci. Ultimum caput de juvenum corruptela *pag. 468.* ita refellit ut neget omnino vel in doctrina vel in moribus a Nostris proficisci.

X. Hujusmodi est Perpiniani Oratio: in qua tamen postremo loco nonnulla animadvertenda sunt quæ ad Historiam pertinent. Hæc enim quæ ad accusationes nostras & Sorbonicum illud decretum petitionesque Academiæ

miæ factas pertinent, tam varie, tam non diverse sed repugnanter traduntur a Bulæo, Thuano, ac quibusdam præterea aliis, ut lector dubitare de narratione quam supra ex Sacchino protulimus, posse videatur. Jam vero Perpinianus qui ante hos omnes scripsit, qui tum vivebat, qui hæc ad eum scribebat qui edoctus plane fuerat de tota re, cui adversarii erant etiam audiendi 1. negat, quod illi identidem jactant, Sorbonicæ Academiæ nos repugnasse, neque in animum unquam induxisse ut ei pareremus. *Semel*, ait Perpinianus, *pag.466.*, *iterum*, *tertio, datus fuerat nostro nomine libellus Rectori*, *quo in libello profitebamur aperte*, *nos omnibus in rebus quæ ad juventutem recte instituendam pertinerent*, *dicto audientes fore*. *Porro ii libelli asservabantur in capsis*, *erantque in patroni nostri potestate .... libelli illi proferantur*, *recitentur*, *audiantur*; *tum demum si tibi ita videbitur*, *Princeps Illustrissime*, *superbos nos & contumaces existimato*. 2. Quid nobiscum egerit Rector, & quo animo hoc pertulerint auditores, narrat *pag.465. Prohibuerat nos aliquando Rector qui tum erat*, *attingere docendi munus*, *cujus idem fungendi non multo ante nobis fecerat potestatem*. *Indicatum nobis est juventutem armatam ad suum jus obtinendum velle coire*. *Rem continuo detulimus ad Senatum*: *qui & nos*, *ut antea fecissemus*, *docere jussit*, *& ne quis tumultus oriretur*, *sibi curæ fore*

fore recepit. 3. Nostram fuisse causam actam in Senatu, nec tamen destitisse a Nostris exagitandis scribit *pag*.466. *&* 470. *Acta est nostra causa in Senatu contentione tanta, quanta nullam aliam homines actam meminerunt*. Intelligit nimirum tempus illud, cum pro nobis a Versorio, contra nos a Paschasio in Senatu peroratum est. *Quam sit accusatio tota nugatoria, quam prope dicam puerilis, vides. Sunt peregrini, sunt barbari, sunt turbulenti; Academiæ instituta contemnunt; Rectoris jussa pro nihilo putant; nullam rationem habent Religionis, corrumpunt juventutem. Quære de singulis; quam verum quidque sit considera diligenter; mera convitia reperientur: quibus tamen convitiis, P. J., propter nonnullam hominum auctoritatem ita per hosce annos jactati sumus, vix ut domi nostræ tuto consisteremus. Quid ad nos percellendos machinati non sunt etiam ii, qui pro nostro capite sua corpora opponere debuerunt? quam crebræ, quam tumultuosæ coitiones contra nos factæ? quæ non fuit sustinenda nobis iniquitas decernendi? quæ multitudinis concitatæ odia, quæ minæ non subeundæ? Gratia liberatori generis humani D. N. J. C. cujus primum ope divina, deinde Senatus æquitate & opera bonorum adhuc stamus. Quæ præsidia si nobis defuissent, jamdudum oppressi injustæ invidiæ mole cessissemus*. Hæc omnino conveniunt cum iis quæ Historicus noster

noster supra docuit; ut sit illi fides res hujusmodi narranti adjungenda; si qui vero contraria atque his adversa habent, ii vel uno Perpiniani testimonio refellendi. Ceterum vel in ipsa Nostrorum reprehensione laudes ipsis obtrectatoribus exciderunt, vel ea notarunt quæ ipsos damnant; quod videre licet vel in longa illa Stephani Paschasii oratione, in qua non tam de nobis quam de sanctissimo viro Ignatio obloquitur, ut audeat ejus cum Luthero comparationem instituere; atque affirmare, non minus ipsum, quam Lutherum Religionem nostram perturbasse. Quid vero aliud reprehendunt, nisi aut nomen, Pontificum Romanum auctoritate desumptum *Societatis Jesu*, alii Ordini prius impositum, aut, eorumdem & Tridentini approbatione confirmatum vitæ institutum quod non omnino cum ceteris Religiosis familiis conveniat, & sit a Sacerdotibus qui soluti omnino, ac votis liberi degunt diversum? quæ omnia Franciscus Suarez, Sfortia Pallavicinus, Daniel Bartolus, plurimique alii ex Nostris, atque ex exteris quoque defenderunt, ut Scipio Du Pleix *tom.* 3. *Histor.* Quin ipsemet Paschasius, nobis in ea controversia adversarius, libro IV. epistolarum suarum *epist.* 24. de tota illa contentione narrationem texens, atque eodem ferme pacto quo Historicus noster (unde multa refelli alla-

(*a*) pag. 618. Bulæi tom. 6.

allata a Bulæo possunt) nos non obscure etiam laudat (*a*). Ac Bulæus etiam, qui abunde quæcumque contra nos esse videntur, narravit, in Synopsi sæculi VIII.(*b*) postquam dixit; *florentem Academiæ statumquatuor potissimum mala deformarunt, ejusdemque vires & robur debilitarunt, hæresis, turbæ scholasticæ, Jesuitarum propagatio, bella civilia*; ad tertium ex his quatuor descendens; *Jesuitæ*, inquit, *qui ab a.* 1550. *ovili Academico insidiabantur occasionem nacti indignationis regiæ, & mutuæ alienationis animorum Curiæ & Academiæ, inter hæc vero non satis castigatæ disciplinæ scho-*

(*a*) Il seroit malaisè de vous dire combien ils s'acroissent de jour à autre, & combien les troubles ont servy à leur accroissement. Car ayants par leurs ceremonies apportè reformation à la dissolution de l'ordre Ecclesiastic, & s'estants directement voüez a maintenir l'autoritè du saint Siege encontre les Calvinistes, qui font profession de le terrasser, ceux qui sont francz Chatolieques, voyants que de leur boutique sortoit & la religion & l'eruditon tout ensemble, leur ont aumonsnè de grands biens, mesmes on leur a donnè plusieurs maisons pour instituer la ieunesse qu'ils appellent aujourd' hui Seminaires, voulants souz ce mot donner à entendre que ce sont pepinieres de la Religion Catholique. Croissants par ce moien en partie par leur merites, mais plus per la haine, que l'on porte aux Huguenots. Quant à moy ie n'estime point que les Huguenots ayent de petits adversaires en ceux-cy: comme ainsi soit qu'entre toutes les Religions, la Chrestienne se doive gaigner par prieres, exemples, bonnes moeurs, & saintes exhortations, & non par le trenchant de l'espèe,

(*b*) tom. 6. pag. 916.

scholasticæ & secretarum odiorum ob Religionem, a Rege litteras obtinent suæ in urbe Parisiensis institutionis: eas Curiæ porrigunt & a Curia ad Synodum Pisciacam remittuntur. A Synodo certis conditionibus admissi, sub iisdem a Curia admittuntur & docere incipiunt a. 1564. *idque gratis; quod vehementer placuit pluribus; nec Universitatis intercessio, cui se Episcopus, & Clerus Parisiensis, Civitas, Mendicantium Ordines adjunxerunt, quidquam evicit. Hinc frequentantur eorum scholæ magno numero scholarium & Academiæ depopulantur. Magno quidem id detrimento splendoris Academici, at magno certe bono Catholicæ Religionis, fatentibus etiam ipsis, qui vehementius eos insectati sunt. Quippe dici non potest, quam brevi tempore Ordo iste in immensum excreverit, & ab omnibus gentibus quasi unanimiter receptus sit; quanto vero cum fructu in barbararum nationum ad Deum & ad Christianismum conversionem, Hæreticorumque ad Catholicam fidem reductionem incubuerit.* Addam hic justæ cujusdam defensionis loco (nunquam enim cessant adversarii nostri hæc Galliæ eventa nobis opponere) Gallorum duorum de Societate judicium. Atque alter quidem hoc tempore vivebat Florimundus Ræmundus Galliarum Regis in curia Burdigalensi Consiliarius, qui *lib.* 5. Historiæ *de ortu, progressu, & ruina hæreseon hujus sæculi cap.* 3. scribit. *Quis hoc tam sanctum*

PP.

PP. istorum institutum satis digne laudaverit? qui in tanta hæreseon tempestate e multis undique ædificatis a se speculis, errantibus non lumen tantum, verum etiam portus & tutas periclitantibus stationes ostenderunt ..... Hi magni isti sunt & sapientes tam corporum, quam animarum ductores, quibus ex omni vita vix una horula perit, quæ non in expoliendis, & ad virtutem, & pietatem informandis teneris juventutis animis collocetur. Ego in ipsorum Collegiis non ordinem tantum & dexteritatem docendi, verum etiam miram temporis distribuendi solertiam vehementer sæpe sum admiratus &c. In his omnibus Collegiis infinitus quasi est Jesuitarum numerus, quorum de doctrina tanta est existimatio ut scientiæ omnes perditæ eorum opera restitui posse videantur, ex quo teterrima eorum apparet invidia, quos Societati huic ignorantiam exprobrare non puduit ..... Ignoscat mihi lector tam multis Societatis hujus instituta describenti. Per horum enim potissimum latera Hæretici Ecclesiam petunt, hos tamquam victimas gladiis sacris destinant &c. At nos, o invicti & indefatigabiles Æacidæ, cœlitus vos missos credimus ut tam longo, ac funesto bello finem imponatis. Vobis ut a Mercurio olim Ulyssi, divina illa herba moly a Deo data est, ut tantam miserorum hominum a venefica illa Circe, hæresi excantatorum, & in bestias transmutatorum multitudinem pristinæ formæ restituatis, aliosque quos

mali

mali illius vis nondum attigit præservetis... Quamvis autem merita vestra & labores, non ut par est ab omnibus accipiantur & compensentur, ne tamen cessate victorias vestras persequi, donec hostis plane prostratus & devictus in triumphum a vobis ducatur. Alter huic ferme æqualis Scipio Du Pleix *tom. 3. Historiæ Galliæ pag.* 795. fuse de nobis atque honorificentissime loquitur; cujus quidem orationem longum hic foret referre; adjiciam solum extrema verba; *J' ay voulu repræsenter ici toutes ces considerations touchant les Jesuistes, non tant pour recommander cete Compagnie assez recommandèe par l'excellence & l'eminence de ses merites, que pour desabuser ceux qui se laissent persuader que c'est une secte qui a des maximes erronèes & dangereuses &c. Quoy que je n'aye jamais estudiè quatre mois sous les Jesuistes, si en puis-je parler comme bien institutt, pour avoir eu familiere conversation avec plusieurs d'entr'eux en particulier, & mesmes considerè de prez l'Ordre de leurs compagnies: l'oeconomie des quelles j'ay admirè, & ne puis qu'auoir en veneration tant de personnage signalès en pietè, integritè de moeurs, & doctrine.*

CA-

CAPUT IV.

De Laudatione, & Vita S. Elisabethæ.

§. I.

1. *Occasio habendarum trium orationum : male earum anni hactenus consignati : cur vocatæ sint* libri : *rerum in iis atque in vita descriptarum partitio*. 2. *Vitæ stylus a Bollandianis injuria notatus : Perpiniani in veteribus monumentis inspiciendis diligentia ; in dijudicandis solertia : specimen utriusque in hac vita describenda*. 3. *Quædam a Perpiniano paulo fusius in vita explicata. Explicatio generis Elisabethæ : dubitationem de Friderici Imp. morte ; flumenne ingressus sit lavandi an trajiciendi causa, confirmant veteres historici. An Constantia Henrici uxor religiosa vota antea nuncupaverit ? Friderici II. mortis genus incertum : De provocatione duorum Regum Petri Aragoniæ & Caroli Siliciæ. Cur Petrus non adfuerit varia narratio*. 4. *Explicatio cognationis quæ Elisabethæ erat cum Eduardo Britanniæ Rege, cum Carolo Martello &c.*

I. Rerum multitudo ac varietas quas Perpinianus orationibus suis complexus est, fecit ut longius quam initio suspicabamur in iis enarrandis detineremur. Itaque breviores esse cogimur, in aliis operibus recensendis; ne non tam ea, quæ sunt doctissimi viri elegantissima atque eloquentiæ,& doctrinæ plena,illustrare,quam nostra quæ levia sunt expromere velle videamur. Altera igitur operum ejus pars ea complectitur quæ ad Elisabetham sanctissimam Lusitaniæ Reginam spectant. Atque orationes quidem de ea tres,quæ inter alias orationes diversi variique argumenti collocari solebant, & si rationem temporis observaremus erant priore parte inter primas collocandæ, ideo rejecimus in hunc tomum, ut cum ejusdem Reginæ vita conjungeremus, quam Perpinianus sub idem ferme tempus conscripsit, atque eadem de causa. Quæ ea fuerit ipse explicat extrema parte vitæ illius: ex quo loco illud quoque constat, orationes hasce tres, tribus continenter annis habuisse: quod postea etiam significat; *Itaque tota jam ejus vita perorata, quarto post anno quam festus hic dies majori celebritate agitari cœpit &c.* Si editiones omnes, & elenchum orationibus præmissum consulamus, primam habuisse legitur A. MDLVI. alteram MDLVII. tertiam MDLVIII. IV. Non. Jul. Ita Romana editio a. 1587. Brixiensis 1589. Lugdunensis

ſis 1594. &c. Addas Hiſtoricum noſtrum Sacchinum, & Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hiſpana qui eoſdem annos iis aſſignant. Sed perverſe annos illos fuiſſe conſignatos certo nos argumento demonſtrare poſſe confidimus. Nam cum primam haberet, in ipſo orationis exordio Joannem III. paulo ante vita functum ſignificat. Ait enim *pag.* 1. *Quanta ſapientia ac pietate Rex ille omnium litteris & monumentis decorandus, quem tanto gemitu ſuperioribus diebus amiſimus, inſtituerit; ut ad veterem illam & ſanctiſſimam celebritatem ſacrorum, a ſummo Pontifice precibus ipſius & diligentia conſtitutam hæc alia nova celebritas orationum, & carminum accedat &c.* Etsi eum hic non nominat, quin de Joanne III. loquatur nemini dubium eſſe poteſt; imo aperte eum & nominatim appellat poſtea *pag.*42. *Quid de te futurum fuiſſet, o ſemper felix, proximis annis, Joannis auſpiciis maxime florens, nunc ejuſdem obitu mærens & afflicta Luſitania &c.* Jam vero Joannem III. vita ceſſiſſe III. Id. Junii A. MDLVII. conſtans eſt omnium Hiſtoricorum opinio quam ſecutus eſt vir doctus Antonius Cajetanus de Souſa *tom.* 3. *pag.* 492. operis ſui Genealogici. Unum excipio Emanuelem Monteyro qui in libro *Joannes Portugalliæ Reges ad vivum expreſſi pag.* 111. habet 1558. quod mendum puto typographi fuiſſe & in exemplo noſtro calamo correctus eſt hic numerus & ſubſtituus 1557. De die ali-

quantum discrepant. Et Sacchinus quidem noster (*a*) narrat mortuum III. Id. Junii die Saturni jam illucescente. Joannes Caramuel Lobkovvitz (*b*) diem 2. Augusti ponit. Hunc tamen errasse ex Perpiniano liquet, qui die sacra S. Elisabethæ IV. Non. Julii habuit hanc orationem, cum Joannes jam esset mortuus. Ergo prima harum orationum habita est non anno MDLVI. sed consequenti an. MDLVII. ut in Perpiniani vita scripsimus, ac reliquæ deinceps habitæ proximis annis. Id diserte significat Perpinianus ipse *lib.* 3. vitæ S. Elisabethæ. Nam *p.* 309. narrat, domunculam ubi habitavit stetisse annos circiter tres & triginta supra ducentos: *anno vero*, verba sunt Perpiniani, *ab ortu Christi Servatoris quingentesimo quinquagesimo nono supra millesimum; cum hoc totum factum æstate superiore fuisset in lucem prolatum a nobis altera oratione de rebus a Regina gestis, priusquam tertia quæ fuit extrema diceretur, ineunte vere, nocte S. Matthiæ ferias antecedente, cum & vetustate nemine reficiente consumpta & maximis atque assiduis imbribus hyemis proxime dissoluta esset, inquilinis innoxia corruit magna ex parte &c.* Ergo alteram orationem habuit A. 1568., primamque 1557. Has orationes *libros* ipse vocavit; veteri nimirum more, quo vel operis cujuscumque partes *libri* vocan-

(*a*) part. 2. Histor. lib. 1. num. 120.
(*b*) *Philippus Prudens*.

cantur, ut Æneidos libri; Pharſaliæ libri; vel oratio omnis *liber* dici videtur apud Ciceronem (*a*). Præcipue vero factum id in orationibus, quæ eodem de argumento ſcribuntur, & vitam alicujus narrandam ſuſcipiunt; ut Verrinæ illæ Ciceronis; jampridem viri eruditi adnotarunt Dionysius Lambinus, Franciſcus Urſinus, Ioſephus Olivetus &c. Partitionem earum orationum idem Perpinianus explicat *laudationis lib.2. pag.60.* ſcribens; *Ego enim ſic intelligo, omnem B. Eliſabethæ vitam in quatuor diviſam eſſe tempora, unum pueritiæ, alterum matrimonii, tertium viduitatis, obitus ſupremum*: ex his vero prima duo executus fuerat oratione prima; tertium explicat altera oratione; quartum poſtrema. At Vitæ libros tres paulo aliter partitur. Nam primum deducit ad A. MCCXCVII. quo ſanctiſſima Regina marito adhuc vivo bellum inter eum & Caſtellæ Regem exortum ſedavit: ſecundus liber definit in Dionyſii morte. Nos breviter quæ in altera hac Operum Perpiniani parte continentur enarraturi, utrumque opus conjungemus, quod eaſdem res contineat, etſi diverſa plane ratione repræſentatas.

II. Antea tamen quædam, quæ cuique propria ſunt, attingenda. De oratiotibus nihil eſt quod dicamus; niſi forte illud, quod in titulo

(*a*) lib. 2. ad Att. ep. 1.

lo earum animadversum reperio in editis quoque; *tres hasce orationes tribus deinceps annis sacro B. Elisabethae die Conimbricae in Lusitania habuit adolescens*. Quali aetate eas habuerit stylus prodit; qui nimirum nondum efferbuerat eratque consecutus maturitatem suam. Quando primam dixit annum agebat 27. Nihilominus sunt hujusmodi quae miram hominis eloquentiam prodant, atque ob id juvenibus prodesse non parum possint. De iis ita scripsisse reperio Lucam Waddingum in Annalibus Minorum *ad a.* 1336. *num.*36. postquam scriptores de S.Elisabetha recensuit(*a*). *Sed prae omnibus sanctissimam Heroinam culto & polito laudavit eloquio Petrus Joannes Perpinianensis in tribus orationibus quas de ejusdem Reginae vita & miraculis Conimbricae recitavit.* Miror orationes eum commemorare, vitam, quae in primis nominanda erat, silere. Hanc non praeterivit in eorundẽ de S.Elisabetha monumentorum recensione Corradus Janningus (*b*), meminitque illius non sine aliqua nota, scribens *n.*18. *Plures ejusdem Sanctae Reginae extant passim vitae, aut vitae compendia impressa, quae nos morari magnopere non debent, utpote ex fontibus nostris deducta omnia. Vitam latine impressam primus quod sciam edidit F. Thomas de Trugello Ordinis Praedicatorum in suo Thesauro*

(*a*) tom.7. pag. 199.
(*b*) tom.2.Actor. Jul. pag. 172.

ſauro concionatorum tom.2. Barcinone a. 1583. *quæ brevi compendio narrat præcipua quædam Reginæ geſta. Alteram item latinam verboſius, & ſtylo potius oratorio quam hiſtorico conſcripſit noſter Petrus Perpinianus impreſſam Coloniæ* 1609. *Magis hiſtoricam dedit anno* 1021. *Antuerpiæ cuſam inter ceteros Luſitaniæ Reges Antonius Vaſconcellus & ipſe Societatis noſtræ, ſic ſcriptam ut mereretur hiſce Actis SS. adjungi ſi vitam antiquiorem mſ. non haberemus.* Neſcio, cur vir doctus in recenſione ſcriptorum hujuſmodi, in quibus tempus præcipue quo facta ſunt, non quo edita ad hiſtoriæ auctoritatem conciliandam ſpectari ſolet, ipſe voluerit tempus editionis ſequi, & poſt Trugilli vitam collocare Perpiniani, quæ eſt multo antea conſcripta. Deinde mallem de narrationis veritate, quod commodius fortaſſe facere poterat, judicium tuliſſet: de ſtylo nihil attinuit eum dicere. Quid enim? negat polita oratione & veneribus omnibus, omnibus leporibus affluenti conſcribere oportere hiſtoriam? At commodior, ut puto, harum rerum magiſter Cicero contrarium docet, qui in Oratore, poſtquam Sophiſtarum dicendi genus deſcripſit, quos ait *omnes eoſdem velle flores quos adhibet Orator in cauſis, verba apertius transferre, eaque ita diſponere ut pictores varietatem colorum, paria paribus referre, adverſa contrariis &c.* ſubdit (*a*).
Huic

(*a*) num. 20.

Huic generi Historia finitima est, in qua & narratur ornate & regio sæpe aut pugna describitur, interponuntur etiam conciones & hortationes: sed in his tracta quædam & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio. Ab his non multo secus quam a Poetis, hæc eloquentia quam quærimus, sevocanda est &c. Ibidem (*a*) quotidianum sermonem, historico opponit; *narrationes*, ait, *credibiles, nec historico sed prope quotidiano sermone explicatæ dilucide*. Infra vero (*b*) addit; *Ergo in aliis idest in historia, & in eo quod appellatur ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Isocrateo, Theopompeoque more, illa circumscriptione, ambituque ut tamquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis, absolutisque sententiis*. Denique (*c*) mediocre illud dicendi genus describens, quod alibi ait Historiæ esse proprium; *est enim*, inquit, *quoddam etiam insigne & florens orationis, pictum & expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores*. item; *huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma, suavitatis*. Immerito ergo florens illud ornatumque dicendi genus reprehenditur in Perpiniano. At si Historici diligentiam, quæ sum-

(*a*) num. 20.
(*b*) num. 36.
(*c*) num. 61.

summa esse debet, si veritatem spectes, de qua idem Cicero (a) primam esse legem historiæ affirmat, eam in Perpiniano non desiderabis. Itaque quæ duo hæc maxime efficiunt; primum in veteribus monumentis conquirendis inspiciendisque labor & diligentia; alterum in his æstimandis solertia atque acre judicium, id adhibuisse Perpinianum constat. De monumentis a se inspectis lustratisque idem testis est, qui ea sæpe commemorat. *Lib.3. laudationis pag.* 145. *hoc fortasse*, inquit, *mirum videbitur; sed nihil dicam quod si necesse sit, vetustissimis litteris probare non possem*. Eodem libro *pag.* 124. scribit; *Non equidem crederem hoc de tam longo itinere, nisi in historia Regum Lusitaniæ legissem. Etenim cum nonnulla, quæ de B. Elisabetha vulgo prædicantur, omisissem, quoniam in antiquis litterarum monumentis non reperiebam, non committerem ut diminuerem apud gravissimos viros fidem & auctoritatem meam, si qua est, si ea pro certis commemorare viderer, quæ neque fama & sermonibus hominum celebrarentur, neque cujusquam litteris memoriæ prodita fuissent*. Quo quidem loco vir prudentissimus duo innuit argumenta quibus præteritarum rerum veritatem consequi possumus; hominum sermonem, & litteras. In quibus utrisque inspiciendis adhibendisque

(a) 2. de orat. n. 15.

ad historiam cognoscendam necesse est acre solersque judicium. Non enim rumusculi omnes excipiendi, non scriptis omnibus monumentis fidendum est, sed maxime certis, fidelibusque; quod quidem noster hic se præstitisse multis in locis declarat. Libro secundo vitæ, tempus rei gestæ exanimandum sumens: *non ignoro*, inquit *pag.* 373., *scriptum fecisse quosdam, hæc Alphonso jam a S. Vincentii templo redeunte fuisse gesta: sed verisimilius videtur, cum eo iret accidisse*: & paulo post *pag.*282. *Quamquam nonnulli tradiderunt Regem antequam Conimbricam obsideret &c. Sed probabilius est quemadmodum diximus & sic narrant Scriptores rerum gestarum Lusitaniæ Regum*. Antea *pag.*267. *Scio scripsisse nonnullos fictam & simulatam fuisse Religionem illam &c. & fortasse sic tunc loquebantur qui videbant: sed ex alia ejus audacia & tali comitatu magis quam quod cuiquam id exploratum foret, hæc fama manabat*. Vides ut famam litterasque examinat, atque in utraque hæc monumenta sedulo inquirit, ut nihil temere, nihil non prius inspectum probatumque historiæ consignasse dici debeat. Quid? quod sanctissimæ Reginæ rerum gestarum monumenta relegens iter ab ea Compostellam usque peractum ab aliis alii tempori consignatum, & diversa plane ratione confectum inveniens, modum exhibet quo conciliari possint: suspicionem tamen quæ in animo adhuc residebat expo-

exponit, & rem esse hujusmodi quæ in neutram partem dijudicari possit. Atque hujus diligentiæ & solertiæ suæ testimonium habes in miris illis rebus quas ad vitæ finem memorat, tam diligenter narratis, firmatisque iis argumentis ut plura desiderare non possis. Quin eam diligentiam atque in argumentis sive dubitationibus contrariis resellendis sedulitatem videbis libro 2. vitæ *pag.* 260. Sed specimen omnino illustre atque eximium dedit Perpinianus (*a*) in eo facto narrando, quod Elisabethæ cum Dionysio marito accidit; cum aliquando clam in sinu ferret quod pauperibus præberet, atque interrogata a Rege respondisset esse rosas, explicato sinu quæcumque haberet in rosas pulcherrimas esse conversa. Nam primo fatetur se id de Elisabetha nusquam legisse neque in vetustioribus, neque in recentioribus monimentis litterarum: deinde quæ ad id statuendum argumenta suppetunt brevi exponit; nimirum populi constantem famam quæ multa sæpe sine litteris a Majoribus quasi per manus tradita custodit, & tabulam in templo S. Claræ ad Conimbricam ubi id visitur depictum: addit tamen (quod ad solertis historici fidem judiciumque spectat) de tabulæ illius tempore; nec ullas esse antiquiores Emmanuele Rege. Demum animadvertit idem factum narrari de Casilda filia Toletani Regis

(*a*) lib. 1. pag. 215.

Saraceni ; quod quidem leges in excerptis historiæ illius quæ probatur Bollandianis (a). Quam sint ea adnotata opportune quilibet noverit modo Criticæ non sit omnino imperitus. Etenim brevi Perpinianus omnia percurrit quæ ad hujusmodi factum vel admittendum vel rejiciendum spectari possunt. Ab antiquis enim litteris dejectus quas primo spectari oportet, accurrit ad populi famam ; ac deinde ad ipsa subsidia historiæ, tabulas, pictasque effigies. Notum est enim quam multa hinc historiæ allata sint adjumenta ; nec profecto antiquarum rerum cognitionem, tam litteræ juvarunt quam nummi, sculptæque insignes imagines;ut maxime ex picturis Pontificum Romanorum chronologiam expediverit Cl. Præsul Franciscus Blanchinus. Verum quam periti artificis, Criticæque Magistri fuit illud, quod factum hujusmodi de alia item sanctissima femina prodi significavit. Similitudo enim factorum, rationem exhibet aliquando cur ea rejiciamus, si insignia sint, si iisdem omnino adjunctis contigisse dicantur. Epiphanius (b) narrat Joannem Apostolum cum in balneum venisset atque ibidem reperisset Ebionem hæreticum, repente turbatum dixisse ; *properate fratres, abeamus hinc, ne balneæ concidant, & cum Ebione qui intus est ob ejus impietatem obrua-*

(a) ad d. 9. April. (tom.1. pag. 848.)
(b) hæres. 30. num. 24.

obruamur. Cum vero Joanni id accidisse cum Cerintho referat Irenæus (*a*) ex Polycarpo, & Eusebius (*b*); Petavius (*c*) Epiphanii esse ait μνημονικὸν σφάλμα, factique illi Joannis cum Ebione denegat fidem. Idem faciendum volunt alii in vita universa quæ narratur Joannis Calybitæ & Alexii, Eustachii & Huberti &c. nec primum ex his aliter defendit Joannes Pinius (*d*), quam quod *nonnulla toto potius videantur cælo diversa*. Neque vero (omissis singularibus exemplis in quibus multa spectari oportet ne quid temere & licenter fiat) de genere ipso toto judicari aliter potest, si duo animadvertamus, quæ errores hujusmodi sæpe in historiam important. Primum est, lapsus illi μνημονικοὶ quos Petavius commemoravit; quos sane esse frequentissimos, hominibus præsertim multa scribentibus, multa animo versantibus, nemo inficiari potest. Scripsit hac de re elegantem sane dissertationem Hieronymus Tartarottus (*e*). Sed exemplis quæ plurima affert multa adjici præterea possent. Nam Sozomenum pro Theodoreto nominasse putatur Gregorius M.

 lib. 6.

(*a*) lib. 3. cap. 3.
(*b*) lib. 4. H. E. cap. 14.
(*c*) in Epiph. pag. 59.
(*d*) Act. SS. tom. 4. Julii pag. 240.
(*e*) Collect. Opuscul. Venet. edit. tom. 25. pag. 351.

lib.6. ep. 31. a Melchiore Cano, & Garnerio; Suidas in ἀγαπητὸς pro Philoſtorgio allegat Euſebium; Act. 1. Synodi VII. pro Socrate affertur Rufinus; In jure Græco-Romano pro Socrate Sozomenus. Synefius, quod Petavius obſervavit, pro Caro laudat Carinum: ut omittam Conſtantium & Conſtantinum, Maximianum, & Maximinum; quæ nomina a veteribus vel idem valere cenſentur vel confunduntur. De recentioribus nihil dico; ex quibus Ioannes Caſa epiſtola ultima ad Gualterucium (*a*) in ſimilem lapſum incidiſſe ab editore ejus operum animadverſum eſt. Alterum eſt monumentorum genus ipſum, unde res in hiſtoriam invehi vel confirmari ſolent, nimirum pictarum imaginum ſive ſculptarum. Nam præter eorum artificum licentiam qui nihil interdictum ſibi eſſe putant, obſcurum ſæpe eſt, quid effigie illa repræſentetur, an hiſtoricum quid; an allegoricum & ſymbolicum, ut dicunt, effingatur; demum depictarum perſonarum obſcura ſæpe nomina: & conſuetum eſt hominibus inſigniora facta ad ſuos honoris cauſa transferre, vel rebus adjungere nomina hominum qui plane cogniti ſibi ſunt atque perſpecti. Ut ad Eliſabethæ factum revertamur, non illud de Caſilda dumtaxát narratur; ſed de Roſa Viterbienſi, legeſque id vel in ejus vita vel in lectioni-

(*a*) tom.3. oper. edit. Venet. a.1728. pag.285.

ctionibus ipsis Breviarii Romani, ad diem 4. Septembris: item de Elisabetha altera Hungariæ Regina apud Waddingum (a), præterea de Alvaro Cordubensi O. P Quamquam ut hic pictam tabulam noster pto Elisabetha Lusitana allegat; ita & pro Hungarica Waddingus, ut suboriri de rei veritate nonnemini suspicio possit. Utcumque sit, prudentem se Historicum Criticæque apprime peritum Perpinianus exhibuit. Quamobrem quid in eo displicere potuerit Ianningo haud equidem intelligo, præter nitorem quemdam cultumque orationis, quem uti ab omnibus flagitare non debuit, sic in nostro, qui eum attulerat, laudare. Non tamen inficior aliquid esse quod morosis præsertim lectoribus improbandum videatur: altior scilicet quidam exorsus narrationis ab Elisabethæ cùm paterno tum materno genere, & exordium paulo longius accersitum. Sed illud quidem habet etiam vetustissimus scriptor quem nobis Ianningus repræsentavit, qui *cap.* 10. generis nobilitatem fuse persequitur, & cognationem sive affinitatem Elisabethæ cum omnibus ferme Christianis Regibus, ut id voluisse Perpinianus videatur, antiquissima monumenta diligentius persequi, eorumque vestigiis omnino insistere. Præterea est aliquid dandum ætati,


 cum

(a) Ad a. 1235. num. 13. tom. 2. Pag. 393.

cum ea ut diximus, ſcripſerit Perpinianus pæne adoleſcens : & illud ipſum eximiam quamdam Scriptoris curam diligentiamque ſignificat. Quid?quod excellentem doctrinam Perpiniani rerumque ſcientiam declarat.

III. Placet, antequam ipſam vitam, orationeſque enarrare aggredimur, aliquid dicere de hac ipſa explicatione generis Eliſabethæ, quam Perpinianus inſtituit. Habuit ergo Eliſabetha matrem Conſtantiam filiam Manfredi Siciliæ Regis, qui Manfredus filius fuit (nothus ſcilicet) Friderici II. cujus parentes Henricus & Conſtantia, avus Fridericus I. Ænobarbus dictus: Eliſabethæ pater fuit Petrus III. Rex Aragoniæ; Petri hujus parentes Jacobus & Violantia filia Andreæ Regis Pannoniæ, ſoror Eliſabethæ alterius ſanctiſſimæ fœminæ; avus Petrus II. abavus Alfonſus II. Sanciæ conjux, frater Sancii : quæ omnia hic ſub aſpectum pono.

Fride-



Neque in Eliſabethæ genere percenſendo nuda Majorum ejus nomina Perpinianus ponit, ſed ad facta quædam eorum inſignia digreditur. Atque orſus (*a*) a Friderico Ænobarbo, ait, eum poſt reditum in gratiam cum Alexandro III. P.M. res maximas in Aſia gerentem, vorticoſum amnem ingreſſum *vel lavandi cauſa vel trajiciendi* repentina morte ſublatum. Dubitationem hanc de morte Friderici an lavandi, an trajiciendi fluminis cauſa ingreſſus flu-

(*a*) pag. 169.

flumen perierit bene propoſuit Perpinianus: rem enim alii aliter narrant, ut Baronius animadvertit ad *a.* 1190. *num.* 6. qui tamen ex ſcriptore itineris Friderici, Imperatorem demerſum refert cum lavandi gratia ſe in flumen demiſiſſet. Contra ad eum locum Baronii Pagius Chronographum Reicherſpergenſem allegat qui ex Tagenone Patavienſis Eccleſiæ Decano Fridericum deſcribit flumen trajicientem. Baronii narrationi conſentit Radulphus Mediolanenſis auctor Friderico æqualis, qui hæc habet (*a*). *Tertia vero die vidit Imperator ultra flumen quædam amœna & virentia loca: tranſivit cauſa comedendi & ſpatiandi; & poſt prandium dixit ſe velle natare; æſtus quippe magnus erat: deſcendit autem Imperator cum duobus militibus & cœpit natare, & tunc venit unda & eum demerſit.* Otto de S. Blaſio in Chronico (*b*). Fridericum *refrigerandi gratia* amnem ingreſſum narrat, & *ſubitaneo frigore naturalem calorem extinguente deficientem ſubmerſum.* Ita & Joannes Villanus (*c*) natandi gratia deſcendiſſe in flumen Imperatorem refert. Idem paſſim alii Chronicorum Auctores Martinus Minorita (*d*), Martinus Fuldenſis (*e*), Herma-

(*a*) tom. 6. Scriptor. rer. Italic. Murator col. 1193.
(*b*) ibid. col. 891. cap. 35.
(*c*) Chron. lib. 5. cap. 3.
(*d*) tom. 1. corp. hiſt. med. ævi Eccardi col. 1623.
(*e*) ibid. col. 1693.

mannus Cornerus (*a*): quos secutus est Petavius (*b*), & ante Petavium Sigonius (*c*). Sunt tamen qui aliud doceant, & Henricum defunctum dicant cum transnatare amnem conabatur, ut Oliverus *in historia Regum terræ sanctæ* (*d*), Golscherus *in gestis Archiepiscoporum Trevirensium* (*e*), Ricobaldus *in historia Imperatorum* (*f*): præterea cum hæc Pagii sententia Reicherspergensis scriptoris synchroni auctoritate nitatur; cautius Noster rem definire noluit, atque utramque sententiam indicavit. Aliam quamdam dubitationem suam significavit Perpinianus de Constantia Henrici uxore, scribens de Henrico hoc pag.170. *Eum cis & ultra fretum imperare æquius visum: quippe qui Constantiam ejusdem Rogerii filiam justo matrimonio natam conjugem haberet; sive eam superioribus annis ætate florentem, auctore Friderico patre duxerit, sive jam annos* L. *natam, & publico ritu consecratam antea, tum advenienti Pontifex Romanus voto religioneque solutam in matrimonium collocarit*. Hanc Constantiam antequam Henrico nuberet Deo religiosa vota nun-

(*a*) ibid. tom. 2. col. 792.
(*b*) lib. 8. Ration. cap. 20.
(*c*) lib. 15. de Regno Ital.
(*d*) tom. 2. corp. hist. m. æ. Eccardi col. 1391.
(*e*) ibid. col. 2220.
(*f*) tom. 1. col. 1167.

nuncupasse & monasticam vitam professam narrat Fazellus (a), Franciscus Maurolicus (b), Felinus Sandeus (c), Nicolaus Specialis (d), aliique historiæ Siculæ scriptores: quod item faciunt Neapolitani Summontius (e), Collenutius (f); prætera Krantzius (g), Philippus Bergomensis *in Chronic. &c.* denique Baronio teste recentiores ferme omnes. Id vero fabulosum esse idem Baronius (h) contendit: idem post Baronium affirmat. Petavius (i), Pirrus in *Chronologia Regum Siciliæ*, & fusius Franciscus Capecelatus (k). Non tamen prior illa opinio defensoribus caruit, postquam hi ac Baronius præsertim eam repudiavit. Extat longa defensio Francisci Baronii ac Manfredis (l): & quamquam non omnia argumenta quæ ad eam revocandam attulit sint hujusmodi, ut multum apud eruditos viros obtinere auctoritatis possint; nihilominus, verum non est, quod Baronius asseruit, *nullius antiquorum peni-*

(a) lib. 7. Decad. poster. cap. 3.
(b) lib. 1. Sicanicæ hist.
(c) Epitom. de Sicil. Regib. append. 2.
(d) lib. 7. rer. Sicul. cap. 13.
(e) Hist. Neap. part. 2. lib. 2. cap. 5.
(f) lib. 3. Hist. Neap. (g) Saxoniæ lib. 6. cap. 49.
(h) ad a. 1186. num. 25.
(i) lib. 8. Ration. cap. 20.
(k) pat. 1. Hist. Neap.
(l) lib. 1. & 4. *de Panormitana Majestate.*

penitus testificatione fulciri eam narrationem; si antiquorum nomine eos appellamus qui vix sæculo uno ab eo tempore vixerunt. Nam Dantes Aligherius in eo quem vocat *Paradisi cantu* 3. sacro velo consecratam Constantiam aperte significat (*a*). Idem habet Danti ferme æqualis Ricordanus Malespini (*b*), atque hoc paulo inferior Joannes Villanus (*c*); Anonymus etiam auctor Siculæ historiæ qui eam persequitur ad a. 1282. a Joanne Baptista Carusio & Muratorio editus: ut prætercam S. Antoninum (*d*), Benevenutum Imolensem (*e*). Liquet ergo Perpinianum scienter sane, eaque qua pollebat historiæ intelligentia, illud veluti dubitanter posuisse. Quod vero

(*a*) *E quest' altro splendor, che ti si mostra*
Dalla mia destra parte, e che s'accende
Di tutto 'l lume della spera nostra
Ciò ch'io dico di me, di se intende
Sorella fu, e così le fu tolta
Di capo l'ombra delle sacre bende.
Ma poi che pure al mondo fu rivolta
Contra suo grado e contra buona usanza
Non fu dal vel del cuor giammai disciolta
Quest'è la luce della gran Costanza,
Che del secondo vento di Soave
Generò 'l terzo, e l' ultima possanza.

(*b*) cap. 86. Histor.
(*c*) lib. 5. cap. 16. Chron.
(*d*) part. 3. histor. t. t. 19. cap. 6.
(*e*) *De altaribus mundi.*

ro innuit non constare an eam Henricus duxerit vivo patre, an multo post, annos jam L. natam; id verum esse comperiet quicumque earum rerum Scriptores legerit: atque alterum quidem ferme asserunt qui eam volunt religiosam vitam professam; primum statuit Sigonius allegans Gothifredum Viterbiensem & Abatem Vrspergensem; quibus addes Richardum de S. Germano qui id indicare videtur in Chronico, & Othonem de S Blasio qui id diserte affirmat. Laudes Friderici II. hujus filii quas Perpinianus exequitur, præsertim de scientia litterarum leges cùm apud veteres Scriptores qualis censendus Chronici auctor, quem Cl. Muratorius Nicolaum de Tamsilla esse affirmat, tum ex recentioribus apud Raynaldum (a). Mortem ei oblatam a Manfredo filio notho quam Perpinianus ita describit *pag.* 171. *Juvenis enim cupidus pecunia patris & regno potiundi, gravi morbo diu conflictatum senem creditur in ipso lecto strangulasse*, narrant optimæ notæ Historici. Nam Fridericum pulvino in os injecto a filio suffocatum tradit Ricordanus (b), & Villanus (c) scriptores ei ferme æquales. Res est tamen quæ pro comperta haberi non debet. Chronicon Parmense (d) *ad a.* 1250. hæc habet. *Item eodem anno*

(a) ad a. 1250. num. 36.
(b) cap. 143.
(c) lia. 6. cap. 42.
(d) tom. 9. Scriptor. Murator. col. 776.

no Dominus Fridericus quondam Imperator prædictus existens Apuliæ obiit, & quidam dicebant de quodam fluxu ventris, & quidam quod Rex Manfredus ejus filius de quodam veneno mortifero toxicavit. Nihil tale de Manfredi parricidio habet Matthæus Spinellus in Ephemeridibus Neapolitanis [a], etsi Friderici mortem funusque narrat. Æneas vero Silvius in historia Friderici III. *arduum esse* ait *id credere*: falsumque id esse omnino contendit Pandulphus Collenutius (b). Licet ergo hic quoque admirari Perpiniani nostri prudentiam, qui tantum de fama narrat; quam revera increbuisse, & Scriptores a nobis supra allegati testes esse possunt, & post Perpinianum asseruerunt Sigonius [c], & Raynaldus [d]. Addebat Perpinianus suspicionem valuisse; eumdem Manfredum Conradum fratrem sustulisse veneno. *Veneno propinato impellente gravi dolore cœpisse contabescere & lethali lecto decumbere* scribit *ad a.* 1254. Matthæus Parisiensis [e]. Manfredum auctorem fuisse veneni oblati asserit Ferretus Vicentinus [f] in historia quam scribebat ser-

(a) tom. 7. Script. Murator. col. 1067.
(b) lib. 4. Histor. Neapol.
(c) lib. 18. de Regno Ital.
(d) ad a. 1250. num. 32.
(e) pag. 893. edit. Londin. MDCXL.
(f) tom. 9. Scriptor. Murat. col. 946.

ferme sub initium sæculi xiv. Alia plane ratione, veneno tamen interfectum; idque a Manfredo narrat Ricordanus (a), Villanus (b) Memoriale Potestatum Regensium (c), & fusius Sabas Malaspina (d). Noster, ut levissime de Manfredi scelere dicat, suspiciosum id appellavit; quod item factum reperio a Francisco Pipino Sæculi xiv. auctore *capite* 4. Chronici sui, ubi hanc ait fuisse aliquorum opinionem. Insidias Conradino Conradi filio structas laudati Ricordanus, Villanus, alii referunt, inter quos Matthæus Spinellus Manfredum conficta Conradini morte Regem Panormi coronatum esse tradit. De ejusdem vero Manfredi morte quam pariter Perpinianus narrat & pugna cum Carolo Provinciæ Comite passim iidem Scriptores; etsi de anno discordant; quem fuisse A. MCCLXIV. Chronicon Januense Jacobi de Varagine asserit (e); Joannes Villanus (f) MCCLXV., eumdemque habet Ferretus Vicentinus quem sibi ait *compertum ex veterum scriptis*. Anno insequenti MCCLXVI. consignant Annales Genuenses Caffari (g). Anno MCCLXVII. Chronicon

(a) cap. 146. (b) lib. 6. cap. 44.
(c) Scriptor. Murator. tom. 8.
(d) lib. 1. Histor. cap. 4. (ibid.)
(e) tom. 9. Script. Murat. col. 50.
(f) lib. 7. cap. 9.
(g) tom. 6. Script. Mur. col. 537.

con Pisanum (*a*) diem etiam adnotans 28. mensis Februarii, quem diem habet etiam Villanus. Non enim ita explicandum hunc auctorem putem, quemadmodum explicat Cl. Saxius in adnotamentis ad Sigonium, a quibus discordat Carolus ipse in litteris ad Clementem Papam scriptis & a Raynaldo recitatis (*b*), ubi Veneris diem 26. Februarii designat. Quæ præterea habet Perpinianus de Constantia ejusque actis præsertim cum Bonifacio VIII. Romano Pontifice a quo narrat cum filio Jacobo Rege Aragoniæ in societatem piorum, qua idem Bonifacius eos interdixerat, restitutam, leges apud Hispanicarum & Sicularum rerum Scriptores & Raynaldum (*c*), ceterosque annalium auctores. Ita materno Elisabethæ genere enarrato Perpinianus transit ad paternum; & commemorat præcipue Elisabethæ abavum Petrum II. Regem Aragoniæ propter virtutem animi fortissimum, propter innocentiam sanctissimum, rebusque præclare gestis clarissimum: deinde Jacobum avum quem Pontificiæ majestatis observantissimum vocat: huic ait fuisse matrimonio junctam Violantiam Andreæ Pannoniæ Regis filiam. Denique Petrum ipsum patrem Elisabethæ describit, cujus res gestas ut & superiorum, passim Scriptores Sicularum rerum & Hispanicarum narrant; quibus præsertim

(*a*) ibid. (*b*) ad a. 1267. num. 13.
(*c*) ad annum 1282. 1286. 1297.

celebris est illa provocatio duorum Regum Petri Aragonii, & Caroli. Quis horum provocationis auctor fuerit in incerto est, ut Mariana bene adnotavit (*a*): multo magis varia est narratio de Petro an, & qua de causa pugnæ non adfuerit. *Franci Scriptores*, inquit Mariana, *ignavia factum dicunt simplicesque Gallorum animos decoris specie objecta delusos; cum se Aragonius interjecto spatio viribus & potentia confirmare cuperet. Nostri Scriptores excusant; Petrum a Prætore Burdigalensi admonitum, ut Gallicas insidias caveret; cum justo exercitu Regem Francum propinquare; centum Aragoniis equitibus adversus omnes Francorum copias certamen fore; Francorum quam Aragoniorum auxilia multo esse propinquiora. Tunc Aragonium Regem Burdigalensi galeam, clypeum, hastam, & gladium de manu tradidisse, argumento ad statutum tempus affuisse; & per dispositos equos sese periculo eripuisse in finitimam Cantabriam &c.* Jure hæc Mariana scripsit; neque omnem omnino varietatem attigit, quam Perpinianus luculentius explicavit. Nam præter eos qui ad dictam diem Burdegalæ in campum descendisse Carolum affirmant, Petrum negant: quod faciunt præter Francos Scriptores Ptolemæus Lucensis in Annalibus ad A. MCCLXXXIII. (*b*) & Me-

---

(*a*) lib. 14. de rebus Hispan. cap. 6.
(*b*) tom. 11. Scriptor. Murat. col. 1294.

& Memoriale Poteſtatum Regienſium inter Scriptores Italicos Muratorii recenſitum (*a*); alii narrant Burdegalæ fuiſſe Petrum nocte quæ eam diem antecedebat, atque eo tempore ſe certaminis Prætori ſtitiſſe. Hanc quorumdam opinionem fuiſſe refert Guillelmus de Nangis: *Prima die*, inquit, *Junii Carolus Rex Siciliæ apud Burdegalas pugnaturus contra Petrum Arragoniæ Regem venit modo quo ſibi mandaverat præparatus; ſed non auſus accedere dictus Petrus ut promiſerat: nocte tamen adveniens ſtatutam diem præcedenti cum duobus ſociis, ut tradunt aliqui, loco privato & remoto locutus eſt cum Burdegalis Seneſcallo, prætendens quod ſervare non poterat pactum ſuum, nec auderet propter fortitudinem Regis Franciæ qui ibidem advenerat imminentem*. Ita laudatus auctor ex recenſione Dacherii (*b*). Eadem ferme verba leges in *geſtis Philippi III.* quæ deſcripta dicuntur per *Fratrem Guillemmum de Nangiaco*, edíditque Pithæus (*c*) & Du Cheſnius (*d*). Quam opinionem animadvertit in rei hujus narratione recens Francicæ hiſtoriæ ſcriptor Daniel. Alii die ipſo Petrum Burdegalæ adfuiſſe volunt: quorum pariter non una ſententia eſt, ſed

(*a*) tom. 8. col. 1156.
(*b*) tom. 11. veter. edit. pag. 573.
(*c*) Hiſtor. Francor pag. 405.
(*d*) tom. 5. Hiſtor. Franc. Scriptor, pag. 542.

alii narrant clam apud Præfectum Burdigalæ, se Petrum Aragoniæ Regem professum ne sacramentum violare videretur, continuo magnis itineribus revertisse domum, vel cum eum adfuturum nemo suspicaretur, præfinita die repente constitisse armatum in conspectu omnium, clarissimaque voce Carolum absentem increpitasse & incusasse, circumequitasse etiam paulisper, ac diurnis nocturnisque itineribus revertisse ad suos; quæ erant sententiæ duæ a Perpiniano recitatæ. Primam harum opinionum amplexus est inter paulo vetustiores Scriptores Bartholomæus de Neocastro in *Historia Sicula cap.68.* atque hominum rumoribus circumlatam affirmat Jacchettus Malaspina qui Ricordani historiam aliquantum produxit *cap.* 218. & Villanus *lib.7. cap. 85.* etsi uterque nullatenus adfuisse Petrum existimare videtur. Alteram Fazellus *lib.9. Decad. poster. cap.*1. commemorat, iis tribuens Scriptoribus qui Petro favent; additque testibus etiam advocatis rem confirmatam. Et profecto in Martini IV. vita quam Papebrochius primus protulit in lucem in *Propilæo*, & deinde *tom. 3. Scriptorum rerum Italicarum* Muratorius; cum Jordanus qui perhibetur ejus vitæ auctor narrasset, Carolum ad dictam diem adfuisse, Petrum non adfuisse; atque illam primam opinionem nonnullorum narrasset; *Quidam tamen dicunt eum fuisse locutum in nocte præcedenti diem statutam associatum duo-*

duobus sociis Seneschallo Burdegalensi in loco privato & remoto praetendens quod propter Regis Franciae timorem ibidem praesentis pactum servare non audebat, quidam vitae ejus descriptor haec interseruit quae apud eumdem Papebrochium & Muratorium leguntur: *Auctor iste particulariter loquens super isto negotio non est credendus. Nam verum fuit quod propter Regem Franciae ibi praesentem in defensionem Caroli suo casu, & in offensionem Petri cum duobus sociis tantum adfuit ter per campum currendo, semper clamando, Arago; & in praesentia Notarii publici, infinitis circumstantibus praesentibus eum videntibus dixit: Ego sum Petrus Rex Aragonum comparens ut promisi, neminem contrariorum inveniens, petens a vobis fieri publica instrumenta. Haec est veritas & nulla alia*. Liquet hunc Scriptorem ex iis esse qui vehementius Petro student. Nam Surita veterum Historicorum opiniones colligens (*a*) commemorat tantum eos qui campum circumivisse dicunt, cum nondum Regis personam aperuisset. In Petrum pariter alii propensius studiosi victorem eum pronunciant; ut Hieronymus Blanca in *Aragonens. rer. comment.* (*b*). *Nam*, inquit, *a Carolo competitore, qui strenui principis locum obtinuit, in singulare certamen vocatus impigrum se praebuit*;


(*a*) tom. 1. col. 257. Annal. Aragon.
(*b*) tom. 3. Script. Schotti pag. 659.

- *buit; ac opportuno quamvis insperato tempore non sine magno vitæ periculo, constitutum certaminis locum accurrens, celebrem triumphum ex inimico absente reportavit: cum alioquin quod provocator esset primus eo loco sistere debuisset*. Indices (*a*) rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, præterquamquod Carolum provocationis auctorem faciunt, absfuisse referunt cum Petrus adesset; absentiæ vero caussam tribuunt Papæ interdicto (*b*). Chronicon Parmense (*c*) hanc Papæ legem commemorat, aitque ad constitutum locum Carolum perrexisse: *Sed Dominus Papa non dimisit prœlium etiam excommunicando ipsum Regem, si iret ad ipsum prœlium & ob hoc remansit*. Sed infiniti erimus si Scriptorum dissidia paulo solicitius examinaverimus, juvatque hæc tantum commemorasse ut Perpiniani eximiam diligentiam, & rerum antiquarum peritiam demonstraremus, quod pronum esset facere in ceteris rebus quas attingit. Verum eas præterimus quas habent laudati Scriptores.

IV. Necesse tamen est de iis differere quæ ex eorum temporum historia repetit Perpinianus *pag.* 189. ut ostendat Britannum & Neapolitanum Regem, qui Elisabethæ nuptias petebant, fuisse cognatione junctos ejus Patri Petro aliquanto proximius, quam Dionysius

(*a*) Ibid. pag. 119. (*b*) Ibid. pag. 125.
(*c*) tom. 9. Scriptor. Murator. col. 802.


nyſius Rex Luſitaniæ, atque eam fuiſſe quoque cauſam ut illos, præteriret Petrus, Dionyſium præferret. Quare quod Perpinianus facit, idem curæ erit nobis quoque, Majores illorum Regnm recenſere, donec cognationis hujus caput inveniamus.



Plana hæc ſunt & explicata cùm apud Hiſtoricos præſertim Occitaniæ, tùm apud Genealogicarum rerum, quas vocant, ſcriptores, quales ſunt Jacobus Willelmus Im-Hoff (a), & recens idemque diligens Auctor operis inſcripti *les Genealogies Hiſtoriques* (b). Bene ergo Perpinianus quarto gradu ait Eliſabetham & Eduardum inter ſe fuiſſe conjunctos. Scriptores vero illos qui tradidere Eduardum fuiſſe filium ſororis Alphonſi X. Regis Caſtellæ, putat id extuliſſe quod putarent duas Henricum uxores habuiſſe. Ego illos deceptos puto Eleonoræ nomine, duas nimirum confundentes, atque eam quæ filiam fuit Raimundi Berengarii V. putantes eſſe Eleonoram filiam Ferdinandi III. Regis Caſtellæ atque Alphonſi X. ſororem, quæ tamen nupſit Eduardo I. non Henrico III. hujus patri, Tranſit Perpinianus ad explicandam cognationem quæ intercedebat Eliſabethæ cum Carolo Martello. Hanc duplicem fuiſſe ait ex paterno, & ex materno genere, atque utramque nos hic repræſentamus.


Alphon-

(a) Hiſtoria Italiæ & Hipſaniæ Geneal.
(b) tom. 4. tab. 99. pag. 492.




Hoc item apud Anonymum Gallum *tomo* 3. *tab*. 33. & 68., alioſque Auctores uberius diductum explicatumque invenies. Nos enim ea tantum attingimus quæ ad rem noſtram faciunt. Ex Bonfinio de rebus Ungaricis aliiſque Hiſto-


ricis & Genealogicis Scriptoribus hanc item Elisabethæ cum Carolo Martello cognationem habes.



Hinc Bene Perpinianus collegit Elisabetham, Mariam Caroli Martelli & Roberti matrem tertio gradu propinquitatis attigisse. Expediemus hic reliqua quæ sunt ejusdem generis. Ac ille quidem paulo post Castellæ Reges commemorat ab Alphonso X. qui ob Astronomiæ scientiam Sapientis nomen invenit.




Addamus de Aragoniæ Regibus, & Regibus Luſitaniæ, quos etſi ſupra recenſuimus, tamen hic eorum ſeriem exhibebimus, quos Perpinianus in Eliſabethæ vita commemorat *pag.* 244.



Jacobus I. is fuit qui domi suæ educavit Elisabetham; moritur autem ut Perpinianus *p.* 182. a. 1276.

Alphon-



Non omnia capita numeramus, ſed eos recenſemus dumtaxat quos commemorat, vel indicat Perpinianus. Alphonſus III. obiit xiv. Kalendas Martii, ſive die 16. Februari Anno mcclxxix. ut Brandanus *lib.* 5., *Souſa tom.* 1. *p.* 163., Bollandiani *tom.* 2. *Julii p.* 176. eodemque die Luſitaniæ Regnum pervenit ad Dionyſium

filium ut Sousa tradit *pag.* 196. Perpinianus tamen *pag.* 184. mense Martio Dionysium ait Regem salutatum. Juvabunt hæc ad ea intelligenda quæ Perpinianus narrat præsertim *lib.* 2. *vitæ Sanctæ Elisabethæ*; invenies vero facile (nam nulla ferme de iis disceptatio est) apud sæpe laudatos Auctores, quorum qui historiam scribunt ea quoque tradunt, quæ de his Regibus aut Regum filiis Perpinianus commemorat, ut Joannes Mariana *lib.* 13. *&* 14.; quem Scriptorem hic allegamus, quod ejus nomen amplum sit & apud Italos & apud Hispanos; ut non possim non mirari quid in mentem venerit recentiori Scriptori nescio cui, qui se ejus obtrectatorem palam professus est.

§. II.

1. *De S. Elisabethæ rebus gestis quas laudationis libro I. complectitur Perpinianus, narratque in Vita: oblationis mos ad altare factæ: de numero* XIII. *pauperum quibus in Cœna Domini pedes lavantur: Benedicti XI. laudes: modi duo quibus animæ purganti igne cruciatæ visæ dicuntur.* 2. 3. *de reliquis quæ cùm in laudationis libris tum in vita exequitur: annus mortis S. Elisabethæ perperam a nonnullis consignatus.*

I. Ex

I. EX iis quæ hactenus persecuti sumus, ut opinor, constabit, quantam in vita Elisabethæ pertexenda, diligentiam Perpinianus adhibuerit; neque in eo ut recte scriberet rerum scientiam, atque eruditionem defuisse: quare si his rebus quæ necessario in historico postulantur addidit sermonis elegantiam atque eloquentiam illam suam eximiam & singularem, vitio hoc illi vertendum non fuisse. Amo itaque *Agiographos*, qui Actis sanctorum hominum eruendis ex antiquitatis tenebris illustrandisque egregiam atque Ecclesiæ utilissimam operam navant; laudo diligentiam; libertatem etiam loquendi & judicandi probo: mallem tamen æquiores fuissent Perpiniano nostro, quem suspicor ab iis paulo negligentius fuisse lectum. Nam si quæ eorum propria est sedulitatem adhibuissent, potuissent multa cognitu præclara atque ipsi Elisabethæ perhonorifica commentario prævio ad ejus vitam inseruisse; ac præsertim de cultus ejus initiis sive antiquioribus incrementis quæ Perpinianus persequitur in *Vita pag.* 379. Potuissent etiam præter ea quæ attulerunt, rerum quæ miræ existimantur atque Elisabethæ precibus debentur, amplam segetem vel ex Perpiniano decerpere; inter quas cujusdam se testem fuisse profitetur *pag.* 389. Sed nobis id, ad adolescentium utilitatem, instituto nostro faciendum est ut

breviter cùm orationes ipsas tum vitam percurramus. Quoniam autem eædem ferme res utrobique continentur, opus utrumque committemus inter se ita ut quæ in vita exequitur, iis quæ in orationibus dilatat & oratorie explicat, aptemus. Antea vitæ proemium brevi repræsentamus quod est hujusmodi. Providenter sane a Deo factum, ut cum vir & femina ad generis propagationem necessarii essent, atque hæc subjicienda alteri videretur, ut æquiori animo pateretur illius imperium, imbecilliorem factam: itaque mirabiliorem censendam virtutem feminarum quam virorum, atque etiam dignam quæ hominum litteris prædicaretur: mirandum esse, nequaquam multos extitisse qui sanctissimarum feminarum res gestas prôderent, scriptoque consignarent: sibi animum non deesse sed vires; unius ego tantum aggredi vitam conscribere idest S. Elisabethæ: hanc cur potissimum delegerit, plures se habere caussas; 1. quia Hispanorum hominum qui vitæ sanctitate floruerunt nunc vix nomina edere possimus: adeo obscurata tenebris sunt omnia; 2. quod ab ejus avo patria sua liberata sit miserrima Saracenorum servitute; 3. merita in Sodalitatem nostram Joannis III. Lusitaniæ Regis qui illam summopere coluit; 4. amorem suum in Conimbricensem Academiam quam Dionysius Elisabethæ conjux fundavit. Hæc ut dixi in Vitæ proemio. Orationem vero pri-

mam,

mam, sive ut ipse vocat, laudationis in B. Elisabetham librum primum exorditur Perpinianus a lætitia quæ diem Elisabethæ sacrum deceat, a tenuitate orationis suæ, & æstivi caloris molestia, quæ levanda est audiendi voluptate. Ait id, si minus ipse præstare facultate sua possit, magnitudinem tamen rerum ab Elisabetha gestarum efficere posse; quæ licet bella sive militaria nulla facta contineant, sunt tamen hujusmodi quas æqui rerum æstimatores admirentur, atque etiam bellicarum rerum studiosi; cum bellum quoddam ipsa quoque gesserit cum rerum humanarum inconstantia & varietate, cum effrenatis cupiditatibus &c.; quale bellum sanctissimi alii viri gesserunt. *Pag.* 7. de nobilitate generis & patriæ dicere aggreditur, etsi totum id potius contemnendum quam prædicandum videatur. Elisabethæ genus, ut diximus, explicavit luculenter in vita. *Pag.* 11. narrat Elisabetham prodiisse membrana tectam & involutam omni ex parte; quod item fusius habet in vita *pag.* 177. Hoc veluti mirum quoddam & ad memoriam insigne prædicant ejusdem vitæ scriptores alii; ut Auctor anonymus vitæ quam Bollandiani exhibuere *num.* 4. (*a*) & Waddingus in annalibus Minorum ad a. 1271. *num.* 15. (*b*). Tempus ortus

(*a*) tom. 2. Jul. pag. 173.
(*b*) tom. 4. pag. 337.

ortus Elisabethæ adnotat Perpinianus fuisse ab ortu Christi MCCLXXI., a Cæsare (æra nimirum Hispanica de qua superius) MCCCIX. *Pag.* 12. & 182. ab Jacobo avo educatam refert; atque oratione prima ad hunc locum de educationis vi ad animum imbuendum virtute, multa. Hunc vero avum ejus educatorem atque altorem decessisse ait cum Elisabetha annum ageret IX, ita *pag.* 15. At in vita *pag.* 182. diligentius subducens rationes scribit; *Sex circiter annos ad summum habebat Elisabetha cum Rex Jacobus exiit e vita: nam hic obiit a partu Virginis* MCCLXXVI. *illa* LXXI. *edita fuerat in lucem*. Convenit cum hac postrema narratione Waddingus *num.* 16. & Bollandiani. Itaque Elisabetha a Petro patre deducta est domum. Describit *orat.* I. sanctitatem morum prima illa ætate, atque amplificat a contrario: *Ceteras Virgines videmus ab ipsis incunabulis ita comptas & ornatas, tam multis pigmentis & fucis oblitas, ut non natæ, sed Apellis alicujus arte factæ esse videantur; dant se in conspectum hominum &c.* Sanctissimis illis moribus tantum famam valuisse narrat apud Patrem ut quicquid esset prospere gestum, filiæ continentiæ ac probitati referret acceptum; idemque habet in vita *pag.* 183. Cum adolevisset mittuntur legati a Regibus Britanniæ, Apuliæ, Lusitaniæ qui sibi eam uxorem postulant. Dionysii Lusitaniæ Regis Legati qui fuerint,

rint, nominat in vita, scilicet Joannem Vellium, Joànnem Martinium, Vascum Pirium. Pirezium postremum vocat Waddingus ad a. 1282. *num.* 13. (a) primum Joannem Velho. Ita Vasconcellus, & Curita. Sousa *pag.* 212. patria lingua sic eos nominat Joannem *Velho*, Joannem *Martins* Vascum *Pires*. In litteris ipsis quibus id est negotii datum a Dionysio Rege vocantur Joannes Vetulus, Joannes Martini, Valascus Petri: eas hic damus quales laudatus Sousa exhibet.

Noverint universi, quod nos Dionysius Dei gratia Rex Portugalliæ, & Algarbii ex certa scientia statuimus, facimus, & ordinamus, vos Joannem Vetulum, & Joannem Martini, & Valascum Petri vassalos nostros, omnes insimul, & quemlibet vestrum in solidum procuratores nostros certos, & speciales ad tractandum cum illustri P. Dei gratia Rege Aragon. de matrimonio contrahendo inter nos, & Elisabeth filiam majorem prædicti Regis, & etiam ad contrahendum nomine nostro matrimonium per verba de præsenti, vel sponsalia per verba de futuro cum prædicta Elisabeth, & ad consentiendum in ipsam quod sit uxor nostrá vel sponsa, & ad recipiendum etiam consensum ex parte ipsius Elisabeth, quod nos simus maritus ejusdem, vel sponsus, & ad conveniendum cum prædicto Rege Aragon. super dote ab ipso nobis dan-

(a) tom. 5. pag. 114.

danda, & solvenda pro prædicta filia sua, & ad recipiendam solutionem ipsius dotis si vobis fieret, & ad recipiendam etiam securitatem, & obligationem pro prædicta dote nobis solvenda, & ad faciendum etiam ex parte nostri prædictæ Elisabeth donationem propter nuptias, si necesse fuerit, & secundum quod vobis videatur expedire, & ad faciendum ex parte mei prædicto illustri Regi Aragon. promissionem, & securitatem pro prædicto matrimonio contrahendo, & pro donatione propter nuptias assignanda, & ad securanda ejusdem cum juramento, & homagio quod in anima nostri, & pro nobis facere possitis, & ad recipiendum etiam promissionem, & securitatem ab eodem Rege Aragon. quod prædictum matrimonium, seu desponsatio fiat inter nos, & dictam filiam suam, & ad faciendum omnia alia super prædictis quæcumque nos possemus facere si præsens essemus, promittentes bona fide nos semper habere ratum, & firmum quidquid per vos, vel per alterum unum super prædictis omnibus, & singulis actum, & procuratum fuerit, & nullo tempore recusabimus, nec contraveniemus. In cuius rei testimonium præsens procuratorium vobis tradimus, sigillo nostro majori sigillatum. Datum apud Stremoz XII. *die Novemb. Rege mandante, Arias Martini notavit. Era* MCCCXIX.

Cui petitioni præfatus Dominus Rex Aragon. annuens concessit eisdem procuratoribus se daturum

turum eidem Domino Regi Portugalliæ præfatam filiam suam in uxorem, & tam ipsa Domina Elisabeth de consensu præfati Domini Regis Aragon. patris sui, & D. Constantiæ Reginæ Aragon. matris suæ, quod dicti procuratotores pro præfato Rege Portugalliæ autoritate procurationis prædictæ contraxerint matrimonium per verba de præsenti sub hac forma.

Ego Elisabeth filia Excellentis D. Petri Dei gratia Illustris Regis Aragon. trado corpus meum in uxorem legitimam Domino Dionysio Dei gratia Regi Portugalliæ, & Algarbii absenti, & consensum meum sub ipso matrimonio vobis Procuratoribus prædictis pro bono nomine dicti Domini Regis Portugalliæ. Versa vice nos prædicti Procuratores auctoritate dicti mandati super ipso matrimonio consensum vestrum dictæ Dominæ Elisabeth accipimus, & auctoritate procurationis prædictæ damus corpus prædicti Domini Regis vobis in legalem maritum, & consensum ejus nomine Procuratorum super hoc præbemus. Promiserunt etiam sibi ad invicem tam dictus Dominus Rex Aragon. quam dicti Procuratores nomine dicti Regis Portugalliæ quod si forte prædictum matrimonium non valeret per verba de præsenti, quod valeat ut sponsalia per verba de futuro. Promiserunt autem Procuratores prædicti D. Regi Aragon. quod prædicta omnia compleantur infra biennium pro parte dicti D. Regis Portugalliæ salvo quod medio tempore possit fieri quodcumque prædictus

Rex

Rex Portug. voluerit. Pro quibus attendendis & complendis dicti Procuratores fecerunt homagium Domino Regi, & juraverunt per Deum, & ejus sancta quatuor Evangelia in anima ipsius Regis Portug. prædicta omnia, & singula per prædictum Regem Portug. attendi facere, & compleri intra terminum prædictum; & promiserunt nihilominus quod dictus Rex Portug. assignabit in dictis locis congruis præfatæ Dominæ Elisabeth sponsalitium suum prout in Regno Portug. aliis Reginis est fieri consuetum. Præfatus etiam Dominus Rex Aragon. promisit prædicta attendi facere, & compleri. Acta fuerunt hæc Barch. & palatio D. Regis die, & anno supradictis, præsentibus testibus, Jacobo Dei gratia Episcopo Valent. Ugon. de Mataplana præposito Marsilic. Bened. de Olorda Sachrista Barch. Magistro Roderico de Bisulduno Archidiacono Terracon. in Ecclesia Alerdens. Joanne de Procida. A. de Turri Canonico Barchinon. Blasio exide Aierb. Blasio Petri Azlor, & Bened. de Mont. Paront. signum † Petri Marchesii Notarii publici.

Quod in Vita *pag.* 188. Petrum deliberantem inducit, cuinam filiam concedat, non ad arbitrium fictum, sed hoc antiquus vitæ scriptor narrat apud Bollandianos *n.* 10. Magis ad Oratorum ingenium *orat.* 1. *pag.* 18. inducit Elisabetham secum statuentem vitæ rationem in matrimonio servandam; cum nuptiis Dionysii consensisset non tam nubendi studio, quam patri

patri morem gerendi voluntate. In vita *pag.* 193. iter Elisabethæ ex Aragonia in Lusitaniam ad virum describit; cumque maritimum apparatum esset, Petrus voluntate commutata, terra fieri jussit idem Bollandianus scriptor *num.* 12. *&* 13. Atque ambo pariter eam Patrem longius prosecutum, Sancium vero amitinum suum excipientem ad Castellæ fines describunt. Deinceps Perpinianus cum in laudatione, tum in Vita Elisabethæ virtutes narrat. *Pag.* 19. vitæ rationem, atque horarum partitionem describit, & ejus vitam cum Virginum vita qui in Monasteriis degunt comparat. De pietate atque animi demissione hæc in vita *pag.* 200. *Intererat Sacrificio non solum valde pie, verum etiam suppliciter atque demisse; accedebat ad altaris gradus decantato symbolo Apostolorum, ut ferebant instituta mosque Majorum, & in genua procumbens, osculansque manus sacerdoti certam pecuniam offerebat modo majorem modo minorem, ut diei ratio postulare videretur; nec sibi Regina turpe esse ducebat, quod his miseris temporibus quævis muliercula probrosum & ignominiosum putat: videlicet non dignitas & amplitudo, sed stulta quædam hominum opinio sanctissimis Ecclesiæ moribus adversatur.* Uberius *laudat.* 1. *pag.* 20. *Quæ omnium erat, excepto Rege, dignitate princeps, genere nobilissima, jure atque imperio regina; in cujus conspectu stabant aperto capi-*
te

te viri clarissimi, quacum nemo nisi flexo genu & submisso loquebatur: hæc ubi Sacerdos recitato symbolo fidei, constiterat in gradibus aræ, corpore quidem erecta, sed mente atque animo tremens accedebat, procumbebat ad ejus pedes in genua, manum exosculabatur, offerebat pro tempore dieque tantum. O animum vere magnum & excelsum! o divini Numinis nunquam auditam reverentiam! o pietatem egregiam & his miseris Reip. Christianæ temporibus inusitatam! Quotus enim quisque, non de Regibus dico, non de iis qui ceteris excellunt dignitate & imperio, non de nobilibus qui natalium claritatem oratione magnifice, Majorumque facta jactant; sed de iis numerum aliquem & locum obtinere volunt; quotus quisque reperietur, qui hoc facere audeat? Accedunt jam ex omnibus templi partibus viri gregatim ac feminæ; verum de media plebe, de mediis opificum gregibus, de numero eorum qui propter opum tenuitatem in obscuro sunt: si qui adsunt elegantius paulo culti; si qui majoris pretii quam reliqua multitudo, volunt videri, illi sedent ut ante faciebant, alienum id a sua gravitate existimantes; illos pios esse, religionisque colentes pudet. Ita jam antiquissimus ille mos Ecclesiæ, quem Maiores sanctissime semper coluerunt, repudiatus a summis, spretus a mediocribus, in ea quam dixi, humilitate & obscuritate consedit: multis vero locis, hominum insolentia penitus sublatus e medio & extinctus est.

Expli-

Explicat hic Perpinianus sacrum ritum quemdam, oblationem nimirum factam pecuniæ, quæ antiquissimæ oblationi panis & vini successit, vel quod non amplius ex oblato pane & vino Sacerdotes sacrificarent, sed majori cura efformandum ipsi putarent; vel *quia populo non communicante*, ut ait Honorius Augustodunensis (*a*) scriptor sæculi XII. *non erat necesse panem tam magnum fieri*: atque addit. *Statutum est, eum* (panem) *in modum denarii formari vel fieri, & ut populus pro oblatione farinæ, denarios offerrent, pro quibus traditum Dominum cognoscerent; qui tamen denarii in usum pauperum qui merita sunt Christi cederent, vel in aliquid quod ad hoc sacrificium pertineret*. Oblationem hic farinæ Honorius commemorat; nam eam quoque olim in consuetudinem receptam docent. Ceterum ipse oblationis hujus pecuniariæ testis est; quam indicare videtur, illo antiquior & superiori sæculo vivens S. Petrus Damiani *lib.* 5. *ep.* 13. scribens ad Capellanos Gothifredi Ducis, idque sibi hoc objectum inter cetera narrat; *Missarum mihi mysteria celebranti uxores Principum, Ducis scilicet & Marchionis Bizanteos obtulerunt; quos utique monachus noster Paulus oblatis mysteriis apud altare nobiscum foras prodiens dereliquit*. Quamquam illius pecuniæ a Damiano facta rejectio & calumnia Ca-

T t pellano-

(*a*) in *Gemma animæ* lib. 1. ca. 66.

pellanorum, ut Christianus Lupus animadvertit (*a*), ostendit id male tunc oluisse; adeoque rei novitatem declarare videtur. Sæculo tamen Reginæ nostræ Elisabethæ, idest XIII. *jam passim oblationem panis in pecuniam conversam esse* ait Martene (*b*). Christianus Lupus *in scholiis ad can.* XIII. *Concilii Romani V.* verbis illis Innocentii *lib. 2. de Sacrif. Missæ cap. 53. dum cantatur offertorium Sacerdos accipit oblationes a populis vel hostias a ministris;* cum oblationes populi distinguantur ab hostiis, *non panem & vinum sed denarios* significari arbitratur. Utcumque sit, luculentum hujusce rei hac ætate testimonium exhibet S. Elisabethæ exemplum, quod ex antiquis monumentis non vereor ut Perpinianus collegerit; licet vetus scriptor Bollandianus munera tantum oblata significet scribens *num.* 48. *Ad audiendum Missam quotidianam accedebat Regina, magna cum humilitate flexis genibus coram Sacerdote qui Missam celebrabat, deosculans ejus manus & offerens munus suum ante altare, ab ea solitum offerri in qualibet die, quam oblationem augebat secundum qualitatem festivitatis. Pag.* 22.&201. sanctissimæ Reginæ jejunia & corporis afflictationes explicat: singulare vero factum in vita narrat *p.*203. cum medici præscripsissent

(*a*) Dissertat. 2. proemial. de Simon. cap 11. tom.4. Oper. pag.85.

(*b*) lib. 1. de antiquis Ecclesiæ rit. cap. 4. art.6.

ſent ut modicum vinum adhiberet ob valetudinem infirmam & perditam, idque illa facere negaret; aquam in vinum eſſe converſam. *Pag.*24. hinc ortam ait animi modeſtiam, & patientiam injuriarum. Virtute vero egregia uſa eſt in mariti amoribus perferendis. Narrat id etiam *pag.* 229. & 26. atque hoc poſtremo loco amplificat a diſſimilitudine morum in aliis feminis. Nec ſolum injuriam hanc tulit, ſed ipſa domi ſuæ e pellice ſuſceptum filium educavit. Fructum vero tulit patientiæ ſuæ amplum atque uberem, cum ejus vitute victus reſipuit Dionyſius (*pag.*26. *&* 232.). Narrat id Scriptor Bollandianus *num.* 24. *&c.* & Vvaddingus *ad a.* 1311. *num.*10. (*a*). Perpinianus *pag.*29. de Eliſabethæ pietate; *Sæpenumero de peccatis confitebatur apud Sacerdotem; ſtatis temporibus ſacrum cæleſtemque panem, corpus Chriſti O.M., mirifico ſenſu quodam dolorum quos ille noſtra cauſa pertulit, ſumebat, non tam raro quam noſtra, ut quidam volunt reverentia; ut res ipſa indicat, iners & ſomniculoſa negligentia conſuevit.* Ter in anno Euchariſtiam ſumpſiſſe vetus Scriptor ſignificat *num.*54.*Eadem Regina prædicta multoties confitebatur confeſſoribus ſuis & nunquam prætermittebat, quominus in feſtivitatibus Nativitatis Paſchatis, & Pente-*

Tt 2 *coſtes*

(*a*) tom. 6. pag. 187.

costes reciperet sanctum Eucharistiæ Sacramentum magna cum humilitate & reverentia : Hoc ipse Perpinianus in vita *p.*304. narrat atque a temporum conditione excusat : addit tamen præclara exempla de frequentia Eucharistiæ ex antiquis litterarum monumentis , in quibus perscriptum est ; in castellis & propugnaculis quæ objecta erant barbaris nationibus præsidia equitum lectissimorum inter cetera pietatis egregia opera consuevisse omnibus Dominicis festisque diebus, perpurgatis & præparatis confessione animis, ad sacram Synaxim accedere ; atque ei consentit qui putat eam rem potissimum & promeritam esse auxilia cælestia , & victorias peperisse tam multas , tam insignes , tam inopinatas . Præterea idem ait meminisse se legere in historia pervetusta Castellanorum Regum ; ac de victoriis hoc præsidio partis multa . Deinceps Perpinianus cùm in laudatione *pag.*30. tum in vita *pag* 208. de ejus misericordia ac liberalitate agit . Illud animadvertendum : *quadragenario jejunio omnibus Veneris diebus* XIII. *viros inopes elephantiasi confectos convocandos , & in suas ædes occulte curabat deducendos : lavabat eis pedes , & hoc incredibili officio recreatos , stipe auctos , & ornatos abire jubebat .* Deinde de numero hoc disserit : *Numeri certe causam si quis forte curat curiosius, non dubitabo affirmare , licet hoc nunquam scriptum invene-*

venerim, ideo tredecim solitos vocari. quod hic numerus imaginem quamdam illius SS. Collegii, Christi hominum liberatoris & duodecim Apostolorum exprimebat. De hoc pauperum numero, quibus feria V. in cœna Domini pedes lavari consueverunt, ut constat ex veterum exemplis & libris liturgicis Romanæ Ecclesiæ, disseruere Orlendus, Sarnellus, atque auctor anonymus libri inscripti *Pedilavium*. Non est tamen constans ubique locorum hic numerus, ut patet ex Martene in *lib. de antiquis Monachorum ritibus*, & Græcorum more quem Orlendus *cap.* 4. commemorat: quod postremi illius Scriptoris anonymi opinionem infirmare videtur, qui ex antiqua & generali consuetudine colligit Christum Dominum revera tredecim discipulis suis lavisse pedes; atque ex Christi facto hunc usum manasse. Certe Perpiniani nostri opinio, ratioque allata numeri illius placet Alcuino, Ruperto, Durando, aliisque multis; & ex recentioribus Sarnello, Bonannio, Martene, cui omnes illo XIII. Christum repræsentari, qui Magdalena pedes lavit, arbitrantur. Perpinianus *pag.*32. & 217. Cœnobia, brephotorium, aliaque opera ab Elisabetha ædificata tota, vel cum essent ab aliis inchoata, ab ea perfecta narrat. Deinde de miris rebus a Regina patratis disserit: antea tamen eleganter vilem sanctissimorum hominum habitum comparat cum aliorum fastu. *Pag.* 35.
in

in ea eminere atque excellere demonſtrat ſtudium curamque in componendis diſſidiis. Ejus opera reconciliatum Alphonſo fratri Dionyſium refert, ſedatumque bellum inter Ferdinandum Caſtellæ Regem & Dionyſium. Hîc liber primus deſinit vitæ S. Eliſabethæ. In laudationis libro primo plura complectitur; nimirum qua ratione Alphonſum filium ſuum Patri bellum inferentem cum Dionyſio conciliarit: ut improborum vocibus excitatus Dionyſius quaſi ulciſcendi filii ab ea ſibi libertas adimeretur, in Eliſabetham exarſerit eamque relegaverit Jerabricam; ut poſtea hæc reſtituta a Rege fuerit, & recrudeſcentibus cum filio diſſidiis ea compoſuerit: ac tandem cum vehementius erupiſſent, bellumque eſſet utrinque apparatum, concurrentes pene acies Eliſabetha compreſſerit, bellumque & cauſam omnem belli extinxerit. Hæc Perpinianus eleganter amplificat. *Pag.* 41. inducit Præfectos alioſque regni proceres auxilium Eliſabethæ offerentes quo tempore amandata illa erat Jerabricam; hujus vero patientiam repreſentat dialogiſmo. *Pag.* 26. pugnæ inſtaurationem deſcribit egregia hypotyposi: *Fit obviam venienti cum delecta juvenum manu Dionyſius ad Lauras, illi progredi conari; hi conantibus reſiſtere: inſtruitur utrinque acies; dimicatur: pater ætate gravis in filium ſuos hortabatur; ex altera parte filius adoleſcentiæ viribus ferox in patrem cornua dirige-*

rigebat &c. Uberius hæc exhibet *Vitæ lib.2.* in quo caufas exponit belli inter Jacobum Aragoniæ Regem, & Ferdinandum Caftellæ, ubi de bello a Sanctio illato ejus patri Alphonfo X. Caftellæ Regi, quæ item leges apud ceteros Hiftoricos. *Pag.*250. Elifabethæ præclaram orationem pro conciliandis Principibus affert; cui narrat utilem operam pofuiffe Benedictum XI., de quo Pontifice hæc *pag.* 252. *Erat ille annus* MCCCIII. *ab ortu Chrifti, quo anno Benedictus XI. hoc nomine poft Bonifacii VIII. mortem legitime creatus Romanus Pontifex præerat Chriftianis Sacris. Fuit ille virtute præftanti qui matrem in bombycina vefte non agnovit, mox ad ejufdem obfoletiore veftitu venientis complexum ac ofculum modo non cucurrit. Sufcepto Pontificatu ftudio quodam & amore pacis flagrans nihil habuit antiquius, quam ut Ecclefiam novis & perniciofis feditionibus miferabiliter diftractam conciliaret rurfum atque conjungeret &c.* Hæc leges apud S. Antoninum (*a*), Albertum Krantzium (*b*) Bonifacium (*c*) Leandrum &c. . Sed & pacis ftudiofiffimum Benedictum prædicat idem S. Antoninus ac præterea Joannes Villanus (*d*). Pontificis hujus opera factum ait

(*a*) Chronic. par. 3. tit. 20. cap. 9.
(*b*) lib. 8. metrop. 5. cap 46. pag. 224.
(*c*) Hiftoriæ Tarvifinæ lib. 6.
(*d*) lib. 8. cap. 66.

ait Perpinianus ut res ad Dionysium velut arbitrum deferretur. Mariana (*a*) præter Dionysium judices ait constitutos Ioannem Ferdinandi patruum & Semenum Luna Cæsaraugustanum Episcopum. Sousa (*b*) diploma affert quo id ipsum plane constat: nihilominus Dionysium solum nominat etiam vetus Scriptor vitæ *num.* 30. &c. *Pag.* 259. Perpinianus quædam narrat ut ipse fatetur aliena a discordiis placandis; sed que in hoc tempus inciderunt; præsertim Urrachæ Vaschiæ miram sanationem; Anachoritæ visum oblatum de Constantia filia Elisabethæ quæ igne purgante gravissime torqueretur, ac posset facile liberari si anno toto per Sacerdotem integrum & castum pro ea fieret. Factum id esse & ipse refert & auctor Bollandianus *num.* 17. & Vvaddingus *ad an.* 1311. *num.* 21. (*c*). Sed pia eademque docta animadversio Perpiniani est; *Equidem intelligo non defuturos, quibus commentitium hoc atque fictum videatur & Poetarum fabulis non dissimile, ut jam tum visum fuit omnibus, qui erant in Reginæ comitatu. Sed non video cur incredibile putetur: sive ipse animus Constantiæ ab illis inferioris regionibus, ubi igne purgante cruciata pendebat suorum peccatorum pœnas, tantisper*

(*a*) lib. 15. cap. 7.
(*b*) tom. 1. *Provas.* pag. 71.
(*c*) tom. 6. pag. 191.

tisper divina voluntate remeavit ad superos, dum opem sibi aliquam & auxilium exposceret; quod & fieri posse & aliquando usuvenire, omnium pæne TT. ac sanctorum hominum monimenta testantur: sive, Constantia ipsa nesciente, & in suo illo carcere manente, in quem fuerat judicio detrusa, Angeli, Dei jussu, quamdam ejus imaginem & speciem inanem Anachoritæ dormientis animo obtulerunt, quæ subsidium Constantiæ necessarium postulare videretur; quod & S. Augustinus, & ceteri Scriptores divinarum rerum, cùm doctrina, tùm pietate præstantes sæpius evenire solere tradiderunt. Duos Noster hic modos attingit quibus visa hujusmodi evenire posse putat; atque utrumque Augustinus ab eo allegatus confirmat. Nam in libro *de cura gerenda pro mortuis cap.* 10. *num.* 12. (*a*) ubi veritatem hujusmodi visorum quæ narrantur asseruit scribens; *Hæc si falsa esse responderimus; contra quorumdam scripta fidelium, & contra eorum sensus qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur,* subdit; *Angelicis operationibus fieri crediderim, sive permittatur desuper, sive jubeatur &c.* De apparitionibus vero Martyrum differens *num.* 20. quos ait *non solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum adspectibus apparuisse,* adjicit, dubitans; *an ipsis in loco suis meritis*

Vu *con-*

(*a*) tom. 6. Oper. col. 523.

congruo ab omni mortalium conversatione remotis, & tamen generaliter orantibus, pro indigentiis supplicantium Deus omnipotens exaudiens Martyrum preces per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia; an vero utrumque sit ut aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum; id, ait se *definire non audere, malle a scientibus ista perquirere*. Eadem ratio valet de iis qui purgatorio igne torquentur. Tractant hæc Theologi præsertim Petrus Thyræus in libro *de apparitionibus*, nec non interpretes sacrorum librorum *ad lib.* 1. *Regum cap.* 28. Agit deinceps Perpinianus in vita *pag.* 263. de dissidiis inter Dionysium ejusque filium; hunc Elisabethæ opera e Patris manibus ereptum narrat: *pag.* 270. habet orationem Reginæ ad filium ut eum a bello adversus Patrem deterreat: sequitur belli apparatus, offensio Dionysii in Reginam, atque hujus relegatio, bellum Dionysii & Alphonsi, Elisabethæ ad id sedandum opera. *Pag.* 283. *novæ* contentiones Patrem inter & filium; pugna imminens; Elisabethæ accursus inter medias acies, preces ad utrumque & nova rerum compositio: demum *pag.* 288. res miræ ab Elisabetha patratæ. Quæ deinde sequuntur in vita, explicat Perpinianus in altera laudatione.

II. In exordio secundæ hujus orationis Joan-

Joannis III. qui Elisabethæ cultum augendum curavit virtutes laudesque exequitur. *Pag.* 56. magnitudinem rerum quæ ad dicendum restant multo majorem ostendit comparatione. Ut enim militi exercitatione atque usu fit accessio virtutis, ita & in hac quasi sacra militia evenit; præsertim cum charitati non item ut in ceteris rebus sit certus constitutus magnitudinis modus. *Pag.* 60. quoniam B. Elisabethæ vita in quatuor tempora tribui commode potest, pueritiæ, matrimonii, viduitatis, obitus; tertiam ait hic se exequi; ac de extremo Dionysii morbo & Elisabethæ cura dicere aggreditur ab aliarum dissimlitudine: exponit etiam orationem Dionysii, ut eam a famulatu avocet atque hujus responsionem: idem habet in vita *pag.* 391. *Pag.* 65. Elisabethæ in mariti obitu pietatem constantiamque declarat; utque continuo vestem induxerit S. Claræ: sic etiam in vita, *pag.* 293. loquentem eam inducens secumque statuentem novam vitæ rationem. Quod vero ait, id jamdiu decrevisse si viro superstes viveret, ut reliquam vitam vili, & obsoleto habitu, qualem sancta Clara suis virginibus reliquisset sibi conficere liceret, atque hoc animo jam multos annos vestem ex eo genere factam domi servare, non oratorie a Perpiniano sive de ingenio suo dici sed juxta priscorum monumentorum fidem, constat ex ipsius sanctissi-

ctissimæ Reginæ litteris quas Sousa (a) producit, nosque hic afferemus.

In nomine Domini amen. Noverint universi præsentes nostras litteras inspecturi, quod nos Elisabeth Dei gratia Regina Portugalii & Algarbii ad declarationem conservationem & defensionem status bonorum & jurium nostrorum dicimus, denunciamus, & protestamus expresse: quod si contingat nos de hac vita migrare superstite & relicto serenissimo Principe & Domino Domino Dionysio Dei gratia illustri Rege Portugaliæ, & Algarbii marito nostro legitimo, quod cum nodosa cordula habiti (b) *ad cingendum & cum quadam veste in una nostra archa repositis, quæ videtur esse de habitu, & ad instar habitus sororum seu monialium Ordinis sanctæ Claræ, volumus & intendimus sepeliri in Monasterio sanctæ Claræ apud Colimbriam, & de nostris bonis destribui, prout apparebit in testamento nostro plenius contineri. Si vero præfatum Dominum maritum nostrum præmori, quod absit, & post ipsum vivere nos contingat, volumus, proponimus, & intendimus prædictas vestem & cordulam ac velum viduitatis, licet instar habeat* (c) *Ordinis supradicti, assumere, accipere, & induere, non in habitum religiosum probatorium, vel professorum, nec*

(a) tom. 1. *Provas* num. 14. pag. 113.
(b) Vvadd. *habili*.
(c) Vvadd. *habitus*.

nec causa probationis , vel professionis , seu obedientiæ alicujus Ordinis regulæ vel personæ, sed solum causa , & in signum viduitatis & humilitatis illis [a] , intentione , mente , corde & animo , ut quandocumque & quotiescumque voluerimus , possimus libere & licite demittere sine nota , & alias quascumque sæculares & laicales quas nobis competere viderimus & voluerimus assumere , & inducere , & de nostris rebus , bonis , juribus , & persona disponere , & facere libere velle nostrum , quodque licet hujusmodi cordulam , vestem , & velum , ut præmittitur assumere , & induere , proponamus , tamen pannos lineos , quibus ad præsens utimur , & uti consuevimus , & alia nobis sæculari & laicæ viduæ competentia non intendimus demittere , sed prout voluerimus illis uti . Quodque dominas , & domicellas laicas & sæculares , ac prout decens viderimus , solitam domum nostram tenere , & nutrire , & de bonis nostris propriis quando nobis videbitur [b] hujusmodi domicellas & dominas maritare , & in castris , & locis nostris , & alibi quando , & ubi inter ipsas prout voluerimus vivere proponimus , & intendimus temporibus successivis , quibus Deus dederit nobis vitam . Quodque votum aliquod simplex , vel solemne , tacitum . vel expressum , sive professionem , aut

(a) sic Sousa , Vvadd. , *illa* .
(b) Vvadd. *videtur* .

aut obedientiam, non emisimus, nec fecimus & in receptione cordulæ, vestis, ac veli prædictorum, vel alias emittere, vel facere non intendimus, nec proponimus, nullique Ordini, regulæ, Collegio, vel personæ nos, vel nostra bona aliqualiter obligavimus, obligamus, intendimus, vel proponimus obligare; sed una cum omnibus nostris bonis omnino libera remanere, & de ipsis vendere, donare, locare, pignorare, & alias qualitercumque disponere in vita & in morte, prout nobis placuerit, & visum fuerit expedire: in quorum omnium fidem & testimonium præsentes nostras patentes litteras fieri jussimus & nostri consueti sigilli munimine roborari. Datum Santarenæ secunda die Januarii Æra millesima trecentesima sexagesima tertia. Est hic annus 1325. Quare miror Waddingum ad a. 1325. n. 22. suspicari aut fictum esse hoc chyrographum aut errorem in annum irrepsisse; qui censet nihilominus eam postea tertium S. Francisci institutum fuisse amplexam. Addit Perpinianus *pag.* 264. mortem Dionysii Regis contigisse anno ætatis LXIV. regni XLVI., mense Januario anni MCCCXXV. Sousa (a) diem assignat 7. Januarii; vetus tamen auctor Bollandianus *num.* 67. diem octavum. Quamobrem liquet litteras illas ab Elisabetha scriptas paulo ante viri mortem. *Pag.* 70. justa persoluta & Elisabethæ pro eo preces

(a) tom. 1. Histor. Genealog. pag. 210.

preces aliaque opera pietatis narrat; quod item habetur *pag.* 296. Tum peregrinatio Compostellana describitur, cumque domum reversa esset Elisabetha anniversarium diem mortis Dionysii ad ejus sepulcrum celebravit; atque in eo explicit liber secundus vitæ. Peregrinationem tamen illam in laudatione uberius descripsit *pag.* 76. Ibidem *pag.* 82. & initio *lib.* 3. *vitæ* exponit Elisabethæ dona facta B. Claræ cœnobio, pretiosam nimirum vestem, aliaque vertenda in usus sacros, & solicitudinem pro ejus cœnobii exædificatione. *Pag.* 85. de nova vitæ ratione narrat in his ædibus instituta; ac primo de victus continentia, quā virtutem laudat ejusque necessitatem prædicat in vita *p.* 308. *Pag.* 88. *&* 313. descriptionem temporis sibi ab Elisabetha factam & constitutam explicat. *Pag.* 93. de nocturnis precationibus: *p.* 97. de charitate erga homines; de qua item *p.* 320. præsertim in remittendis injuriis & flagitiosis hominibus a vitiis revocandis: postquam *p.* 317. eam ardentiorem repræsentavit extremo vitæ tempore, atque alacriorem factam in augenda vitæ sanctitate & perficiendo S. Claræ cœnobio, cui multæ adscriptæ feminæ illustri loco natæ; atque in his Elisabetha Cardonia. In laudatione *pag.* 99. interserit narrationem de S. Elisabetha filia Regis Pannoniæ quæ & domum ædificavit ubi peregrinos atque ægrotos reciperet & cum nihil suppeteret quod egenis daret, id quærebat manuum artificio:

huic exemplum ſubjicit veluti ſimile noſtræ Eliſabethæ quæ viris feminiſque in domicilio ad id ædificato collocatis ſuarum ipſa manuum opera inſerviebat. In vita *pag.*325. inſtitutionis hujus extare ait veſtigia; etſi numerus hominum qui pecunia attributa aluntur factus ſit minor inopia & caritate rei frumentariæ; cujus in cauſam inquirit, & recentiorum temporum luxuriem atque avaritiam taxat; Majorum laudat parſimoniam. *Pag.* 150. exemplum Baſilii adducit (uti habet Nazianzenus & Nyſſenus), cum fames eſſet, miniſtrantis ſua manu egenis; idemque Eliſabetham feciſſe narrat in Conimbricenſi caritate; quam calamitatem egregie pingit, & amplificat eleganti dialogiſmo: eadem referuntur in vita *pag.*338. *Pag.*114. laudationis libri ſecundi epilogus continetur ſubjecta adhortatione ad Eliſabethæ virtutes quoquomodo poſſumus imitandas. Quæ vero narravit, habet & Scriptor Bollandianus *cap.* 9. Uberius aliquanto Perpinianus in iiſdem rebus immoratur in vita, alia, temporum ordine ſervato, exequens quæ omiſit in laudatione. Nam *pag.* 327. iter deſcribit ad Alphonſum Regem Caſtellanorum ut eum ad honeſtiorem vitam traduceret; deinde novi ſepulcri ædificationem quod Regina ſibi conſtruxit, cum jam poſitum Mondæ exundatione dirutum fuiſſet: in quo opere res mira contigit. Cum enim quamtumvis argumentis adhibitis onus dimo-

dimovere non possent, vix Elisabetha scipione quo nitebatur id tetigit, ac repente convulsum sublatumque est minimo negotio. Accidisse eam Mondæ alluvionem ait a. 1331. cui anno eam consignat Scriptor Bollandianus *num.* 79. nominans æram 1369. Atque hîc Perpiniani diligentia fidesque laudanda est, qui in narranda miram illam molis dimotionem allegat constantem famam; nimirum subinde notans; si quod esset quod in litteris proditum non inveniret, sed circumferretur hominum rumoribus. Ac laudatus quidem Scriptor illud non habet: habet tamen ex iisdem puto fontibus, quibus usus est Perpinianus, Vvaddingus ad a. 1336. *num.* 4. (*a*). *Pag.* 329. de parthænonis ædificatione agit cujus descriptionem affert; & convivium refert in nova cœnatione habitum, ministrantibus duabus Reginis, socru atque nuru, quod etiam habet Auctor Bollandianus *n.* 83. *Pag.* 335. deliberationem Reginæ exponit, an se debeat in S. Claræ cœnobium abdere, & Religiosæ familiæ penitus addicere: a quo consilio a viris prudentibus quos consuluerat avocatur. Idem leges in antiquo illo Scriptore quem sæpius allegavimus *num.* 82. Vvaddingus tamen ad a. 1325. diploma recitat Urbani VIII. quo definit S. Elisabetham tertio Ordi-

(*a*) tom. 7. pag. 186.
(*b*) tom. 7. pag. 47.

Ordini S. Franciſci nomen dediſſe. His ſubjicitur illud quod ſupra memoravimus de caritate Conimbricenſi, cui ſubvenit Eliſabetha; uti etiam narrat Bollandianus Scriptor *num.97*.

III. Laudationis libro 3., ubi rerum magnitudinem expoſuit quæ dicendæ ipſi ſunt; earum ſcilicet quas Eliſabetha ſub obitum ſuum fecit, brevitatem ſibi ſervandam proponit: ceteris audientiam faciendam pro magnitudine beneficiorum quæ ab Eliſabetha acceperunt. *Pag.*122. dicere aggreditur de Eliſabethæ deſiderio mortis, quod amplificat a diſſimilitudine; cum homines vitam producere ſummopere cupiant. Idem habet in vita *pag.*343., quo loco aliud argumentum proponit quod Reginæ mortem optabilem reddat; repetitum ex rebus quæ ipſi obvenerant & beneficiis divinis: eadem leges in vetere Bollandiano Hiſtorico *cap.*10. *Pag.* 124. deſcribit peregrinationem Compoſtellanam iterum ab ea ſuſceptam ut remiſſionem omnium pœnarum conſequeretur, pedibus, oſtiatimque ſtipem colligendo. Ait tunc ſanctiſſimam Reginam annum egiſſe LXIV., atque in vita addit *pag.* 347. ex Hiſtoricis Regiis fuiſſe a Chriſto nato MCCCXXXV. Hinc ex diverſo tempore a Scriptoribus notato, & diſſimilitudine apparatus, jam diximus ſubortam Perpiniano ſuſpicionem, bis ab ea iter illud peractum; ſed rem in medio reliquiſſe. *Incidit hoc religio-*

ſum

ſum iter, ait *pag.349.*, *ut Hiſtorici Regii notarunt in annum trecenteſimum trigeſimum quintum ſupra milleſimum a Chriſto nato, quod & diſſimilitudine cauſarum, & varietate modi & diſcrepantia temporum diverſum ab illo, de quo ſupra diximus, apparet extitiſſe. Quamquam ſuſpicio nonnulla ſubeſt eam peregrinationem varie narrari, majoremque auctoritatem antiquioribus litteris deberi, quibus de hoc itinere ſolum illa quæ ſuperiori libro ſunt expoſita continentur: ſed rem ambiguam, quando dijudicare non poſſumus, in medio relinquimus, alterutrum affirmantibus non magnopere repugnaturi*. Scriptor quidem Bollandianus unam tantum memorat *num. 69.* idemque facit Vvaddingus &c. Quamobrem Perpiniani noſtri diligentia extat & fides. *Pag. 126.* diſſidia narrat ſuborta inter Alphonſum filium, & Alphonſum Regem Caſtellæ; quorum cauſas uberius exponit in vita *pag.350.* *Pag. 129.* per dialogiſmum conſilium Eliſabethæ proficiſcendi ad conciliandos Reges exponit: in vita tacitas Reginæ cogitationes explicat, & preces ad Deum *pag.351.* *Pag. 132.* cauſam mortis oppetendæ pro pace procuranda amplificat ab antecedentibus, & exemplo Telemachi, qui morte ſua effecit ut gladiatorum ludi a Theodoſio tollerentur. Hinc eò devenit ut declaret quantum Hiſpania Eliſabethæ debeat ob curam impenſam ad conciliandam pacem, deſcribit-

que ad rem amplificandam statum temporum illorum, traducitque postea ad suorum conditionem. *Pag.*142. mortis modum exponit narratque 1. recreatam Cælestium visione, quod amplificat exemplo facti S. Claræ; idque disertius explicat in vita *p.*356. 2. *pag.*145. & 357. pietatem ejus significat adeuntis altare ut Eucharistiam susciperet: denique mortem describit &deplorat.In vita *p.*359.obiisse ait anno ætatis LXV. quare annus agebatur MCCCXXXIII. Huic anno consignat sanctissimæ Reginæ mortem & Auctor Bollandianus scribens *num.*104. *Obiit autem in castello oppidi Extremotii die quarta mensis Julii æra millesima trecentesima septuagesima quarta*. Sousa (*a*) antiquum titulum profert, quo dies idem idemque annus habetur; *Era* M. CCC. LXXIIII. *die quarta mensis Julii in Castro de Estremos obiit inclyta D. Elisabetha Regina Portugaliæ, & fuit sepulta* XII.*die dicti mensis in hoc monasterio sanctæ Claræ,quod ipsamet fieri jussit & dotavit;& fuit uxor D.Dionysii Illmi Regis Portugaliæ, & filia Regis D.Petri Aragoniæ & Reginæ D. Constantiæ, atque mater D.Alphonsi strenuissimi Regis Portugaliæ, & D. Constantiæ Reginæ Castellæ, fuitque avia Regis D.Alphonsi Castellæ, & Reginæ D. Mariæ uxoris suæ. Hos timuit, hos honoravit, his benedixit, cujus anima requiescat in pace*. Quamobrem bene (*b*) Waddin-

(*a*) tom.1. Hist. pag.221.
(*b*) tom.6. pag. 186.

dingus ad hunc annum *num.* 3. Curitam, Freyre, aliosque historicos reprehendit qui alium annum habent. Stremotium oppidum eleganter Perpinianus describit *pag.* 355.. *Pag.* 359. mortem Elisabethæ quæ secutæ sunt, discordias bellaque enumerat, hac veluti pacis interprete & sequestre sublata. Deinceps agit in laudatione *pag.* 149. de funere Elisabethæ & deportatione cadaveris Conimbricam, quod cum sanie manaret, mirus nihilominus odor afflabatur: id amplificat a contrario; fœtore scilicet quem aliorum cadavera spirare solent, ita ut ad eum arcendum, odorum vim maximam antiqui insumerent. Idem habet in vita *p.* 362. narratque Bollandianus Scriptor *cap.* 12. & Vvaddingus *ad a.* 1336. *num.* 8. Mandarat hoc testamento sanctissima Regina, ut corpus mortuæ Conimbricam efferretur: testamenti autem ipsius tabulas habes apud Sousa(*a*). *Pag.* 153. adventum cadaveris Conimbricam, populi mœrorem, & concursum describit; deinde *p.* 156. animi beatissimi in cælum ingressum; additque de ejus potentia, quanta sit apud Deum, ut ex miris rebus ejus beneficio patratis constat; ac demum adhortatur ad factorum sanctæ Elisabethæ imitationem, proposito præmio bonorum cælestium. Fusius in vita *p.* 365. & deinceps

(*a*) tom. I. *Provas*. pag. 114.

ceps immoratur in beneficiis narrandis ab ea mortua mira ratione collatis cùm ipso tempore quo delata est Conimbricam tùm subsecutis temporibus: quo argumento utitur ad adstruendam contra Hæreticos Sanctorum invocationem. De iisdem beneficiis scriptor Bollandianus *cap.* 13. & Vvaddingus *l. l.*, recentiorum vero epitomen habes apud Bollanvianos ipsos *pag.* 197.

CAPUT V.

De Operibus Perpiniani, quæ tomo tertio comprehenduntur.

§. I.

De Perpiniani Epistolis τοῖς διδακτικοῖς.

1. *Francisci Vavassoris consilium de Perpiniani epistolis edendis: earum partitio. De Mario Corrado cui priores datæ. Quæstiones a Corrado Perpiniano propositæ de locis ab Aristotele, & Cicerone assignatis; & primum qui inter se conveniant ab utroque traditi: Topicorum Aristoteleorum delineatio. Discrepantia inter Topicam Aristoteleam & Tullianam, quam Boethius agnovit: diversitas inter Rhetoricos locos & Dialecticos.*

cos . 3. Alia quaestio de locis Antecedentium, Consequentium, Repugnantium . Ea loca ab aliis locis nequaquam distincta esse ; atque ad argumentandi potius quam ad inveniendi facultatem pertinere ; nihilominus potuisse Aristotelem & Ciceronem hunc inter ceteros locos recensere . Has quaestiones nemo commodius tractavit Perpiniano . 4. De nitore orationis ab eo in hujusmodi quaestionibus adhibito ; non esse reprehendendam ; nec culpari debere nimiam quamdam subtilitatem : hanc & recentiores amare . Tractatio de locis etsi inutilis a multis putetur, utilissima . Est praecipua quaedam Logicae pars a recentioribus Philosophis neglecta . De ea explicanda consilium . De opusculo Perpiniani, & ratione liberos instituendi .

I. Tertiæ parti commisimus epistolas a Perpiniano scriptas, cui quidem parti, ut eam recenseremus & quamplurimis accessionibus locupletatam emitteremus, singularis quædam commendatio accessit a viri doctissimi atque eloquentissimi judicio; qui olim facturum se operæ pretium putavit, si Perpiniani epistolas dispersas colligeret collectasque evulgaret. Is est Franciscus Vavassor; cujus nomen nulli ignotum esse potest, nisi quibus Latini sermonis castitas, atque elegantia doctrinæ est ignota. Ille ergo multo post obitum Perpiniani; annis nimirum octoginta, ab eo scri-

ſcriptas epiſtolas, & quæ neſcio quo fato in tenebris delituerant, aggreſſus eſt conquirere eo conſilio ut iis evulgatis auctori ſuo laudem, ceteris utilitatem commodumque afferret. Eruditiſſimi hominis curam mors intercepit, atque alii Perpiniani id genus ſcriptorum repræſentandum reliquit, nimirum Joanni Lucas; magnam tamen ſuſcepto eo conſilio his epiſtolis laudem, & gratiam conciliavit. Quid nos in eodem genere perfecerimus, aliorum eſto judicium; nunc lectorem admonemus; etſi illæ epiſtolæ varii ſunt argumenti, ſi tamen omiſſis iis quæ officii ſolum aut benevolentiæ ſignificationes continent, in certa genera diſpeſcere ceteras libet, tribui poſſe in claſses duas: aliæ enim res geſtas narrant eorum temporum, adeoque hiſtoricæ dici poſſunt; aliæ ſunt διδακτικαι docentque aliquid quod ad puerorum inſtitutionem in litteris, vel ad Rhetoricas ipſas ſive Dialecticas præceptiones ſpectat. Breviter de utriſque dicemus, ac de poſtrema hac claſſe primum, quæ litteras præcipue complectitur Mario Corrado ſcriptas & Dialecticas quæſtiones quaſdam ab eo propoſitas. Quis quantuſque vir fuerit Q. Marius Corradus non puto neceſſe hic pluribus demonſtrare. Nactus eſt laudatores Petrum Angelum Spera, Donatum Caſtilionem, Laurentium Craſſum: ſed ejus hominis eloquentiam ſcientiamque uberius teſtantur ipſius editi libri, & vi-

& virorum doctorum præsertim Manutiorum & Caroli Sigonii familiaritates. Uriensis fuit patria; quod oppidum est prope Lupias in Regno Neapolitano Tarentinæ Diœceseos. Quare inter Neapolitanos Scriptores eum recenset Nicolaus Toppius *pag.266.* & in additamentis ad Toppi Bibliothecam Leonardus Nicodemus *pag.* 216. Commemorat inter Grammaticos Latinos Corradum Bailletus *num.*651. (*a*); ejus vero libros de copia latini sermonis laudat Antonius Borremansius *variar. lection. cap.*11.

II. A Corrado igitur quæstiones octo propositæ sunt Perpiniano, quæ versantur circa Topicam, locosque ad argumenta invenienda ab Aristotele & Cicerone propositos. Torquebat nimirum Corradum primùm illa cogitatio; quod videbat aliter hujusmodi loca recensere Aristotelem, aliter Ciceronem, qui tamen se Aristotelis explanatorem Trebatio profitebatur. Atque ut quæstio hujusmodi intelligi commodius possit, breviter hic Aristoteleorum librorum quos *Topicos* vocavit ponenda delineatio; quæ est hujusmodi. Primo fine proposito tractationis suæ inveniendi scilicet methodum, qua *possimus de proposito quolibet problemate ex probabilibus argumentari, & ipsi aliquid defen-*

Xx *den-*

(*a*) Jugem. des sçav. tom. 3.

dentes nihil absonum, absurdumque dicamus [a]; veluti proemii loco disputationem præmittit de subjecto Dialecticæ: ideſt de materia rationum probabilium, quot quibusque propositionibus constent, quid problemata sint in quibus versantur? quæ quidem propositiones & problemata cum in eo versentur ut de subjecto aliquod prædicatum demonstrent, adeoque a prædicatis diversitatem omnem suam accipiant; horum genera exponit, ideſt eorum quæ per propositiones & problemata quæruntur aut demonstrantur de subjectis: esse autem ait quatuor, *definitionem*, *genus*, *proprium*, *accidens*. Ex omnibus enim quæ in hominum sermonem venire possunt, aut quæri id quod *natura ejus tota est*; aut quod *pars est essentialis* sed aliis communis; aut quæ nec tota res est nec pars essentialis ipsius, nihilominus hujusmodi ut *illi soli convenire debeat*; aut demum *quod ei inest, poterat tamen non inesse*: nam prædicatum *essentiale* quod *proprium est*, & *differentia infima* cum sit ignotum, neque ad Dialecticam spectet sed ad Metaphysicam, non erat hic ab Aristotele commemorandum. Hoc veluti fun-

(a) μέτοδον εὑρεῖν, ἀφ᾽ ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων· καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες, μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον.

fundamento jacto, cum duas veluti partes Topicæ faciat Aristoteles; quarum prima agit de inventione rationum Dialecticarum, altera de earumdem ordinatione, primam aggreditur cap. 13. [a]. Et primo quidem ad finem libri 1. explicat τὰ ὄργανα δι' ὧν εὐπορήσομεν τῶν συλλογισμῶν, καὶ τῶν ἐπαγωγῶν, ideſt inſtrumenta quædam generalia per quæ nobis copia ſuppetat ſyllogiſmorum, & inductionum. Quatuor hæc ſtatuit 1. eſt τὸ τὰς προτάσεις λαβεῖν h. e. probabilium quarumdam ptopoſitionum delectus, ex quibus veluti ex præmiſſis ſive principiis colligamus id quod volumus. 2. τὸ ποσαχῶς ἕκαστον λέγεται δύνασθαι διελεῖν, homonymorum diſtinctio, obſervatio, & quot modis quidque dicatur. 3. τὸ τὰς διαφορὰς εὑρεῖν inventio differentiarum. 4. ἡ τοῦ ὁμοίου σκέψις ſimilitudinum conſideratio. Atque in ſecundi quidem inſtrumenti explicatione tredecim ſunt quæ adnotavit unde dignoſcere poſſimus an aliquid dicatur multipliciter. Ita libro primo abſoluto, deinceps loca proponit per quæ rationes inveniantur unicuique problemati ex quatuor illis generibus aptæ & propriæ. Ab *accidente* orditur,

 atque

(a) ex recenſ. Gulielmi Du-Val Pariſ. 1619. tpm. 1. part. 1. pag. 188.

atque exponit XLIV. loca unde promantur argumenta ad negandum, vel confirmandum accidens, quibus ſcilicet probetur aliquid eſſe accidens vel non eſſe: idque toto libro II.. Libro III. exponit locos accidentis quæ comparationi ſerviunt; nam *lib*. I. *cap*. 5, tradiderat ad problema *accidentis* revocari etiam quæſtiones quibus fiunt comparationes ab accidente ductæ: cum vero præcipue comparatio inſtitui ſoleat boni atque eligibilis; ideo præcipue tradit loca ex quibus poteſt dijudicari, utrum melius ſit, aut deligi debeat: Sunt autem ea LXIII. quæ quidem docet qua ratione transferri poſſint ad alios uſus, ad oſtendendū aliquid eſſe ſimpliciter eligendum vel fugiendum; eſſe magis tale quam aliud &c. item advocari ad ſingularia problemata ab univerſalibus. Libro IV. loca *Generis* proponit LXV. Libro V. ubi plures modos deſcripſit quibus aliquid dicitur proprium, loca *Proprii* quale hic ſumitur explicat XXV. Libro VI. *Definitionis* loca enumerat, & cum definitio everti ſive improbari poſſit quinque modis ac viis; 1. ſi oſtendatur non convenire omnibus quæ definiri debent. 2. ſi conveniens genus poſitum non ſit. 3. si definitio non ſit propria ſive ut ajunt *convertibilis* cum re. 4. si rei definitæ naturam non explicet. 5. si definitio ſit, bona tamen ejus rei definitio non ſit; loca tradit ad evertendam definitionem quæ duo habeat poſtrema vitia: reliqua

liqua enim ex superioribus haurienda sunt. Definitio, licet definitio sit, dupliciter peccare potest; ex eo quod habeat vel obscuritatem vel redundantiam. Ad probandum primum obscuritatis vitium proponit Aristoteles loca VII.; ad probandum alterum loca V. Transit deinde ad LXVII. loca, quibus ostendi potest definitionem assignatam definitionem non esse. Libro VII. primum loca XVI. assignat *de eodem & diverso*. Docuerat enim *lib.* I. *cap.* 5. ad problema definitionis revocari omnes quæstiones quibus quæritur; *utrum aliquid sit idem an diversum ab alio*. Deinde, quoniam superiori libro tradiderat locos ad definitionem evertendam VI., loca tradit ad definitionem *simpliciter* construendam: ad eamdem enim construendam *secundum quid* plura attulerat libro VI. In fine hujus libri, cum loca tradidisset ad construenda vel destruenda problemata, comparat cum eversione constructionem ac ipsa problemata inter se: ac deinde septimo & ultimo libro Topicorum aggreditur Topicæ partem alteram de ordinatione rationum Dialecticarum. Jam vero si huic Aristotelicæ doctrinæ, doctrinam compares Topicæ Tullianæ, videbis non iisdem omnino vestigiis summi illius Philosophi egregium hunc Rhetorem institisse; sed, ut in reliquis consuevit, cum e Græcorum fontibus tantum hausisset quantum liberet, maluisse judicio arbitrioque suo uti.

Quod quidem constabit etiam magis, si quæ sint locà ab Aristotele assignata, quæque Cicero attulerit, singulatim considerentur. Nam ut omittam Tulliana illa in Rhetorum scholis trita, Aristoteles demonstrare aggressus locos accidentis, primum ponit (a); *ut videamus an quod alio quopiam modo dicitur pro accidente acceperit*: id nimirum præcipit, ut ad infirmandam sententiam adversarii de accidente, inquiramus, an statuerit id esse *accidens*, quod aliud omnino est, puta *genus*, aut *proprium*. Alter locus est hujusmodi: ut proposito universali problemate, spectentur singulæ species de quibus illud generaliter affirmatur aut negatur: si enim aliquid inveniatur cui id quod affirmatur non convenit, alteriusproblema evertitur. Quod si hic locus ad confirmandum adhibeatur, prolatisque pluribus speciebus illis conveniat, postulandum est ut adversarius concedat universaliter, vel objiciat & doceat in quo non id eveniat. Tertius locus est *definire accidens & id cui accidit vel utrumque*, atque ita ex definitione colligere, utrum falsum aliquid illi tribuatur. Quartum locum ita proponit; *ex problemate propositione sibi facta objiciendum est, quoniam objectio erit argumentum contra thesim*; proposito scilicet problemate aliquo, ut *sitne omnis virtus scientia*; propositionem efformemus, *omnis virtus est scientia*, ac dein-

(a) lib 2. Topic. cap. 2.

deinde objiciamus *virtus moralis non est scientia.* Quinto ait definire oportere, in quibus nominandis sequamur multitudinem, aut ab ea discedamus. Non persequar reliqua: sed ex his, opinor, constat, aliam quamdam rationem secutum Aristotelem atque Ciceronem. Et Boethius quidem in fine *lib.4. de differentiis Topicis* non hos modo egregios Doctores; sed res ipsas, Rhetoricos nimirum locos quales Tullius tractavit, a Dialecticis qui sunt Aristotelici, etsi in aliquibus conveniant, in aliis docuit diffidere: quod ut explicaret exemplum hoc posuit; si Rhetori docendum sit, an aliquis ebrius fuerit; hanc quæstionem a genere ita tractabit ut dicat; quoniam nulla in eo luxuries antecesserit, quæ ebrietatis quoddam genus est, necessario dicendum, neque ebrietatem fuisse. Hoc vero totum pendet ex generis natura quam Dialectica ratio suppeditat; nimirum: *unde genus abest, inde etiam species abesse necesse est. Ita*, inquit Boethius, *argumenta vestigat Dialecticus ex genere, idest ex ipsa generis natura; Rhetor ex ea re quæ genus est*: pergitque dicere; *Dialecticus ex similitudine. Rhetor ex simili, idest ex ea re quæ similitudinem cœpit: eodem modo ille contrarietate hic ex contrario*. Quo quidem hoc declarat, ut disertius quoque antea docuit, Rhetorem ab arte sua nihil aliud adjuvari nisi ut admoneatur a quo loco, a genere vel a simili vel a contrario argumentum accipiat: cete-

cetera extra ipsius facultatem sunt posita, Dialecticus vero id amplius facit, ut in eo ipso propositiones quasdam inveniat, unde quæ ipsi colligenda sunt, sponte fluant. *Itaque fit*, ait idem Boethius, *ut semper egeat Rhetor Dialecticis locis, Dialecticus suis possit esse contentus: Rhetor enim quoniam causas ex circumstantiis tractat, ex eisdem circumstantiis argumenta præsumet, quæ necesse est ab universalibus & simplicibus confirmari, qui sunt Dialectici*. Neque vero incommode alii, hoc ajunt differre Rethoricos locos a Dialecticis; quòd locus Rhetoribus sedes est in qua cubant & a quærentibus inveniuntur propositiones quædam universales, quibus uti possumus tamquam principiis syllogismi; contra vero locus Dialecticis sunt ipsæ propositiones quas in locis latere diximus. Quod quidem ita esse intelliget qui Aristotelicam ipsam docendi viam in Topicis libris observabit. Nam anteaquam locos exponeret, explicat propositionem ipsam & problema quid sint & in quibus differant. Item generalia loca exponens primum fecit propositionum sumptionem. Præterea idem admonet, locos aliquos vix differre inter se: ut quartum quem supra descripsimus a tertio, atque hos duos ait solum τῷ τρόπῳ idest *modo* discrepare. Rhetorum ergo ars in eo versatur, ut assignent atque explanent sedes in quibus latent propositiones illæ,

illæ, unde conficiuntur argumenta; Ariſtoteles vero totus eſt in explicandis illis propoſitionibus ſeu principiis Syllogiſmorum probabilium. Quamobrem Ariſtotelis explanator Alexander Aphrodiſienſis exemplum loci ponens ex Peripatetico alio Doctore Theophraſto, hujuſmodi eſſe dicit; *ſi unum ex contrariis multis modis dicitur, ita alterum quoque dicetur* (*a*). Hic illis eſt locus *a Contrario*: *a Conjugatis* vero hic; *ut eſt unum ex Conjugatis, ita & alia*; atque *a loco* ſic deſcripto diſtinguit *præceptum* ſive ut ipſe appellat παράγγελμα, quod tale eſſe ait; *argumentandum eſt a Contrariis*; *argumentandum eſt a Conjugatis*. Hæc duo παράγγελμα & τόπος Boethius *ut potuit expreſſit*, inquit in adnotamentis ad Alexandrum Muretus [*b*], aliud dicens eſſe *locum maximam*, aliud *differentiam maximæ*, quam expreſſio-

(*a*) in lib. 2. Topic. pag. 72. edit. Aldinæ. παράγγελμα μὲν τὸ οὕτω λεγόμενον, ὅτι δεῖ ἐπιχειρεῖν ἀπὸ τῶν ἐναντίων, ἀπὸ τῶν συστοίχων. τόπος δὲ, εἰ τὸ ἐναντίον πολλαχῶς, καὶ τὸ ἐναντίον. ἢ εἰ τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ ὑπάρχει, καὶ τῷ ἐναντίῳ ὑπάρχει τὸ ἐναντίον· καὶ πάλιν ὡς ἓν τῶν συστοίχων, οὕτω καὶ τὰ λοιπά.

(*b*) in mss. Biblioth. Coll. Rom. 1467. E.

nem vulgus Dialecticorum adoptavit, quorum tamen alii aliter *differentiam* maximarum propositionum definiunt; quæ est a Boethio explicata subobscure. Græci hoc amplius, quod præter *maximam*, *&* *differentiam maximæ*, veluti tertium aliquod ponere videntur; idest locum ipsum qualem Rhetores nominant *definitionem*, *conjugata &c.*: cum παράγγελμα sive *differentia maximæ* addat præceptum de loco illo adhibendo: ut primus ille Aristotelis locus; *videndum esse an id quod alio modo dicitur de accidente sit explicatum*. Certe id fecit interdum Aristoteles ipse, ut Perpinianus docet. Sed hoc idem Perpinianus præclare, cum tria hæc distinxit *maximam*, quod *axioma* vocavit, *differentiam maximæ* sive *præcepta quedam angustiora*, denique *summa ipsa genera*; & putavit Tullium, cum ab Aristotele primum traditam inveniendi artem vellet in pauca conferre, sapienter e numero tum axiomata tum angustiora præcepta removisse, generaque tantum universa quibus omnia continentur proposuisse, eaque vocasse locos, Aristotelis amore, qui id quoque nomen generum summis tribuit aliquando. Atque hoc veluti aditu reserato ceteras quæstiones facillime explicavit, quas illa epistola enodandas sibi proposuerat, I. scilicet, II. III. & VII., de quibus nihil dicemus: non enim illustrari uberius possunt quam sunt a Perpiniano commode explanata.

Epi-

III. Epiſtola 5. IV. & V. quæſtionem explicandam ſumit, an Adjunctorum locus inutilis ſit ad inveniendum ac removeri debeat a numero locorum, & ad conjecturales controverſias rejiciendus. Atque ita reſpondet ut argumenta hinc quoque depromi doceat; cum nimirum Philoſophi explicant proprietates rerum, & quæ in re inſunt & quæ circumſtant. Præterea explicat locorum uſum non eſſe tantum ad argumentandum, ſed ad amplificandum; atque hunc & Oratoribus & Poetis admirabilem dicendi copiam præbere; ſive amplificandum ſit aliquid vel augendi vel diminuendi cauſa; ſive narrandum vel in cauſis civilibus vel extra cauſas; ſive deſcribendum, ipſis etiam Phyſicis qui ex adjunctarum rerum frequentia deſcriptiones plerumque efformant, & animantium ſtirpiunque genera partiuntur ferme ex Adjunctis. Id perſpicue omnino dilucideque tractat Perpinianus, ut nullius explicationem requirat. Multo implicatiores ſunt quæſtiones duæ ad quas reſpondet epiſtola 8.; nimirum VI. & VIII., cum ab eo quæſiviſſet Corradus, quid contra illos dici poſſet *qui antecedentia conſequentia & repugnantia in totum ab inventione removerunt, atque ad judicii partes rejicere ea voluerunt*. Quibus quidem verbis, ut quæſtio uberius explicetur, pateatque ad quæſtionem Perpiniani reſponſio, animadvertendum, duplicem illam ſignificari Logicæ partem quam initio Topi-

cæ (*a*) Cicero expressit scribens; *Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes; unam inveniendi, alteram judicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Judicandi enim vias diligenter persecuti sunt ea scientia quam Dialecticen appellant. Inveniendi vero artem, quæ Topice dicitur, quæque ad usum potior erat & ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt*. Has duas partes Quintilianus Græco nomine *τοπικὴν* & *κριτικὴν* vocat (*b*), neque Criticæ sive Dialecticæ appellatione aliud intellexit uterque, ut ex Boethio aliisque antiquis interpretibus constat, quam Logicæ illam partem quæ rationem docet colligendi aliud ex alio, atque ita de rebus judicandi, sive expendendi inventum jam argumentum atque exigendi ad formas quas ipsa tradit argumentandi. Perpinianus ergo de quæstione sibi proposita dicturus 1. *pag*.48. distinguit duo Antecedentium & Consequentium genera; quæ nimirum in Scholis, barbaris nominibus dicuntur *prioritas temporis*, *prioritas subsistendi in consequentia*; De

(*a*) num.2.

(*b*) Lib.5. cap.14. *Namque illi homines docti* (Dialectici) *& inter doctos verum quærentes, minutius & scrupulosius scrutantur omnia, & ad liquidum confessumque perducunt: ut qui sibi & inveniendi & judicandi vindicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant*.

De quibus aliisque *prioritatis* modis Aristoteles *in Categoriis cap.* 12. ejusque Interpretes. Deinde reprehendit eos qui Conjuncta sive Adjuncta quæ rem antecedunt vel subsequuntur ab Antecedentibus & Consequentibus non distinguunt: quod nimirum Antecedentia etsi rem præcedant, nullo modo pertineant ad rem tum cum gereretur. Admonet tamen aliquando Ciceronem *Consequentia* posuisse pro *Adjunctis*. *Pag.* 51. probat Rodolphi Agricolæ sententiam quam ille habet *lib.* 1. *de Inventione Dialectica cap.* 20.; nec tamen omnino erroris damnat qui adversum tenent. Ait ergo revera Antecedentia, & Consequentia non ad inventionem pertinere sive ad *inveniendi* facultatem; sed ad *judicandi* sive ad argumentorum tractationem; idemque censet de Repugnantibus. Quod probat ex eorum natura; quod vis eorum omnis sit in connexis & conjunctionum negationibus; neque alia *antecedentia* aut *prioritas* sit quam quæ dicitur *subsistendi in consequentia*. Nam argumentum duci dicitur *ex antecedenti*, si duorum connexorum inter se primum assumis ut alterum consequatur: *ex consequenti*, si duorum connexorum id quod annexum est negaris, ut id quoque negandum sit cui fuerit annexum. Explicat hoc egregie Tullius *in Topica num.* 12. unde totum quod hic habet Perpinianus hausisse videtur. Itaque locum adscribemus ex quo magna Auctori nostro lux. *Deinceps*, inquit,

est locus Dialecticorum proprius ex Consequentibus, & Antecedentibus, & Repugnantibus, qui etiam ab Adjunctis longe diversus est. Nam Adjuncta de quibus paulo ante dictum est, non semper eveniunt, Consequentia autem semper. Ea enim dico Consequentia quæ rem necessario consequuntur itemque & Antecedentia & Repugnantia. Quidquid enim antecedit quamque rem, id cohæret cum re necessario; & quidquid repugnat, id ejusmodi est ut cohærere nunquam possit. Cum tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem repugnantiam; reperiendi argumenti locus simplex est, tractandi triplex. Nam quid interest, cum hoc sumpseris, pecuniam numeratam mulieri deberi cui sit omne argentum legatum, utrum hoc modo concludas argumentum? Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri. Est autem pecunia signata argentum. Legata igitur: *An illo modo?* Si numerata pecunia non est legata, non est numerata pecunia argentum. Est autem numerata pecunia argentum. Legata igitur est: *An illo modo?* Non et legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia. Legatum autem argentum est. Legata igitur numerata pecunia est. *Appellant autem Dialectici eam conclusionem argumenti, in qua cum primum assumpseris consequitur id quod annexum est, primum conclusionis modum. Cum id quod annexum est, negaris, ut id quoque cui fuerit annexum negandum sit, secundus*

dus appellatur concludendi modus. Cum autem aliqua conjuncta negaris & his alia negatio rursus adjungitur, & ex his primum sumpseris ut quod relinquitur tollendum sit, is tertius appellatur conclusionis modus. Vides ut postremis verbis explicat id cujus supra exemplum posuerat, Antecedentium, Consequentium, & Repugnantium. Ac præter quam quod, in quibus ab Adjunctis differant Antecedentia & Consequentia & Repugnantia perspicue docet, addit hunc esse locum proprium Dialecticorum: quare hujusmodi est ejus natura, ut ab oratoria consuetudine dicendi & oratione populari longe removeatur. Atque hunc quidem locum in Tullio cum ad populum loquitur non reperies; bene vero cum Philosophum agit & contra Philosophos acute disputat. Perpinianus præter exemplum Repugnantium ex *Topica* Ciceronis desumptum, aliud profert ex libro *de Fato*, in quo subtiliter contra Chrysippum pugnat. Id quoque afferemus: ait ergo *num.6. Sint igitur Astrologorum præcepta hujusmodi*; Si quis, *verbi causa*, oriente canicula natus est, is in mari non morietur. *Vigila Chrysippe ne tuam causam in qua tibi cum Diodoro valente Dialectico magna luctatio est, deseras. Si enim est verum quod ita connectitur;* Si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur; *illud quoque verum est;* Si Fabius oriente canicula natus est, Fabius in mari non morietur. *Pugnant ergo hæc inter se,*

Fabium oriente canicula natum esse, & Fabium in mari moriturum: *& quoniam certum in Fabio ponitur, ortum eum esse canicula oriente; hæc quoque pugnant*, & esse Fabium, & in mari esse moriturum. *Ergo hæc quoque conjunctio est ex Repugnantibus*; & est Fabius, & in mari Fabius morietur; *quod ut propositum est, ne fieri quidem potest. Ergo illud*; morietur in mari Fabius *ex eo genere est, quod fieri non potest: omne igitur quod falsum dicitur in futurum id fieri non potest. At hoc Chrysippe minime vis*. Perpinianus id ipsum quod volebat, has tres esse argumentandi formas, non inveniendi locos, colligit ex nominibus quibus apud Aristotelem *in Topicis*, & in libro *de Sophistarum reprehensionibus*: præterea ab Alexandro Aphrodisiensi insigniuntur: vocantur enim Consequentia ἑπόμενα Antecedentia ἡγέμενα. Vide Aristotelem *Elenchorum lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. (*a*) & loco allato Topicorum. Alexander vero *pag.* 88. differens de usu loci hujus ad confirmandam rem, jubet ut ostendamus quid sit id ex quo res proposita consequatur, quo posito res quoque posita erit, quia ex illo consequitur; nam, inquit, εἰ γὰρ τὸ ἡγέμενον, καὶ τὸ ἑπόμενον. Supra autem dixerat hunc locum esse ἐξ ἀκολουθίας

(*a*) ὁμοίος δὲ καὶ τῶν παρὰ τὸ ἑπόμενον. μέρος γὰρ τι τοῦ συμβεβηκότος τὸ ἑπόμενον.

λυθίας . Jam vero non istis nominibus appellarentur , nisi in connexis omnis eorum vis posita esset . Ob id ipsum Mathematici , ut videre est in definitionibus *lib.V.* Euclidis , in proportionum terminis explicandis his nominibus utuntur ; & conversio rationis definitur λῆψις τῶ ἡγουμένου πρός τὴν ὑπεροχὴν ᾗ ὑπερέχει τὸ ἡγούμενον τῶ ἑπομένου . Hinc infert Perpinianus ; etsi neque Aristoteles , neque Alexander ipsa connexa exprimit , ea intelligi oportere ; idque confirmat exemplis duobus quæ Alexander affert . I. sumptum ex Phædone ubi Plato (*a*) ad probandam animorum immortalitatem argumentum repetit ex antiqua Pithagoreorum μετεμψυχώσει, aitque (ut Græca verba quæ Perpinianus attulit reddam Latine) *Si hoc ita se habet , rursum fieri ex mortuis viventes , non essent alio in loco nostræ animæ quam illic ;* ostenditque deinde Plato,primum quod est in connexo, fieri viventes ex mortuis , ut probet alterum , mortuorum animas esse apud Inferos. II.ex Menone (*b*) in qua Socrates ita argumentatur ; *Si igitur virtus est scientia quædam , constat sane illam doceri posse* : dixerat autem nihil aliud nisi scientiam doceri . Postea ut antecedens probet , ponit aliud argumentum ex Antecedentibus;*nonne si quod est bonum aliud a scientia sepa-*

(*a*) Oper. tom. 1. pag.70.
(*b*) tom.2. pag.87.

separatum, fortasse virtus minime fuerit scientia quædam : si vero nihil sit bonum quod non scientia complectatur, si ipsum scientiam quamdam esse suspicemur, rectene suspicemur? probatque multis antecedens illud ut consequens confirmet. Denique Perpinianus totum id confirmat Ciceronis testimonio quod supra retulimus, ajentis locum Antecedentium, Consequentium, Repugnantium, *reperiendi argumenti simplicem* esse, *tractandi triplicem;* & hæc ipsa numerat in septem earum conclusionum modis quas Græci ὑποθετικὰς nominant. Vt vero bene Petrus Nunnesius adnotavit; syllogismi hypothetici non sunt loci argumentorum, tum quia sunt formæ argumentandi, tum quia sunt communes omnium argumentorum. Si quis hæc argumenta a Perpiniano allata perpendat, videbit jure id illum statuisse, hæc loca ad formas potius argumentandi pertinere quæ est facultas judicandi, quam ad inveniendi artem quæ Topica dicitur. Quamquam non ita hæc statuit ut Aristotelem & Tullium defensum nolit, dum contrarium huic affirmare videntur. Itaque *pag.* 57. 1. concedit Antecedentia, Consequentia, & Repugnantia quemadmodum explicantur a Cicerone depromi ex aliis locis, & aliunde vim accipere probandi, neque exempla afferri ulla quæ non sint conjuncta cum judicandi via. Nihilominus 2. decernit habere ea etiam vim & facultatem argumenti reperiendi. Nam facilius

cilius est in argumentis indagandis hæc loca videre, Antecedentia scilicet, Consequentia, Repugnantia, quam alia, ad quæ eadem res fortasse pertinet, puta Definitionis locum, locum Causarum &c. Quod vero hæc aliis argumentorum generibus re ipsa continentur, id nihil obesse; quin etiam juvare, multas quasi vias habere eòdem quo intendimus perveniendi. Præcipue vero affirmat retinenda in præceptis ac locis inveniendi Repugnantia, etsi apud Aristotelem hic locus diversus non est a Contrariorum loco; quod nimirum ajentium & negantium natura idest Contrariorum, tota contineatur loco Repugnantium: sed quoniam hæc suam quamdam speciem ostentant, non incommode fecerunt qui a contrariis ea segregarunt Hactenus de sexta quæstione, de qua utrumque quod decrevit; & locum Antecedentium, Consequentium, Repugnantium ab aliis locis distinctum non esse, ipsumque ad argumentandi potius quam ad inveniendi facultatem spectare; & nihilominus jure Aristotelem & Ciceronem potuisse locis adnumerare, facile probabis, si ejus argumenta expendes; quæ quidem sunt hujusmodi, ut nemo eorum qui hanc quæstionem tractavit uberiora ac validiora attulerit. Ne ipsum quidem excipio, quem Perpinianus sequi se profitetur, Rodolphum Agricolam, qui unice ferme pugnat eo argumento; quòd nullo pacto distinguatur hic locus ab aliis cum sit ex om-

ex omnibus fere locis tale aliquid ſumere, quale hic reperitur. Hanc ejus rationem refutavit Rodulphi ſcholiaſtes Joannes Matthæus Phriſſemius, ex ejusdem Rodolphi verbis *cap.22. de Contingentibus* ſcribentis; *Nec eſt inutile etiamſi id natura rei non cogeret, plures tamen eſſe locos, h. e. aditus & vias unius reperiendæ rei: ut ſi minus unus perducat nos ad id quod quærimus, altero tamen, tertiove tentantibus aliqua parte procedat*. Deinde, ex Boethii opinione qui hæc locis ipſe quoque accenſet, reſpondet, etiamſi Antecedentia & Conſequentia ſparſa ſunt per locos ferme omnes, tamen eſſe quædam quæ facilius inveſtigari queant cum his ſignificantur vocabulis, quam ſi aliis eadem vocibus notarentur: atque hanc illi fuiſſe cauſam cur diſtinctum iſtis dederit locum. Hæc ſi quis cum doctrina Perpiniani conferat, videbit cum ea optime convenire; nec hominis acutiſſimi ſententiam lædere, qui locum illum, ſpectata ipſius natura, negavit, ad inveniendum valere, quod nihil afferat ab aliis locis diverſum; ob faciliorem tamen modum utilitatemque, poſſe reliquis locis adnumerari. Alterum qui in hujuſmodi quæſtionibus diligenter verſatus eſt Joachimum Perionium reprehendit Perpinianus 1. de deſcriptione ſive exemplis poſitis horum locorum, Antecedentium ſcilicet & Conſequentium; deinde de hujuſmodi re verboſius quam par erat tractata. Alteram quæſtionem ideſt VIII. breviter ediſſerit

ſerit Noſter, analyſticam rationem adhibendam docens ad explorandum quo ex loco argumentum aliquod ductum ſit; quod perſpicue atque eleganter exemplis declarat.

IV. Atque in tota hac tractatione animadvertant velim viri docti, quam perſpicue omnia e media Logica, & abſtruſiſſimis quæſtionibus obſcuriſſimæ diſciplinæ explicet Perpinianus; eademque nitore orationis ac verborum admirabili copia: ut fallantur qui hæc alia via tradi poſſe negant, quam quæ barbarie ſermonis & peregrinis vocibus eſt impedita. Qui ſi in eadem ſententia obfirmentur, legant Perionii ipſius librum *de optimo genere interpretandi*, aut ſaltem præfationes ad *obſervationes in Porphyrium*; ut omittam Jacobum Sadoletum, alioſque qui multis id, graviterque refutarunt. Neque tamen inductam aliam rationem in ſcholis, ſive quia brevior videtur, ſive quia ad juvenum diſciplinam aptior, audeam damnare: ſed nolim viciſſim eos hanc quam ſecutus eſt Perpinianus in ſcribendo, quaſi rebus declarandis minus idoneam, aut quæ teneri omnino non poſſit, traducere. Non enim ejus defendendæ plerumque alia cauſa ſubeſt, quam inſcitia atque ignavia: quam viri docti Franciſcus Balduinus, M. Antonius Muretus, atque alii depellere de ſuperiorum facultatum ſcholis contenderunt. Verum hæc miſſa faciamus: non enim in Perpiniano litterarum humaniorum Doctore Corrado

rado ſcribenti viro diſertiſſimo reprehendi poteſt. Reprehendetur fortaſſe in utroque nimia ſubtilitas, in iis præſertim rebus quæ nihil aut parum intereſſe videantur. Id, ſi vitium eſt, temporis potius fuit quam hominum illorum; ſic enim tum Philoſophia tradebatur; ut hiſ maxime quæſtionibus inveſtigationibuſque eruditi homines atque etiam curioſi delectarentur: quod declararant ea tempeſtate editi libri non ſolum Perionii, Rodolphi, Nunneſii, quos Perpinianus laudat, ſed Lovanienſium Academicorum, Auguſtini Niphi, Franciſci Toleti, Franciſci Zabarellæ: Quibuscum ſi quis comparet ea quæ vel in Philoſophicis vel in Mathematicis aliquando perſequuntut recentiores iſti Præceptores Lockius, Cudworthus, Moshemius, Vvolphius, Leibnitius, Vvalliſius, Eulerus, Bernoullii; non erit ſane quod antiquiorum illorum tantam operam diligentiamque derideat. Eſt enim hoc eorum proprium, qui laboribus ſtudiiſque ſuis artem aliquam tamquam filiolam ornandam excolendamque ſuſceperunt, ut in eo præſtando plus aliquanto progrediantur, quam videatur vulgarium ingeniorum imbecillitas aut communis uſus poſtulare. Quamquam hæc non dico, quaſi illa de locis tractatio nullam utilitatem habeat, nec illuſtrari ſummorum hominum ſtudiis laboribuſque debuiſſet. Nam eſt longe ſecus. Hunc quidem quaſi infrugiferum agrum recen-

centiores ferme deseruerunt; imo inutilem esse omnem de locis doctrrinam palam prædicant Du Hamel [a], Petrus de Crose (b), Arnaldus [c], Jo. Franciscus Buddeus (d), aliique: sed mirum est id vidisse recentiores tanto post quam eam partem utilissimam Græci Latinique, vel Philosophi vel Rhetores prædicarunt. Recens etiam vir doctus [e], ideo plurimos Aristoteli hæsisse putat, quod locorum eam doctrinam fusius erat persecutus. Aliud sane ab illis quos nominavi judicium tulit vir acutissimus Franciscus Baco de Verulamio *lib. 5. de augmentis scientiarum cap. 3. & lib. 6. cap. 3.* Nec vero aliter sentire, aut potest, aut debet qui eam Philosophiæ partem quam veteres *Rationalem*, *Logicam* nostri vocant, recte atque ordine tradendam suscipiat. Est enim partibus, ut eam Cicero nobis descripsit, constans duabus, una quæ in judicando, altera quæ in inveniendo versatur: qua nimirum instituti juvenes habeant quò referre animum possint, cum re qualibet proposita de ea disserendum est; atque ubi multa cogitando meditandoque collegerunt, possint eorum aliquid ita ponere ut

(a) lib. 3. *de mente humana* cap. 2.
(b) *Logica systema.* part. 3. cap. 2.
(c) Art. *cogitandi* part. 3. cap. 17.
(d) *Philosophia Instrumentalis* part. 1. cap. 4. 5. 39.
(e) Auctor tract. *de incertitud. scient.* cap. 5.

ut veritas extrudatur. Atque in altera quidem harum partium satis multi elaborarunt viri docti; nimirum post Zenonem, Chrysippum ac præ ceteris Aristotelem, qui non amplificasse eam facultatem sed de novo condidisse, atque instituisse videtur, Petrus Ramus, Franciscus Baco, Cartesius etiam; quos Logicæ sive auctores, sive instauratores Petrus Gassendus recenset: necnon his recentiores Arnaldus, Auctor libri *de medicina animi*, Malebranchius, Lockius, Joannes Clericus, Christianus Vvolphius, aliique in quibus enumerandis omnibus infiniti essemus. Nec vero attulerunt fortasse aliquid quo mirum in modum facultas ista cresceret atque amplificaretur, ut docti homines (*a*), judicant: non ipsorum vitio sed conditione disciplinæ ipsius, cui limandæ ac poliendæ, præterquam ab Aristotele factum est, *nulla* fieri accessio potest. Sed altera nimirum pars quæ in inveniendo versatur, ea a Recentioribus præterita viri ingeniosi doctique manum efflagitat: imo juvenum ipsorum commodum atque utilitas. Hic enim hærere plerumque solent, cum quæstione data vel arrepta, non illi quidem aut construendorum syllogismorum, aut ordinandorum artem igno-

(*a*) V. Rapini animadversiones in Logicam, A. *Incertitud. scien.*, Buffier. tract. *de prim. veritat.* pag. 453.

ignorant : ſed quid ſumant, quam ſyllogiſmo conſtruendo materiam dent, quo ad veritatem indagandam *medio*, ut ajunt, utantur ; id vero ſollicitos tenet atque ſuſpenſos : nec diu multumque cogitantibus Logicarum præceptionum peritiſſimis quicquam aliquando occurrit . Quid ? inquiet aliquis ; hoc Ariſtotelici loci præſtant ? Non audeo affirmare noſtro hoc tempore, tam multis non modo quæſtionibus, ſed ſcientiarum generibus immutatis. Quamquam video conferre poſſe nonnihil (ut exemplum aliquod ponam) Chronologo, in annum inquirenti quo Chriſti mors contigit, animum referre ad Adjuncta temporis illius, ut & lunæ ætatem inveſtiget, & ſolarem cyclum ſive feriam ; & Antecedentia temporis illius perſequatur, ut Danielis Prophetiam, & Conſequentia, ſive annos a Chriſti morte in veterum monumentis numeratos, Paſchæ etiam nomen, aliaque hujuſmodi . Sed non hæc Ariſtoteli, aut antiquis illis cogitanda fuerunt, quibus nec Chronologiæ nomen erat fortaſſe auditum, neque ars ipſa perſpecta . Ariſtotelem ergo ajo abunde ſui temporis hominibus ſatisfeciſſe. Cum enim Sophiſtarum natio invaleſceret, qui argumentatiunculis quaſi laqueis irretire homines gloriabantur ; idque vel præclariſſimæ artis, vel honeſtiſſimi ludi genus putare-

tur, quod diu etiam duravit [a]; faciendum summo Dialecticæ magistro fuit, ut locos traderet vel construendorum vel dissolvendorum hujusmodi argumentorum. Atque hinc illa tam multa sive ad construendum, sive ad evertendum ut ipse vocat, παραγέλματα & loci. Nobis id ætatis, ac multarum, præstantiorumque litterarum hominibus, alia quapiam ratione succurrendum est, seduloque in eam Logicæ partem quæ ad inveniendum spectat incumbendum: nimirum ut & singularum disciplinarum loca proponamus; quod præter Theologiam, & Physicam, Jusque ipsum civile vix in alia facultate factum video; & communia omnibus scientiis hæc veluti adjumenta tradamus. Et Lulli quidem artem illam, quæ nunc contemnitur, eò spectasse puto, ut hoc præstaret, verborumque similitudine quadam dubios incertosque homines ad-

(a) Gellius lib. 18. cap. 13. *Saturnalibus Athenis, alea quadam festiva & honesta lusitabamus hujuscemodi. Ubi conveneramus complusculi ejusdem studii homines ad levandum tempus, captiones quæ Sophismata appellantur, mente agitabamus, easque quasi talos aut tesserulas in medium vice sua quisque jacebamus.* Cicero III. de Orat. n. 15. *Ut homines labore assiduo & quotidiano assueti, cum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se aut ad talos aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum; sic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriati, totos se alii ad Poetas, alii ad Geometras, alii ad Musicos contulerunt; alii etiam, ut Dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt.*

admoneret, ſuggereretque argumentorum ſilvam; ut verborum concinentiâ noſtri rythmici admonentur Poetæ. At non verborum, ſed rerum affinitas quærenda eſt. Itaque meo quidem judicio de litteraria Rep. benemereretur magno vir ingenio excellentique doctrina, qui rebus omnibus quoquomodo poſſumus comprehenſis, & in certas claſſes diſtributis, generum ipſorum ſimilitudinem, & quaſi cognationem demonſtraret. Adjuvaret fortaſſe ipſa Mathematicorum ars, ſi quis probe cognitas haberet, quibus ea uti conſuevit, colligendi & ratiocinandi vias, quarum certe multas continet atque omnino inſignes & præclaras. Sed virum res iſta poſtulat, qualem neſcio an ætas ulla feret; non enim id ſolum poſtulatur quod Delminius libello illo ſuo præſtitit aut efficere potius cogitavit. Hæc tamen aut mihi admonere, aut ceteris legere fortaſſe non pœnitebit. Itaque redeo ad Perpinianum, cujus epiſtolas diximus vel continere præceptiones quaſdam, vel hiſtoriam. Ac de primo quidem genere nihil præterea dicendum. Nam quamquam in epiſtola Franciſco Adorno ſcripta quæ eſt ordine XVI. multa complectitur egregia atque utiliſſima, imo puerilis inſtitutionis optimam omnino rationem ac modum, nihil tamen habet, quod explicatione egeat, aut remorari lectorem poſſit. Circumferuntur ejus generis plurimi libri, quorũ nonnullos ab Heterodoxis præſer-

 tim

tim hominibus ſcriptos Thomas Crenius (*a*) collegit, Joachimi ſcilicet Camerarii, Joannis Fungerî, Arnoldi Clapmarii &c. quibus omnibus anteferendus Jacobi Sadoleti noſtri libellus *de liberis recte inſtituendis*. Hi tamen non eruditionem ſolum ſpectant in litteris, ſed officia omnia ejus ætatis, & morum ſanctitatem; quam unice ſibi propoſuit Cardinalis Silvius Antonianus in aureo opuſculo *de liberorum educatione*. Informationem in liberalibus diſciplinis, quibus imbui prima ætas ad Humanitatem ſolet *Chriſtianis litterarum Magiſtris* inſcriptam edidit Joſephus Juvencius [*b*] ſimilem Perpiniani libello. Sed in eo argumento fuſius aliquanto verſatus eſt, nec omnia quæ attulit probare poſſis. Nihil vero in Noſtro quod diſpliceat, nihil quod non ſit ex optima diſciplina; ut ſive propriam ipſius, ſive Conimbricenſis Academiæ quam ſe deſcribere profitetur, eximiam præclariſſimamque agnoſcas in erudienda juventute facultatem. Sed jam alterum genus epiſtolarum aggredimur. Sunt illæ ut dixi hiſtoricæ, præſertim de rebus geſtis Calvinianorum. Cum non exiguus fructus hinc redundare in hiſtoriam poſſit, de iis breviter diſſeremus, addentes ea quæ iiſdem de rebus habet in orationibus.

§. II.

(*a*) *De eruditione comparanda* Lugduni Batavorum MDCXCIX.

(*b*) *De ratione diſcendi & docendi*.

§. II.

De Hæreticis hominibus memoratis a Perpiniano.

1. *De Luthero & causa secessionis ejus ab Ecclesia Romana. Rusticorum strages Germanica: numerus cæsorum apud Scriptores varius.* 2. *De Carolostadio ejusque cum Luthero dissidiis. De Joanne Leyden Anabaptistarum Rege: bellum ei illatum ab Episcopo Monasteriensi.* 4. 5. *De Spifamio, Serveto, Gentili, alio Gentili &c.*

I. VIvebat iis temporibus Perpinianus quæ turbulentissima fuere Romanæ Ecclesiæ; fœtaque hominibus veræ Religionis osoribus, novarumque rerum cupidis, qui nefarium Ecclesiæ bellum indixerunt. Sæpe eos nominat, & facta quædam eorum commemorat. Ac primo horum, hominum ducem Lutherum, de cujus secessione a Romana Ecclesia hæc habet orat. x. *pag.* 283. *De Luthero autem constat inter omnes; quod ex ipsius etiam scriptis planum fieri potest: cum prædicandi remissionum earum, quas indulgentias nostri vocant, potestas Augustinianis in quibus erat ille, adempta fuisset, atque ad B. Dominici familiam translata, tantumque illi damnum ea re fecissent, quantum antea quæstum illo præconio*

nio facere consuessent : hominem pecuniæ magis cupidum, quam salutis amantem vel alienæ, vel suæ, sane graviter molesteque tulisse : nec minus cœpisse cruciari quam Terentianum illum Syrum bolum tantum sibi ereptum tam subito e faucibus : hanc unam illi principio fuisse causam extenuandi Romanorum Pontificum auctoritatem . Itaque primo nihil aliud , nisi quæ detrimenti magnitudine quasdam ei doloris ardentes faces admoverant, pœnarum remissiones oppugnabat &c. Vulgatum id omne Historicorum litreris ; quod etiam ut ipse ajebat, planum fieri potest ex Lutheri scriptis, vel ex ea scilicet epistola ad lectorem quæ Operibus Lutheri præmitti consuevit: brevissime vero ex Catholicis ea persequitur quem supra laudavi Hosius Cardinalis libro primo contra Brentium qui inscribitur *de Hæresibus nostri temporis*, & Lindanus *Dubitantii dialog.1.* qui non solum rem ipsam tradit, sed iisdem ferme verbis utitur *pag.* 50. Atque ibidem cùm ipse tum laudatus Hosius de avaritia, superbia, atque odio Lutheri in Pontificem Romanum eadem ferme habent quæ Perpinianus ; easque narrant causas fuisse cur ab Ecclesia defecerit. A Luthero bellorum ac tumltuum in Germania initium extitisse ait Perpinians ; & oratione XIII. *pag.* 382. *Repetite*, inquit, *memoria Parisienses, ex quo tempore Lutherus in Germania signum sustulit ad Ecclesiæ Romanæ principatum a Christo*

a Christo institutum, ab Apostolis confirmatum, ab omnibus antiquis rerum divinarum scriptoribus prædicatum, evertendum, qui motus, qui tumultus, quæ bella fuerint exorta.... Et singulæ quidem Germaniæ civitates, quoties fuerint in armis, cum cives a civibus pellerentur, miseris modis acciperentur, proscriberentur, commemorare longum esset. Quæ latius patuerunt bella, quam multa, quam cruenta, quam atrocia fuerunt? Quid miserabilius unquam vidimus, audivimus, legimus illa infinita strage rusticorum: quorum qui numerum posteritati prodere voluerunt coguntur sæpe fateri, numerum iniri nequaquam potuisse? De hac Rusticorum strage Joannes Cochlæus in Commentariis *de actis & scriptis Martini Lutheri* ad annum 1525. atque alii passim historiæ eorum temporum scriptores ad eum annum. Prateolus *lib.* 10. *Elenchi* animadvertit ipse quoque, hanc rusticorum Germanorum cladem aliter ab aliis narrari: Cochlæum ex litteris quibusdam supputare ad centum triginta millia; in vita vero Clementis scribi ad centum quinquaginta millia: deinde subnectit belli ejus ephemerides; *Ad Leypheim*, inquit, *Ulmæ sinum a Liga Suevica trucidati ad* 4700. *aut in Danubio præcipitati aut de rupe depressi. In vicinia mactati* 1500. *Casimirus Marchio occidit* 2500. *Apud Eluvangen occupatam cum duabus arcibus occisi* 500.

si 500. In Vuirtembergensi ducatu occisi 6465. In Vuinsperg 400. Dux Lotharingiæ Antonius per Alsatiam per triduum occidit 26600. alii scribunt 30000. Mense Majo per Duringiam Thomas Muntzerus occisis Fuldæ mille & centum viris, captus est in fuga juxta Isenacum, trucidatis suis conjuratis 6000. Sed resipiscens confessus atque Catholicæ Christi Ecclesiæ reconciliatus decollatur. Per Franconiam... passim cæsi sunt 11600. Casimiro captivi remissi ab Herbipoli 1484. Palatinus internecione delevit 4000.. Hessus cum Saxone ad Franckenhausen 6000. trucidarunt. Alibi quoque incerto numero cecidere plurimi rustici, quorum summa a sola Liga Svevica creditur occisa supra centena agricolarum millia, desideratis equitibus tantum 25. & 200. peditibus. His adde triginta illa millia per Antonium Lotharingum in agro deleta. Hactenus Prateolus.

II. Præter Lutherum Hæresum omnium recentiorum præcentorem, commemorat Sacramentariorum Principem Carolostadium hoc nomine vulgo cognitum; cum natus esset Carolostadii in Franconiæ oppido; ipse vero vocaretur Andreas a Badestein: quare Melanchthon a primis litteris nominis & patriæ designare eum solitus fuit primis Alphabeti litteris A.B. C. Hunc orat.x. *pag.*287. refert Perpinianus primum Luthero fuisse usu, necessitudine, amore conjunctissimum, postea vero acerbissimum

mum inter eos odium exarsisse quod Liturgiam ipso absente sustulisset, sacrum habitum deposuisset, Eucharistiam profanis manibus tractandam objecisset intulisset, infesta signa in templa, imagines & altaria demolitus esset. Narrant hæc uberius Melchior Adamus *in Vit. German. Theologor.* Prateolus *libro III. Elenchi*; ac brevius Stanislaus Hosius, qui Luthero ait quasi *fratrem juratum* fuisse Carolostadium, *quem arctissima* inquit *necessitudine devinctum habebat*. Nec mirum, cum fuisset inter primos qui A. MDXVII. Lutheri doctrinam amplexi sunt, quā biennio post Lipsiæ contra Joannem Eckium pertinacissime defendit. Quin etiam *constat*, ait Hosius, *primum fuisse Carolostadium qui, Sacerdos cum esset, uxorem duxit*. Atque idem Hosius ita de eorumdem dissidiis; *Is non totos duos annos in eadem cum eo sententia permansit. Nam dum absens a Wittemberga fuisset Lutherus, præter voluntatem illius Missam abrogavit, habitum religiosum abjecit, sacrosanctam Eucharistiam profanis manibus attrectari fecit, concitatæque plebi fuit auctor, ut quasi portis effusa patentibus infesta signa templis & aris inferret, & ex illis imagines ejiceret. Quamvis autem Wittembergam reversus Lutherus rem ipsam non improbaret; quoniam tamen alio quam se ipso auctore factum esset, quasi minus recte neque ordine factum gravissime reprehendit. Itaque acerbæ inter eum & Carolostadium inimicitiæ exarserunt, & sic est*

 alter

alter in alterum debacchatus, ut uterque sit alteri factus plusquam hæreticus. Quod Perpinianus habet de explanatione quadam Carolostadio a malo Dæmone insinuata, leges apud Lindanum *Dubitant. pag.* 241. & Tilmannum Heshusium.

III. Alterius nequissimæ Sectæ Anabaptistarum Regem nominat Joannem a Leyden. Nam *oratione XIII.* de discordiis bellisque disserens ab Hæreticis excitatis, ubi Anabaptistarum dogmata quædam recensuit, qui, *a Deo se mandata accepisse dictitabant, ut omnes Reges ac Principes bello subactos necarent; impios e medio tollerent, si qui amantes æquitatis in multitudine reperirentur, illis parcerent; Davidis regnum toto orbe renovarent, in quo nemini impio futurus esset locus*; hæc *pag.* 383. *Quis in omni barbaria tyrannus immanior umquam extitit quam Monasterii Joannes Leydanus Anabaptista, a forficibus, acu, linis, ad imperium repente per vanissima somnia translatus? aut quod bellum obstinatis magis animis aliquando gestum, quam a Monasteriensibus illius circulatoris præstigiis misere deceptis contra veterem Patronum civitatis?* Nihil vulgatius celebriusque hoc Anabaptistarum Monasteriensium facto & Joannis Bokelse Leydensis regno. Rem breviter narrat Surius in commentario ad an. 1534. *Mense Januario*, ait, *Anabaptistæ audax facinus aggressi Monasterium Westphaliæ metropolim occuparunt. Ceteris*

non

non magnopere resistentibus, sive quod abhorrerent a fundendo civium sanguine, sive quod Episcopum non longe ab urbe peditatu & equitatu instructum vererentur, per eam occasionem in oppidum irruiturum. Porro Anabaptistæ Magistratum loco movent, & primo quidem eos, qui ipsis consentire nollent, patiuntur abire cum rebus suis, non tamen esculentis & poculentis quas exportari nolebant. Deinde vero rebus omnibus spoliatos ex urbe exigunt, quotquot ab ipsorum secta abhorrerent, adeo ut etiam infantibus corallia detraxerit, nec a conviciis in abeuntes jactandis sibi temperandum putarint, impios & ethnicos eos vocitantes. Hoc enim ea hominum pestis sibi persuasum habet; qui idem cum ipsis sentire nolint, eos ethnicorum loco haberi oportere. Itaque, non modo Catholicis, sed etiam Lutheranis fugam arripere coactis, Anabaptistæ urbem sibi vindicant, ædes pulcherrimas Canonicorum, Patriciorum, & Senatorum, aliorumque homines profligati & perditi sibi usurpant. Fuit in urbe Sartor quidam natione Batavus, quem illi miseri misere ab illo tamquam divinitus admonito delusi, sibi Regem crearunt. Nam ille mirabili vafricie persuasit insanis, Deum ipsi per Spiritum mandasse ut Rex fieret Israel & justitiæ instar Davidis, & in totum orbem suæ dominationis jura proferret, perderetque omnes, qui ipsius fidem amplecti, & justitiæ subditi esse detrectarent. Addit novum Regem non defuisse sibi, quo minus regni novi

commodis potiretur. Primo multas uxores duxit; deinde regiam aulam adornavit, proceresque regni creavit; auream argenteamque vestem Ecclesiis ereptam sibi suisque aptavit; diadema triplici distinctum corona accepit ex auro; torquem item aureum, pomumque cum epigraphe *Rex justitiæ super terram*. De bello vero iis illato a Monasteriensi Episcopo quem *veterem urbis Patronum* Perpinianus vocat, multa habet, quæ eorum pertinaciam obstinationemque prodant. Nam cum obsessa urbe fame premerentur & tandem eò redacti essent ut mures & glires in deliciis haberent, corioque & pellibus contusis & coctis, panis loco uterentur; Regi tamen suo sufficiebant non ad necessitatem modo sed ad luxum & delicias omnia quæcumque in rerum omnium abundantia expetere potuisset. Quòd vero, plerisque inedia pereuntibus, quædam ex Reginis, id est Joannis concubinis, dixisset, non sibi videri eam miserorum cladem Deo gratam esse, Rex illam in forum produci coram ceteris uxoribus suis jussit, caputque præcidi, dum interea *ad tam præclarum facinus*, inquit Surius, *aliæ cantillant, & gratias agunt cælesti patri: Rex quoque choream ducit, populo ut idem faceret persuaso, cui vix esset quod ederet*. Hortante vero Episcopo ut se dederent, in tantis rerum angustiis obtinere non potuit; respondentque se a proposito minime discessuros: donec introductis militibus, atrocique cæde per-

acta

acta capta est urbs, & de ipso Rege supplicium sumptum anno 1536. Eadem ferme habet appendix ad Carionis Chronica, Joannes Sleidanus *lib. X. historiæ*; ex Catholicis vero præter Spondanum, & Rainaldum in Annalibus, auctor Historiæ Anabaptistarum, qui historiam ferme suam omnem ex Joannis vita contexit.

IV. His Perpinianus *orat. X.* exponens odium Hæreticorum inter se, tres jungit, quos suo tempore vixisse, atque aliorum Hæreticorum expertos esse rabiem narrat. *De Spifamio* (ait *pag. 291.*) *quod nuper accidit potest sileri? potest tam insignis invidia dissimulari? qui quod multis rebus esset Beza superior; paulo liberius de quibusdam quam vellent ipsi loqueretur, æmuli crudelitate miser morte luit alienæ invidiæ pœnas. Crimina quæ sunt in eum collata, magis, ne nihil causæ diceretur, afficta, quam quod vera, vel illo supplicio digna putarentur, videntur objecta.* Deinde *pag. 300. Cur Calvinus de Serveti dogmatis aut solus aut cum suis cognovit, statuit, judicavit? cur Martio extremo Lugduni, me præsente, in Gentilem contemnentem Calvini sententias, & multa nunquam ante id tempus audita de Divinitate comminiscentem Calviniani Ministri se judices esse velle dixerunt? Cur recusantem illum & ad Ecclesiam universam provocantem, ad Ecclesiæ totius, hoc est, ad sartorum, sutorum, cerdonum, fullonum, & aliorum opificum, & mulierculارum, & adolescentulorum judicium in-*

 viti

viti rejecerunt? De Serveto quem hic appellat, antea *pag.289. Jam Michaelem Servetum non idem Calvinus extremo supplicio mactandum curavit? Audivi de viris, qui Calvino quondam intimi fuissent, cum dicerent, Servetum nulla re magis quam Hispani nominis invidia oppressum.* Spifamii casum multi memorant. Fuit Iacobus hic Spifamius (alterius Ægidii Spifamii Nivernensis Episcopi patruus) ex Bulengero (*a*) *homo simplex, litterarum rudis, medicis natalibus*. Sammarthani (*b*) tamen *ex gente antique Parisiensi* Ioannis domini de Passy & de Bisseaux, ex Jaqueta Ruzæa quinctus filius ex libellorum supplicum Magistro, & Præside in camera inquisitionum, Ecclesiæ Parisiensis Canonicus atque Academiæ Cancellarius, Vicarius Generalis Cardinalis Caroli Lotharingi, ac deinde Episcopus Nivernensis, qui eam Cathedram adivit 14. Octobris 1548. Sed uxore ducta, hoc est concubina adscita anno 1559. Genevam transfugit; ibique capite plexus obiit an. 1565. die 25. Martii. Tamquam exploratorem capite truncatum ajunt Sammarthani, quod fortassis tanti sceleris pœnitentia ductus Catholicis favere crederetur. Idem ferme habet Claudius Robertus in Gallia Christiana (*c*) & Spondanus *ad an. 1559. num. 18.* In Scaligerianis hæc de

(*a*) Historiarum sui temporis lib. 1. pag. 2.

(*b*) Gall. Christ. tom. 3. pag. 807.

(*c*) pag. 434.

de illo habentur. *Spifame de Passi capite mulctatus Genevæ quod uxorem haberet, non sibi unquam in publico cœtu junctam nec desponsatam, sed quam marito priori subtraxerat, triennio toto, vivente etiam marito, apud se servaverat. Servinus patruus Regii Advocati, cui molestiam præbebat apud Admiralium causa fuit ipsius exitii. Nam Servinus qui omnia noverat Genevam venit, eumque apud Senatum accusavit: erat enim unus* LX.*virorum, consistorianus* Scaligero mavult fidem habere Sponius *lib.3. Genevensis historiæ*. Fuisse tamen veræ causæ eam inductam, idem significat, atque in præterita scelera inquiri cœptum, quod ad desertam fidem redire, pristinumque gradum adipisci moliretur; & mirum profecto est, ut Noster ait, illa scelera, etsi vera, existimata fuisse Genevæ supplicio digna. Itaque Perpinianum puto, id quod erat fuisse assecutum, dum ait Bezæ crudelitate morte luisse alienæ invidiæ pœnas, quod multis rebus esset illo superior & paulo liberius de quibusdam loqueretur. Primum constat ex iis naturæ laudibus quibus abundabat & muneribus quæ gesserat: quicquid enim Bulengerus dicat, præter generis nobilitatem, attulerat non vulgarem eloquentiam, a qua eum laudat Thuanus (a). Alterum demonstrat opera a Beza interposita ut Spifamius damnaretur ii,

 qui

(a) lib.33. num.27.

qui & Navarræ Reginæ litteras contra eum protulisse dicitur, & vehementi oratione eum accusasse.

V. De Serveto & Gentili etsi multi dicunt, placet hic adducere Robertum Bellarminum, qui in præfatione ad libros *de Christo*; postquam in ea disceptatione duos esse dixit inimicos; atque alteros adversus Christum aperte pugnare, alteros ex insidiis agere; primi agminis ducem atque imperatorem facit Michaelem Servetum Hispanum, quem ait, cum esset juvenis ferox atque audax, annorum scilicet quinque & viginti natus, metueretque ne ætas impedimento esset, quod annis deesse videbatur, Prophetici nominis auctoritate voluisse compensare; subditque de exitu ejus: *In media Genevensium urbe igni traditus non constanter atque alacriter, ut sancti olim Martyres solebant, sed tam iniquo atque impatienti animo supplicium pertulit, ut Calvino ipso teste qui historiam mortis ejus conscripsit, magnis clamoribus, sive, ut ipse ait, magno boatu gladium flagitaret. Sed cum in judices plane inexorabiles incidisset, tandem aliquando est longissimo illo acerbissimoque dolore consumptus.* Alterius illius agminis ait Bellarminus principem esse Valentinum Gentilem Italum, qui studio rerum novarum ex patria sua Consentia Genevam ad Calvinum venit, sed ex discipulo in Magistrum erroris brevi evasit, novamque excogitavit sententiam

quæ

quæ & cum Servetiana non consentiret, & tamen penitus a Catholica discreparet; subditque ea sententia explicata: *Cum igitur ille Genevæ ab insano illo spiritu impulsus in renovando Arianismo occupatus esset, interim ab alio spiritu Calvinus agitur ut se Valentino opponat, sic inter inter se dæmonibus colludentibus. Valentinus fit reus hæreseos apud tribunal hæretici magistratus, ubi metuens Valentinus Calvini severitatem, & ad memoriam revocans incendium illud formidolosum, quo in eadem urbe; eodem auctore Calvino, Servetus paulo ante perierat, ut tempori serviret, errorem se suum agnoscere simulavit. Itaque ex sententia judicum ad pœnitentiam publicam damnatus, depositis vestibus, solo excepto indusio, nudis pedibus, detecto capite, facem accensam manu gestans, præeunte præcone, totam urbem sic obivit. Deinde a Magistratu supplex veniam petiit, librum ipse suum in ignem abjecit, ac jurejurando promisit, non abiturum se Geneva, nisi prius a Magistratu veniam impetraret. Sed præclarus iste Apostolus Arianus, postquam tam insigni palinodia, & inconstantia renascentem Arianismum decoraverat, voluit etiam eumdem ornare perjurio. Quare Geneva clanculum se proripuit, & cum apud Gallos, Helvetios, Polonos, aliasque gentes Arianismum suum propagare conatus esset, & ad primum perjurium, alterum ac tertium addidisset, tandem anno undecimo a morte*

Ser-

Serveti apud Bernam Helvetiorum a Zuvvinglianis comprehensus & capitis damnatus meritas suæ temeritatis pœnas dedit; qui tametsi dum in vinculis & carcere servabatur, se Martyrem primum suæ sectæ esse jactaret, ac diceret, Martyres ceteros pro Christi gloria mortuos, se autem primum omnium pro eminentia Dei patris mortem oppetere; tamen ubi nuntium mortis accepit, ita expavit atque expalluit, ut omnes omnino aditus supplicii evadendi quæsierit, paratus etiam doctrinam suam contemnere, si judicum animos inflectere potuisset. Extant Acta publica Genevensium in causa Valentini, necnon integra historia de supplicio ejusdem a Bernensi pastore conscripta. Quem hic Bernensem pastorem Bellarminus appellat, est Benedictus Aretius qui fuse de Gentilis supplicio historiam exequitur, eaque habet quæ hic Bellarminus: quæ quidem leguntur in monumentis a Calvino prolatis in *Explicatione perfidiæ Valentini Gentilis* (a). De Serveto quoque, quæ Bellarminus retulit ex Calvino, habet hic in errorum ejus refutatione (b), etsi boatum illum, aliud quid sonasse invenio cum mors denuntiata est; nimirum ut misericordiam imploraret: sed ex Prateolo vel Lindano illa hausit, qui ajunt, Calvinum igni illum creman-

(a) tom. 8. Oper. Calvini pag. 568.
(b) ibid. 510.

mandum tradidisse, *licet supplex gladium flagitaret, ac misericordiam teste Calvino ingenti precaretur boatu*. De eo cùm ipse Prateolus & Lindanus in *Dubitantio pag.* 159. tùm Annalium Scriptores & Auctor adnotationum ad Sponii Genevensem Historiam ad a. 1552.; item Dominicus de Colonia in historia litteraria Lugdunensis urbis *tom.* 2. *cap.* 12. quo loco docet; Lugduni Servetum duos vel tres annos conatum spargere secreto virus suum, cum erratis typographicæ officinæ emendandis operam locasset. Inter ceteras vero artes illa numeranda est, quo Pagnini viri pii ac docti Bibliorum versionem a se corruptam ejus nomine edidit a. 1542. (mortuo nimirum Pagnino) cum præfatione Michaelis Villanovani idest Serveti ipsius. Cum ibidem vulgare vellet impios libros *de Trinitatis erroribus*, prohibitus est, & in vincula conjectus, unde simulato abjuratis erroribus evasit. Viennam Delphinatus urbem cum se recepisset perniciosissimum librum edidit, cui titulus *Christianismi restitutio*, qui liber ibi flammis traditus cum Auctoris effigie. Inde enim se ille subtraxerat, pluribusque urbibus perrerratis Genevæ, ut diximus, igni traditur VI. Kal. Novembr. A. MDLIII. Illum diu *in Academiis Mahometicis in Numidia versatum* scribit Georguis Major *orat. de confus. dog.* quod nimirum in Africa fuisset, & Alcoranum didicis-

dicisset, ut testis est Palladius *in Catal. Hæres.* Jam vero quod Noster ajebat, Calvinum de Serveti dogmatis aut solum aut cum suis cognovisse, statuisse, judicasse; Calvinus ipse in citata refutatione *pag.* 517. fatetur se auctore factum, ut deprehensus ad causam dicendam postularetur; & quamquam se coram Judicibus cum eo contulisse narrat, nemini ignotum, ea in urbe eo tempore dominatum Calvinum; quod pariter judicandum de Basileensibus, aut Tigurinis, aut Schafhusianis Ministris a quibus consilium expetivisse Genevenses ex Calvini epistolis constat: a Calvino nimirum pendebant omnes. Hispani nomen nocuisse Serveto, etsi nullis litteris proditum vidi, illustre tamen est nonnullorum apud Perpinianum testimonium. Profecto adnotatori Sponii non adeo damnanda fuisse videntur Serveti responsa, ut illa severitate animadvertere in Hæreticum Genevenses debuissent. Bene tamen Noster; *sed causam Serveti, si quidem ille tam impie de divinitate sentiebat, tantum abest ut defendam, ut nihil unquam rectius a Calvino factum esse fatear in omni vita*. Quæ de Gentili habet gesta se præsente ad annum pertinent 1566. qui fuit vitæ extremus; cum ultimo supplicio affectus fuerit mense Septembri ejusdem anni. Antea Lugduni sæpius fuit: nam furtim se Geneva subducens a. 1558. errans pluribus urbibus huc quoque pervenit. Plures quoque ejus libelli scri-

pti

pti vel editi Lugduni feruntur. A Sandio in Bibliotheca Anti-Trinitariorum inter alia opera hæc recensentur *Confessio de Trinitate cui præfixa est præfatio sub typographi Theophili nomine ad filios Ecclesiæ : illi additæ protheses & criminationes in Athanasium ; impressa Lugduni, licet Antuerpiam præferant.* Memoratur etiam *Confessio brevis* cum ádnotationibus in Symbolum Athanasii Lugduni edita & dedicata Præfecto oppidi Gaii, quo, adjuvante Alciato, e carcere emissus: licet postea redux, altera die Junii comprehensus, & Bernatibus poscentibus traditus: item libellus *Antidotorum* quem Lugduni composuerat. Erat enim tunc Lugdunum horum hominum, & novarum opinionum quoddam quasi receptaculum; vel quod vicina civitas esset Genevæ, & Helvetiæ ac Germaniæ contermina; vel quod litteratis hominibus, in quorum turbam se Christianæ Fidei desertores conjiciebant, floreret: quas causas turbarum ac tumultus qui postea urbem afflixit, luculenter explicat præ ceteris Dominicus de Colonia *tomo* II. *Historiæ Litterariæ Lugduncnsis*. Verum de his paulo post. Interea ex Perpiniano licet erroris arguere Petrum Bayle, qui reprehendens Morerium quod scripserit Gentilem e Polonia ejectum fuisse edicto a. 1562., contendit, factum id decreto lato in Comitiis Pinsoviensibus anno 1566. III. Non. Martii celebratis; atque

que illum cedentem Polonia, venisse in Moraviam, ac deinde Viennam Austriæ, postea in Sabaudiam. Contingere hæc non potuere, si Martio mense Lugduni visus est a Perpiniano. Atque hæc hactenus. Nam infiniti essemus, si de omnibus, quos Perpinianus nominat hæreticos homines, vellemus hîc fusius disserere. Meminit enim ferme omnium, qui maxime erant ea tempestate famosi, Buceri, OEcolampadii, *pag*. 288., Brentii, Urbani Regii, Andreæ Osiandri *pag*. 290.; Philippi Melanchthonis, Caroli Molinæi, Flacci Illyrici *pag*. 316. Hieronymi Mentzelii, Ioannis Spangembergii *pag*. 392. Joachimi Vvestphali *pag*. 297. *&* 409. atque ibidem Tymani Pastoris Bremensis ac paulo post Petri Martyris, Theodori Bezæ, Forsterii, Pomerani, Tigurinorum Ministrorum, Sacramentariorum, eorumque, quos ait *e Gebennensi ludo exisse lanistas, qui contra Sanctissimæ Trinitatis Fidem in Polonia depugnarent*: uti alibi Svenckfeldianorum atque aliarum Sectarum. Hi vulgo cogniti, & plurimi de his agunt, quique iis ferme temporibus vivebant Hosius, Lindanus, Prateolus, Alphonsus a Castro, sive Fevardentius &c. Minus quam hi cognitus esse videtur, a Perpiniano nominatus *pag*. 316. Ludovicus Alemannus, quem ait adversum fuisse Calvino; & *pag*. 392. *Decreta nova Ludovici Alemanni legimus nuper ad nos missa Lugduno, in quibus illud erat*: que-

quorum animus aliquo vitio sic tentetur, ut repugnare omnino non queant, eos etiamsi faciant, prorsus non peccare: qua voce nefaria, juris, pudoris, officii repagulis perfractis & evulsis quis non intelligit, quantus patefiat aditus & janua ad omnem improbitatem? Est & aliud quod curiosius scrutandum videretur, si operæ fructus constaret; quod nimirum Perpinianus scripsit *pag.*290. *Proximo vere Lugduni cum essem, vidi librum medici cujusdam, cognomento Gentilis, quem* ἀυτόγραφον *ajebant esse qui mihi obtulerant: in eo vero libro præter multa de Deo, multa de mysteriis, a Calvinianis decretis longe abborrentia, scripti erant permulti in Calvinum versus, quem nihil omnino vidisse, nihil intellexisse, novus e cælo præcipitatus doctor affirmabat, ut ab eo discipulos abduceret, si posset. Ac illum assectatoribus circiter quadraginta stipatum Calviniani, ut audivi postea, vi atque impetu incitatæ multitudinis ex urbe expulerunt:* num hîc de eo quem supra descripsimus Valentino Gentili? Diversum innuere videtur Perpinianus, cum hunc sibi veluti ignotum hominem proponat; alium probe cognitum habuerit: imo rem gestam quo tempore Lugduni aderat narrat *pag.* 300. iis verbis, quæ supra retulimus Præterea Medicum illum appellat, quod de Valentino Gentili nusquam legi. Lindanus *Dubitant pag.* 157. & ex eo Prateolus Pæda-

go-

gogum vocant. Itaque suspicor sermonem illic esse de Matthæo Gentili patre Alberici & Scipionis Gentilis qui in Italia natus, a Catholica Religione defecit, satisque ex filiorum libris innotuit, atque ex funebri oratione habita in obitu Scipionis.

§. III.

De Calvinianis factis quæ Perpinianus narrat.

1. *Calvinianæ hæresis derivatio a Lutherana: Hujus initium statuitur a.* 1517. 2. *De tempore ac loco unde se diffundere in alias terras cœpit,* 3. *De gymnasio unde emissam in totam Lugdunensem urbem Perpinianus scribit: de Bartholomæo Anulo Poeta & Gymnasiarcha* 4. *Manavit Hæresis etiam ex Typographicis officinis Lugduni celeberrimis.* 5. *Lugdunensis clades: fuerunt in ea præcipuæ partes Rufini, & Viretti: horum hominum descriptio.* 6. *Marottus Genevæ loris cæsus, atque ante Petrum Cayetum vulgo id cognitum.* 7. *edicta de Calvinianis plura & varia: indulgentia Regis a Perpiniano aliisque excusata.*

Per-

I. Perpiniani epistolas plurimum valere ad Hæresis historiam explicandam jampridem adnotavit Dominicus de Colonia (a); præsertim quod nonnulla in iis reperiantur minuta illa quidem sed quæ penitus hominum ingeniis cognoscendis, temporibusq., quæ Galliæ turbulentissima extitere, enarrandis necessaria sint. Atque exemplum ille ponit in Calvinianis, qui Lugduni erant, quorum furor tantus, ut, cum renuntiatum esset Melitam insulam a Turcis obsideri, jejunia indixerint & publicas preces pro victoria Turcarum; Ministri etiam eorum pro concioue docerent *melius esse Turcis quam Idololatris* (Catholicis scilicet) *servire*. Nos hic quædam indicabimus Hæresis ejusdem, quæ ex Perpiniano vel eruuntur, vel confirmantur. Ac primum ejus originem sæpe exponit: *Nondum anni L. sunt*, inquit orat. IX. *pag.* 235., *cum illa Germaniæ furia bellum impium Ecclesiæ atque nefarium indixit. Illius veluti partus omnes isti sunt, de quibus audistis: Ab illo quasi parente proseminatæ sunt omnes familiæ dissidentium & inter se pugnantium Hæreticorum.* Non ergo auctorem dumtaxat, sed tempus indicat, quo primum impii homines discessionem fecere a Romana Ecclesia; quod item habet orat. VI. *pag.* 190. *Nondum quinquagesimus an-*

(a) Histoir. litterair. de la Ville de Lyon tom. 2. chap. 19.

annus est a Lutheri nefaria Religionis oppugnatione . . . paucis ab hinc annis Calvinus nescio quis illustre suum nomen Ecclesiæ calamitate reddere velle cœpit &c. : & rursum orat. IX. *pag.234. Eorum autem quæ isti docent antiquitas tanta est, ut ego sim propemodum æqualis, qui ad quadragesimum annum nondum perveni.* Accuratius etiam tempus consignavit eadem oratione *pag. 258. Octavus opinor & quadragesimus annus est, cum Lutherus istorum omnium parens atque dux publice ac palam ab Ecclesia universa discessit.* Orationem illam IX. habuit, ut diximus, A. MDLXV. biennio postquam VI. habuerat. Lutherus bellum impium ac nefarium intulisse traditur Ecclesiæ, atque aggressus Religionem oppugnare A. MDXVII.; quando nimirum pridie Kal. Novemb. Wittembergæ theses quasdam suas contra Indulgentias publice proposuit. Hic annus est a quo commentarios suos *de actis, & scriptis* Martini Lutheri orditur Joannes *Cochlæus;* turbarumque ab eo excitarum narrationem Annalium Ecclesiasticorum scriptores Raynaldus, Spondanus, Bzovius, idemque faciunt Surius, qui hoc anno *in commentar.* scribit, Lutherum *cœpisse in Germania nova spargere dogmata & res novas moliri*, Lindanus *in Dubitant. pag.41. &c.* Non enim ante illum annum Romanæ Ecclesiæ hostem se palam professus est, licet Raynaldus admoneat anno superiori prava quædam dogmata cœpisse

se disseminare, & Lindanus *pag.* 37. tempora solicite putans narret; postquam Lutherus ex Jurisconsulto religiosæ vitæ se mancipavit A. MDIV., missusque est Romam A. MDX. ad causas quasdam tutandas, Doctorque Theologiæ creatus est Erfordiæ, A. MDXII. cœpisse circa A. MDXIV. novas variasque quæstiones, non tam ingenii confidentia, aut doctrinæ præstantia, quam contentionis studio rixandique libidine spargere, non solum Vvittembergæ, ubi Theologiam profitebatur, sed Heidelbergæ quò cursitabat gloriolam aucupans, disputaturiens, & themata affigens valvis de libero arbitrio, de operum meritis, de Indulgentiis, de Pœnitentia, & Justificatione, ac de illo in primis articulo Symboli, *Credo remissionem Peccatorum*, novam quamdam interpretationem, a deliro sene haustam ei affingens. Ceterum, si de anno loquamur quo in apertum se Hæresis jam formata protulit, convenit optime tempus a Perpiniano assignatum.

II. Quod de Calvino addidit; paucis annis ante, *illustre suum nomen, Ecclesiæ calamitate reddere cœpisse*; tempus appellat, quo foras prorupit majori celebritate ejus Hæresis. Nam quamquam a. 1534. ejus initium consignetur a Raynaldo *num.* 43. & a Surio annus indicetur 1538. tamen cum primò furtim ac veluti tacite serperet, ejus celebritas ad inferiores annos

pertinet. Quare ab anno MDLVIII. quo turbæ in Gallia fervere cœperunt, sive insequenti quo Carolo IX. fidei formulam obtulerunt, & MDLXI. quo celebris conventus Pissiacensis actus, Sectam hanc ut ab aliis divulsam sibi considerandam sumunt harum rerum tractatores (*a*). Cur vero Calvinianam luem quasi Lutheranæ derivationem faciat, idem alibi explicat oratione X. *pag.* 283. *Nemini*, inquit, *dubium esse puto, quin Martinus Lutherus princeps novam Germaniæ dederit Religionis formam: a quo tametsi vehementer dissenserunt qui sunt postea consecuti; quoniam omnes tamen ab illo orti consilia sua nefaria eodem contulerunt, ad Pontificatum maximum evertendum; quæ res illi dederit nova docendi causam, eamdem aliis multa comminiscendi causam attulisse credendum est*. Verum hoc quidem est quod dicit & de Sectarum illarum dissensione, & de comuni consilio Romanum Pontificatum evertendi; nihilominus Calvinum Lutheranæ Hæresi veluti inædificasse suam, & Lutheri dogmata avide arripuisse atque amplificasse optime animadvertit inter ceteros vir eximie doctus Bossuet (*b*). Itaque qui Calvinianæ Hæresos historiam scribunt a Lutherana exordiuntur; ut Maimburgh, Soulier &c. Locum, unde Hæresis Calviniana effundere se in alias terras cœpit designat Perpinianus oratione X. *pag.*

(*a*) V. Bossuet *variat.* lib. 8. in fin. & 9.
(*b*) lib. 9.

pag. 277. *Quod enim lacus Lemani Tritones buccina signo dato Rhodani ranis universis prædicare solent &c.* De hoc effato suo scripsit ad Sardum *epist.* 32. *pag.* 172. *cum Religionis hujus recentis auctores lacus Lemani Tritones, eorum greges Rhodani ranas appellarem.* Gebennam nimirum designat Calvini regnum: quare & *vulpem Gebennensem* illum appellat *or. IX. pag.* 232., & *orat. XIV. pag.* 408. *Non defuerunt & quidem ex illis Magistris qui Gebennæ, sicut in monte Parnasso somniarunt, & lacus vicini, quasi Hippocrenes aquam obbiberunt; ex illis inquam e cælo inter Alpium angustias devolutis doctoribus non defuerunt Lugduni &c.* Sed præclarum omnino testimonium est Perpiniani, qua ratione Calviniana lues Lugdunum infecerit *epistol.* 19. *pagin.* 114. *In hoc gymnasio primum hæresim natam esse dicunt; hinc pestem illam ad reliquum civitatis corpus permanasse. Pestilentia pestilentiam ejicit, luem animorum corporum lues, quæ sedes has nobis vacuas fecit: speramus fore, ut qua ex officina venenum tam late sparsum est, ex eadem per omnes civitatis venas fundatur salutaris medicina.* Postremis his verbis pestilentiam significat: cujus *tanta vis*, inquit Natalis Comes lib. 14. historiarum sui temporis, *per Galliam Lugdunensem grassata est, tamque per Alpes & Allobroges sæviit, in Helvetiorum usque fines & Rhætos pervagata ut vix quincta pars hominum in illis finibus e periculo cladeque evaserit.* Rubius

bius narrat Lugduni sexaginta hominum millia perempta; quod accidit A. MDLXIV.

III. Ceterum in gymnasio Hæresim natam dicit, quod pravis doctrinis corrupti essent Magistri; atque in primis qui gymnasium gubernabat. De hoc gymnasio quod Ss. Trinitaris dicebatur, fuse de Colonia *cap.* XVII. (*a*), narratque ortum suum debere antiquissimæ omnium Sodalitati, sive *Confraternitati* ut vocant, ad festum diem Ss. Trinitatis eximia quadam pompa ac pietate celebrandum institutæ Lugduni A. MCCCVI., prædiis postea reditibusque auctæ, quibus potita est ad A. MDXXIX., quo Franciscus I. generali edicto cavit, ut quæ, Sodalitates hujusmodi prædia & bona possiderent, ea ad Collegia sive hospitales domos transferrentur. Ex hujus ergo Sodalitatis reditibus Collegium ad bonas artes & disciplinas tradendas, excitatum; idque traditum viris doctis qui eo tempore florebant. Celebratur nonnullorum illorum nomen, ut Gilberti Dulcherii Latini Poetæ, atque alterius qui a raparum laudibus *Rapicius* dictus est, Claudii nimirum Bigotier. His primo præpositus Guillelmus Durandus ortu Lugdunensis: postremus hoc munere functus est Bartholomæus Anulus, (Gallice *Aneau*) qui annos ferme xxx. Rhetoricam docuit. Fuit ille Poetica facultate præstans, librumque edidit hoc titu-

(*a*) *Histoir. litterair. de la ville de Lyon tom.* 2.

titulo *Picta Poesis*, qui rarus admodum est: nonnulla ejus carmina leges *parte* I. *Delitiarum Poetarum Gallorum* (*a*); laudanturque ejus epigrammata duo in commentario ad Emblemata Alciati (*b*). Poeticam tamen laudem maculavit hæresis labe, qua fuit infectus a Magistro suo Melchiore Volmaro. Atrox ejus factum, necemque illi illatam narrant Lugdunensium rerum Scriptores, ac præterea Petrus Ribadeneira in vita Jacobi Lainez (*c*), Sacchinus in Societatis historia (*d*), ac Nicolaus Bailly in vita Edmundi Augerii (*e*). Nos postremi hujus Scriptoris verba recitabimus: *Gymnasium quidem erat in urbe satis amplum & ab ære publico locuples, cui a Trinitate nomen. Sed qui Præfectus erat homo vafer, & egregie ovina pelle lupum tegere doctus, discipulorum, quos hæresi perdiderat ita docendo collegerat animos, ut eorum auctoritate, quæ jam in urbe metuenda erat, ad confirmandam insaniam nequitiamque abuteretur: sic nemo loco (etsi erat id magnopere expetendum) deturbare audebat; foventibus ejus studia veteribus discipulis, atque illius audaciæ patrocinantibus. At quod humana vi difficile fieri poterat, divina ulsciscente*

(*a*) pag. 38.
(*b*) pag. 274. & 306. edit. Patavinæ 1661.
(*c*) lib. 3. cap. 4.
(*d*) part. 3. lib. 1. n. 20.
(*e*) cap. 12.

ſcente manu factum. Supplicatio Lugduni de more instituta anniversario sanctiſſimæ Euchariſtiæ die feſto: Sacerdos qui hoſtiam manibus geſtabat domum illius prætergreſſus lapide petitus eſt. Creditum ex illius ædibus, qui pridem male audiret, ſcelus eſſe profectum. Quare extemplo accurrunt cives, nec opinantem, ut tanti ſacrilegii architectum jugulant; ceteris qui in ea reperti ſunt in cuſtodiam ac demum in furcam deductis. Urbius addit (a) excuſſum e Sacerdotis manibus Chriſti corpus & pedibus conculcatum. Accidit id A. MDLXV. atque eo ex eventu cœptum conſilium tradendi Collegium Societati noſtræ. Rem fuſe narrat Colonia *capit.* 18. &c., cauſaſque addit potiſſimum tres; Pii IV. commendationem Conſulibus civitatis; Poſſevini merita in Lugdunenſem urbem; denique quicquid pro ea egerat Edmundus Augerius. Cardinali Turnonio, atque Antonio illi Albon de quo ſupra diximus, hoc maxime beneficium debemus. Proprium poſtea nobis perpetuumque factum, atque ejus rei monumentum poſitum. *Hoc Ss. Trinitatis Collegium, Henrico IV. Chriſtianiſſimo Rege, Thiliberto de la Guiche Gubernatore Mercat. Præpoſitus Coſſ. Q. Lugd. pietatis doctrinæ que cauſa Societati Jeſu addixerunt MDCIV.* Verum hæc aliaque multa leges apud eumdem de Colonia. Perpinianus *epiſt.* 21. non-

(a) Hiſt. Lugdun. cap. 56.

nonnulla de hoc Collegio tradit; ac primo de ejus nomine *pag.* 122., *ædificium ipsum publicum est, ad juventutem instituendam excitatum, Deo trino & uni consecratum, ex quo gymnasium Trinitatis appellatur; ut hoc ipsum præsagisse ac prædixisse videatur ille bonus vates, qui de me scripsit,*

Hic jacet Orator sanctæ Trinitatis amator.

Lepide versum hunc narrat sibi nunc maxime quadrare, quando hujus nominis Collegium incolit: nam ceteroquin joco compositus fuerat ille versus, veluti Perpiniano epitaphium Romæ cum ægrotus jaceret a nimia contentione & studio in scribenda oratione *de Deo trino & uno*. Deinde de Collegii illius initiis hæc habet: *est igitur hoc nostrum gymnasium Trinitatis ab initio erudiendæ juventuti dicatum, ob eamque causam per quam accomodatum nobis*: quod qua ratione intelligendum sit, ex superioribus, puto, constabit. Denique addit gymnasii totius sive Collegii elegantem descriptionem: piget hic totam adscribere, cum apud ipsum indicato loco reperiri facile possit; illud tamen omittendum non videtur, quod ait fuisse inscriptum cubiculo omnium maximo & ornatissimo; *quod*, inquit, *videtur fuisse Gymnasiarchæ*, ideft Anuli: *Intus vinum, foris ignis*. Loco inscriptionis hujus quæ adversus vim frigoris hæc remedia duo imperabat, Perpinianus ait, scribendum potius ab ipsis, quorum consilia in sempiternum

tempus ſpectare debent; *Intus preces, foris labor*.

IV. Sed ut ad rem noſtram veniamus; etſi in gymnaſio Hereſim natam ex vulgari fama retulit Perpinianus; tamen aliunde etiam labes manavit, a doctis quidem viris qui eo tempore Lugduni verſabantur. Florebat urbs illa ſæculo XVI. litteratis hominibus, quos undecumque acciverat, vel civium opulentia (maxime enim qui litteris dant operam divitibus indigent a quibus ſuſtententur) vel nationum multitudo & varietas quas una civitas complectebatur; vel, ut id etiam addam, illuſtris typographica officina, unde ſaltem operarum erratis corrigendis victum ſibi parare qualicumque labore poſſent. Bene Maittairus de Joanne Treſchel loquens qui a. 1487. Lugduni hujuſmodi officinam aperuit; *ex bujus* inquit, *filia, Jodoco Badio Aſcenſio in matrimonium data, orta eſt Typographorum proſapia illuſtris*. Filias nimirum innuit his parentibus ortas duas, quarum altera Roberto Stephano nupſit, altera Michaeli Vaſcoſano; atque hujus filia data eſt in matrimonium Federico Morellio alterius Federici Morellii tam multis libris in latinam linguam eGræca verſis nobilis, patri. Mortuo Treſchelio ipſo initio ſæculi XVI. Badius perductus eſt Lutetiam Pariſiorum a Roberto Gaguino, cujus hiſtoriam Lugduni formis elegantiſſimis ediderat: Lu-

gduni

gduni tamen non defuere qui eam artem pari vel majori etiam elegantia factitarent, atque inter ceteros Junctæ, Gryphii &c. Ad hos ergo nobiles artifices, inter ceteros viros eruditos qui operam eis suam locabant, venere multi pravis opinionibus infecti. Servetum eam artem exercuisse jam diximus: nominare præterea possumus Stephanum Doletum, de quo Scaliger *epist. XIV. Audio illum præesse Lugduni librariis quorum manum emendet*; & Voutejus in carmine quodam suo quo librum allegat ad Gryphium scribit, *Te castigandum docto dabit ille Doleto*: etsi idem Doletus postea typographicam officinam patefecit. Idem ferunt & de Henrico Stephano; quos omnes litterarum laude commendatos, Hæresis deturpavit. Et Doletum quidem, notum est, ignis supplicio crimen id luisse Parisiis, eamque pœnam vix evasisse Henricum Stephanum in nosocomio Lugdunensi postea mortuum a. 1598, Hæc Moulinetius (*a*), Caillius (*b*), Bailletius, & Monnoius (*c*) fuse persequuntur. Hinc igitur factum ut in hujusmodi officina Hæresis aleretur & cresceret: quam causam bene ceteris quæ Religionem perderent, annumeravit de Colonia c. 14. Quanta esset horum hominum sive potentia sive ardor in Hæresi adjuvanda

 vel ex

(*a*) Du Moulinet *Histoire de la fortune des lettres Romaines*.

(*b*) La Caille *Hist. de l' Imprimerie & de la Librarie*.

(*c*) *Jugem. des Scav.*

vel ex eo conſtare poteſt quod Sponius, in Genevenſi Hiſtoria refert(*a*), Lugduno ſubmiſſum ſubſidium ſexcentorum hominum ; quorum plerique typographicam artem exercebant, eratque typographicus artifex dux omnium, nomine Roboanus. Quamobrem, ut huic malo ſuccurrerent nonnulli cenſuerunt, quemadmodum & Doletus ipſe refert, *Typographicam artem tollendam*; idque Franciſco Regi perſuadere conati ſunt; quod, ut idem ait, Hæreſis divulgandæ occaſionem *ars Typographica ſubminiſtraret*.

V. Quæ calamitas & tumultus in Lugdunenſem urbem inductus ſit ab his cauſis, attingit ſubinde Perpinianus; ut *orat. IX.* ſcribens: *Nolo renovare memoriam illius triſtiſſimi luctuoſiſſimique temporis ; nolo quæ vobis perpeſſu aſpera & gravia fuerunt, ea duriora & moleſtiora facere commemorando. Vos ipſi me tacente recordamini, quas res avaritia in rapinis, libido in flagitiis, in violandis religionibus impietas, crudelitas in civium cædibus, in direptionibus urbium ; in tectorum incendiis, in vaſtatianibus agrorum efficere potuit, eas res omnes, vos proximis annis ſuſtinuiſſe &c.* Evenere hæc Lugdunenſibus, præſertim a. 1562. cum Hæretici urbe potiti ſunt; quod factum ad Calvinianæ crudelitatis memoriam, & Catholicarum patientiæ inſigne, Lu-

(*a*) tom. 1. pag. 37.

Lugdunensium rerum Scriptores Joannes Aubin, Claudius de Rubys, aliique etiam singularibus libris (*a*) persecuti sunt, & Annalium conditores, quales ex Gallis Thuanus, ex Italis Natalis Comes ad eum annum. Nobis præ ceteris accuratissime in hac Historiæ parte versatus videtur quem sæpius laudavimus Domicus de Colonia (*b*) ex anecdotis quibusdam, nimirum epistolis Comitis de Sault, qui ei urbi præerat, cum capta est, imo maximam ipse operam ut caperetur collocavit; & Poemate quodam *de Tristibus Galliæ*. Hic primo admonendi sunt Lectores, ut a nonnullis scriptoribus caveant, qui vel ejus factionis sunt, vel illi favent; & Calvinistarum bellum repræsentant, justam veluti defensionem susceptam contra insidias Catholicorum. De Colonia (*c*) Calvinistarum apologiam quamdam commemoravit, in qua irruptio eorum in urbem *dulcis & pacifici adventus* nomine donatur. Perpinianus eosdem inducit se nun cupantes *oves neci destinatas*: narrat tamen (*d*), *oviculas neci destinatas ubi ubi posuerunt pedem ea fecisse, quibus graviora lupi feri & immanes nunquam antea fecerunt*.

 Exi-

(*a*) *La prise de Lyon par les Protestans*.
Gabriel de Saconay *Histoire des premi ers troublesde la ville de Lyon*.

(*b*) tom. 2. cap. 15. &c.

(*c*) cap. 16.

(*d*) orat. XIV. pag. 422.

Eximium vero testimonium ipsius est ibidem (*a*), ubi Adversarios lacessit, ut videant, ut solicite quærant, atque judicent; an verum sit, ab illis ortos tumultus omnes; *illos provocasse; nostros nonnisi defendendi sui causa arma cœpisse*. Itaque imprudenter mentiti ipsi sunt, dum aliter rem narrant (*b*). De impietate vero sua & furore in sacris omnibus temerandis, & religiosis præsertim imaginibus abolendis, præter Nostros (*c*) Calviniani ipsi (*d*) de se confitentur. Etsi vero Perpinianus cladem urbis & Calvinianorum scelera fuse non describit, tamen qui homines primas in ea tragœdia egerint, satis indicat scribens Pompeio Massarello *epist.22. pag.*128. de Augerio; *Itaque post nostrum ad urbem adventum, ejus potissimum opera & auctoritate ex edicto Re-*

(*a*) pag. 421.

(*b*) Joannes Serranus *Hist. Francic. Inventar.* In Carol. IX.

Histoire de nostre temps contenant le recueil des choses memorables passees, & publices pour le faict de la Religion & estat de la France 1566.

(*c*) Præter supra allatos vide chartas S. Justi apud *Galliæ Christianæ* recentem Scriptorem tom. 4. pag. 185. Severtium part. 1. Lugdun. Episc. Fevardentium in Vita S. Irenæi, atque ejusdem scriptores alios.

(*d*) 2. vol. *Histoire de nostre temps pag.* 344. *en tout ces lieux on ne s' est espargne a rompre aucun idole riche qu' il fust, ou eu peu couster, sauf le crucifix de sainct Jean de Lyon qui est garde par la garnison des fideles qui y sont encores.*

Regis Virettus omnium Hæreticorum qui hic erant signifer & dux; cujus oratione maxime fuerant superiores ille tragœdiæ excitatæ missus est in exilium. Non multo post alius eorumdem minister, cui Ruffino nomen erat, pari affectus pœna discessit. Is multa improba facinora fecisse dicebatur; primusque armatus districto gladio irruerat in templa & sanctissimas imagines de altaribus exturbarat. Turpissima flagitia permulta eidem ita obiiciebantur, ut inficiari non posset: quas ob res post diuturnam custodiam, ut dixi, e civitate ejectus est. Rufini hujus, mentionem apud temporum illorum Historicos non reperio: sed forte Rufus ille est, quem Thuanus (*a*) Lugdunenses turbas describens, ministrum urbis vocat, & tumultus suasorem fuisse affirmat, scribens. *Itaque pridie Kalendas Maii media nocte arma capiunt majore fiducia quam prudentia, quippe infirmi numero; suasu præcipue Jacobi Rufi urbis ministri, primamque stationem ad Nazarii fanum collocatam opprimunt &c.* Idem ferme Aubin rerum Lugdunensium scriptor (*b*). Viretti quem Perpinianus Rufino

 jun-

(*a*) lib. 35. num.9.

(*b*) part. 5. sect. 22. pag. 198. *peu de temps apres on introduisit en cette chambre un Ministre des plus insolents. Ce fut un certain Rufy, qui se presenta la cuirasse sur le dos, & l'escopette sur l'epaule avec un troupe de coupe jarrets ou de satellites armes & mechants &c.*

jungit nomen est celebre, de quo Melchior Adamus in vitis Theologorum, Bayle, aliique: qui tradunt postquam ministrum in aliis Ecclesiis egit, Lugdunum ad id munus advocatum. Sed duo animadvertenda sunt quæ Perpinianus narrat; 1., quod supra retulerat, post suum adventum Lugdunum (accidit id, ut in Vita diximus, XIV. Kal. Octob. A. MDLXV.) Augerii opera, edicto Regis Virettum missum in exilium. Quos supra nominari Historici, Lugduno excessisse tradunt Anno MDLXIII. cum Carolus nonus edicto eodem anno dato, mense Martio cavit, ne populi sibi subditi Ministros haberent externos. Natus autem Virettus erat Orbæ in Bernatum ditione; etsi Lausanensem eum Thuanus (a) vocat, qui pariter eadem de causa *relicta Lugdunensi Ecclesia cui præerat*, ait Arausionem & Joannæ Navarræ accitu Benearnum *venisse*. Sed multo post id accidisse ex *Perpiniano* nostro, qui præsens tunc Lugduni aderat, & cujus potissimum opera id jussum sit cognorat, liquet, idest post XIV. Kal. Oct. A. MDLXV. forte quod Virettum excipiendum curaverant, vel, ut erant perfidiosi, non paruerant Regis priori edicto. Certe tunc primum Lugduno excessisse Virettum significare videtur Perpinianus dum de Viretto & Rufino loquens subdit: *sic nostri isti fideles perfidiosi duos Religio-*

(a) lib. 35. num. 2.

ligionis improbæ Principes amiserunt. Alterum quod Perpinianus habet, est horum descriptio, sed præcipue Viretti: addit enim, *qui cujusmodi fuerint superiore vita vel ex eo perspicitur, quod Viretto auricula una deest; Ruffinus in facie cicatricem habet indicem plagæ luculentæ olim acceptæ*: & *epist.* 23. (*a*) referens sermonem de Viretto cum ejusdem farinæ homine habitum, in quo plura de eo narraverat, adjicit; *Itaque cum mihi venisset in mentem de Viretti auriculis incboare, continui me tamen, ne furentem militem vehementius incitarem*. Sed uberiorem descriptionem exhibet Perpinianus ejus avaritiæ & morum. In eadem epistola mutuos eosdem sermones repræsentans, hæc inter cetera: *Intuere, inquit ille dux, Viretti vitam, respice aliorum mores; quid simile reperies tuorum? Virettum nominare, inquam, audes? ego vero isto de homine longam historiam possem componere, si liberet. Quos, inquit, thesauros, quæ vel urbana vel rustica prædia, quæ tecta marmorea Calvinus reliquit? Quid, inquam, ille reliquerit nescio: Virettum scio, cum filiam in matrimonio collocare vellet, multa Lugduni millia nummum aureorum invenisse.* Hoc etiam narravit oratione prima ad Parisienses quæ est tomo I. ordine X. *pag.* 299. in qua Calvinistarum reprehensionem nobis factam ita redar-

(*a*) pag. 138.

darguit: *Nolunt Hypodiaconos, Diaconos, Presbyterosque nostros de altari vivere: nolunt a populo quidquam eos accipere in cellam. Qui si ut in suis, sic etiam in Ecclesiæ rebus luxuriosos nepotes reprehendunt (quamquam non omnes vivunt, multique sunt studiosi continentiæ veteris imitatores) sed si luxuriosos, ut dixi nepotes reprehendunt, habebunt nos etiam adjutores. Sin autem omnino nihil Ecclesiæ ministratores accipere debere contendunt; unde ipsis pecuniæ tantæ, non ut communis vitæ modo, verum ut bellorum etiam sumptus, distantibus in locis queant sustinere? Quare Virettus Lugduni paulo ante meum in eam urbem adventum, cum filiam collocare vellet, tot millia nummum aureorum, dotis nomine coegit? Quare eidem in eadem urbe publice, quæ suppeditarent ad victum, præbebantur?*

VI. Alium ex eo grege hominem famosum Perpinianus in eadem epistola memorat, Marottum. *Magnum aliquamdiu silentium fuit* (nimirum illo in itinere cum navi veheretur Perpinianus, & Calvinianorum querelas de morum corruptione compescuisset): *post illi suos Marotticos psalmos canere cœperunt. Nauta forte quidam, gestu cantum illum non sibi probari significavit, cui unus Calvinianorum; hæc ipsa, inquit, carmina vestri Sacerdotes, Davidis psalmos putant, cantantque in templis: cumque plurimis verbis nautæ ignaro rerum, suos ille psalmos probare conaretur; Canunt,*

nunt, inquam ego, nostri Sacerdotes Davidis psalmos in templis, verùm sinceros atque integros, non a Marotto vestro corruptos ... Sed Marotto non peperci, cum suorum sanctitatem illi magnifice jactarent. Quid, inquam, accidit Marotto, ut palam Gebennæ cæderetur loris? Deliquerat, inquit unus, quid mirum? Scilicet, inquam ego. Vestri isti rabulæ nunquam, inquit, peccant? At vos ejus psalmos decantare non pudet? Jurieu (*a*) in *Apologia pro Ecclesia Reformata parte* 1. *cap.* 7. apologiam pro Marotto texit. Inter cetera hoc falsum esse contendit, Genevæ cæsum loris. Ac primo quidem id argumentum affert quod in publicis tabulis Gebennensibus nihil tale habeatur. Deinde hujusce rei auctorem ait esse Florimundum Ræmundum, falsum vero deceptumque a Petro Cayeto Apostata in ea narratione. Idem habet Bayle (*b*) affirmans ejus esse descriptorem Florimondum, atque omnes quicumque illud factum referunt ex Cayeto hausisse. Nihil hactenus vidi quod Marotti hosce defensores revincere manifesto possit. Verùm ad hoc sufficit Perpi-

(*a*) *Histoire du Calvinisme & celle du Papisme mises en parallele, ou Apologie pour les Reformateurs, pour la Reformation, & pour les Reformez.*

(*b*) Dictionair. v. *Marot. tous ceux qui disent cela se fondent sur le temoignage de Cayet : c'est lui qu'il faut prendre pour le premier & pour le seul deposant.*

Perpinianus. Nam si Cayetus primus hoc in Marottum ausus est comminisci, non puto voluisse hanc ei invidiam conciliare quando erat reformatæ Ecclesiæ Minister, sed priusquam partes Catholicorum amplexus est. Jam vero vel docente Baylio, hoc ille fecit anno 1595. Perpinianus vero hoc de Marotto dixit, scripsitque cum annus ageretur 1566. Non ergo Cayetus primus illius narrationis auctor. Et vero necesse est constantem fuisse apud omnes ejus rei famam, cum auderet hoc Calvinianis Noster hic exprobare. Quod vero objecit Jurius nihil habere, tabulas Genevensium publicas, mirum esset, si in eo homine adeo insigne infamiæ monumentum extare passi essent, aut ausi divulgare. Ut enim Baylius admonet; vel ii, qui Politicæ arcana non penetrarunt norunt, socii atque amantissimi fratris famæ esse parcendum [a].

VII. Plura sunt præterea quæ ad historiam eorum temporum & Calvinianæ præsertim hæresis utilia sunt, persequiturque Perpinianus epistola XXII., ubi postquam de Edmundo Augerio ejusque concionibus egit, subdit. *At Hæreticorum multitudo illa tanta, fit minor in dies. Tria illis templa concessa fuerunt ad nefarios illos cœtus: unum ex his paulo ante adven-*

(a) *Sans etre consomme dans les finesses de la Politique, on juge qu'il faut menager la reputation d'un frere persecute.*

ventum nostrum edicto Regis ereptum est; cum duo plùs satis eis esse viderentur. Narrat deinde, cum nuncius allatus esset, Melitam a Turcis obsideri, lætatos Calvinianos, jejuniaque, & publicas preces indixisse pro victoria Turcarum. Cum vero Christiani vicissent, edicto Regis publicam supplicationem cum solemni pompa decretam; eam habitam pridie nonas Novembris: octavo ab ea supplicatione die Catholicos obtinuisse aliquid quod Calvinianos afflixit. Cum enim veteri instituto civitatis quicunque essent tormentariis militibus adscripti inter ceteras immunitates hoc quoque haberent, ut certo loco festis diebus ad signum sese exercere possent, isque mos edicto Regis sublatus fuisset, prohibitique omnes ferme & Hæretici & Orthodoxi arma habere; hi impetrarunt ut veterem sibi consuetudinem revocare liceret. Itaque feriis S. Martini quadringentos aut quingentos cives mirifice armis instructos, eo purpureo colore insignes, qui color fuerat in bello Orthodorum nota, per totam urbem facto agmnine pervagatos. Addit, Præfectum arcis adeo Religionis tuendæ studiosum, ut statim ac militem aliquem imbutum novit impuris sacris, eo ipso nomine damnatum juberet strangulari: Denique concludit, dedisse Regem argumentum hujusmodi suæ voluntatis, ut desperandum non sit brevi futurum, ut omnis impietas ex antiquissimo fidelissimoque regno extir-

tirpetur: *Nam*, inquit, *Britanniæ Præfectum capite plecti jussit, & in quatuor sectum partes diversis locis suspendi, quod sacrificium Eucharistiæ, hoc est, ut antiqui loquebantur, Liturgiam ex edicto regio admittere recusasset; cujus vitam cum duo principes viri ab eo deprecarentur, respondisse dicitur juvenis magno & celso animo; velle se dominum suorum esse, neque passurum diutius abuti quemquam adolescentia sua ad regnum Galliæ perturbandum*. Narrat ergo Perpinianus tria olim templa concessa Calvinianis, atque unum postea a Rege Carolo IX. paulo post suum adventum Lugdunum, qui incidit in mensem Octobrem a. 1565., iisdem ereptum. Nimirum illa antea non tam ipsis quam tempori data, cui tantisper serviendum putaverunt: de quo quidem extitere virorum sapientum querelæ. Nam Surio teste (a); scripsere *viri graves, si in illo Galliæ Christianissimo regno pauci quidam novandarum rerum cupidi a locorum præsidibus initio mox oppressi fuissent & ex juris præscripto in eos esset animadversum, non tot millia postea periisent*. Indulgentiæ hujus fuit diploma illud, quod passim eorum temporum Scriptores (b) memorant, ne *Hugonotti* & *Papistæ*

(a) ad a. 1562. pag. 438.

(b) Pasquier lib. 4. epist. 10. Bulengerus lib. 1. Hist. pag. 16. Tuanus lib. 28. num. 2., Du Pleix tom. 3. Histoir. General. de Franc. pag. 607. n. 8.

pistae vocabula usurparentur, ne securitas & honesta uniuscujusque libertas violaretur; si qui, quod a vetere Religione discessissent, exularent, ii revocarentur; si qui vincti, solverentur. Hoc indignum visum Catholicis praesertim Lotharingio Cardinali: itaque secutum est edictum eodem anno 1561. Julio mense, quo alterius Religionis a Catholica professio vetita, poena capitis proposita adversus eos qui coitiones aut conventus clam aut publice cum armis aut sine armis haberent: interdicta etiam concionandi ratio aut Sacramenta administrandi alio ritu ac modo quam qui in Romanā Ecclesia observatur (*a*). Verum paulo post, cum conventus perageretur, vicit eorum sententia quae de Juliano edicto (ita enim a mense quo conditum est vocatum) aliquid remitti, & publice concionandi libertatem Calvinianis concedendam censebat. Itaque lata lex, qua inter cetera Religionis novae hominibus intra urbium moenia coetus, conciones, & publicas preces habere aut Sacramenta administrare nullo modo clam vel palam, noctu aut interdiu liceret; interea tamen, donec hae de Religione controversiae Concilii universalis decreto componantur, aut a Rege aliter statuatur, nihil decerneretur gravius in eos qui concionibus ex-

(*a*) Pasquier l. 1. Bulengerus l. l. Du Pleix pag. 609. num. 18. Tuanus &c.

extra urbes habitis intereſſent. Mandatum insuper Magitratibus, ut nullam iis moleſtiam crearent, qui eos protegerent, & ab omni injuria tuerentur [a]. Hoc decretum *Januarium* eſt appellatum: res enim acta [b] 17. die menſis Januarii anno juxta vulgares rationes MDLXII., antiquo vero more Gallorum MDLXI. nam annum ordiebantur a Paſchatis die; qui mos perduravit ad annum MDLXIII. [c]. Ceterum illud Januarium edictum, etſi adverſarios multos habuit, præſertim Pariſienſem Senatum, alio diplomate ad Præfectos Provinciarum dato confirmatum eſt [d]. Quo quidem edicto Paſquier (e) narrat exultaſse Calvinianos, cum poſtulationibus ſuis abunde ſatisfactum putarent. Hi tamen ante illud edictum conciones in ipſis Lutetiæ ſuburbiis publice habebant. Cum vero turbis omnia complerentur, edictis promulgatis VII. & VI. Kal. Junii Calviniani Lutetia urbe excedere juſſi (f). Secutum eſt aliud edictum quod Pacis vulgo nuncupatum, Am-

(a) Paſquier lib. 4. epiſt. 13. Surius pag. 433. Thuanus lib. 29. num. 7. Du Pleix tom. 3. pag. 616. num. 30.

(b) Paſquier. l.l.

(c) Thuanus lib. 36. num. 19. Du Pleix. tom. 3. pag. 661. num. 25.

(d) Tuanus lib. 29. num. 18.

(e) pag. 106.

(f) Thuanus lib. 30. n. 1. Du Pleix pag. 628. num. 6. Vide collect. monum. Eccl. Gallic. edit. an. 1675. tom. 6. pag. 514.

Ambosiæ a Rege subscriptum XIV. Kal. April. anno vulgaris æræ MDLXIII. (*a*), quo nobilibus viris in jurisdictionibus suis merum imperium habentibus libera ac publica novæ Religionis professio permittitur: nobilibus pariter qualemcumque jurisdictionem habentibus, in domus tantum ac familiæ usum, modo ne in pagis aut municipiis habitent quæ majori jurisdictioni, regia excepta, subsunt: ut in singularum urbium & oppidorum suburbiis libere quidem ne liceat convenire; in omnibus tamen Præfecturis, a quibus nullo medio ad supremas curias provocatio est, urbs aliqua ad publicum novæ Religionis usum assignetur: præterea in urbibus in quibus usque ad Non. Mart. liberæ Religionis causa illi convenerint ut porro convenire possint: tum præteritorum oblivio sancita, iis præsertim qui novam Religionem defenderant armis. Hæc omnia pertinent ad eam ætatem qua Carolus Rex decimumquartum ætatis annum nondum attigerat, & Minoris loco habitus. Quo quidem tempore passim a Calvinianis templa occupata Thuanus (*b*), aliique narrant, & Bulengerus (*c*) habuisse illos tradit ducenta supra mille conciliabula sive Ecclesias viris opibusque

(*a*) Pasquier epist.20. Thuanus lib.34.num.22. & lib.35. num. 1. & 2.

(*b*) lib.28. num.29.

(*c*) lib.1. Histor. pag.21.

que firma. Sed, ut dicebam, dandum aliquid tempori ac Regis ætati: *Rex etiamnum*, inquit Surius [a] Januarium edictum narrans, *admodum puer erat, nec poterat rebus afflictis Galliæ in hoc miserabili tumultu ita facile opem ferre, erantque etiam quidam magni nominis, qui Calvinianis concionatoribus non obscure faverent: quod idcirco dixerim, ne quis temere hanc rerum confusionem in illo florentissimo regno Regi puero longe optimo & summæ spei adscribat*. Ita & teneram Regis ætatem excusat eorum temporum scriptor Natalis Comes (b), longoque sermone Du Pleix [c]. Quod illi faciunt cum Perpiniano nostro qui temporum excusationem addit cum Regis ipsius commendatione orat. XI. *pag.* 309. *Regem*, inquit, *habemus præclare sentientem, erga Religionem Catholicam egregie animatum, a novitate tota voluntate abhorrentem; qui tametsi regni pacificandi causa multa quæ nollet patiatur & ferat; tamen optat quam a suis Majoribus fidem accepit, sarctam & tectam conservari; optat, quorum adhuc integra mens est, eos incorruptos ad supremum tempus permanere; optat si qui animo dubio fluctuent in utramque partem, eos oratione, consilio, auctoritate confirmari; optat omnes a veri-*

(a) pag. 433.
(b) lib. 14. Histor. pag. 303.
(c) tom. 3.

veritate variis opinionum semitis aberrantes, in viam si quo modo fieri possit, reduci. Hæc ille scribebat anno MDLXVI. cum jam aliquanto firmiori ætate Carolus Rex animi robur adversus Calvinianos patefecisset. Postquam enim annum agens XIV. Major in Senatu Rotomagensi declaratus XVI. Kal. Septembris A. MDLIII. eò convertit cogitationem omnem ut concessam novæ Religionis hominibus licentiam coerceret, perderetque quæ nimium invaluerat Calvinianam pestem. Cum ergo videret postremo illo edicto antiquam everti Religionem, novam crescere, statuit, pluribus interpretationibus additis illud adstringere vel omnino tollere. Qua de re ita Tuanus ad a.1564.(a)*Jam ante ad edictum additæ erant novo rescripto interpretationes; ne Protestantium Pastoribus liceret in aliis locis habitare, quam iis qui in singulis Præfecturis ad conciones essent designati; item ne Protestantibus scholas ludosque litterarios aperire fas esset ... Item Lugduni edictum fuerat ne a Protestantibus, in locis per quæ Rex transiret, quandiuve ibi esset, aut ullis regiis ædibus conciones haberentur, ne Catholicorum videlicet exasperatis animis inde turbarum occasiones sererentur.* Addit inter multa alia quæ sancte & prudenter auctore Hospitalio a Rege decreta sunt, edictum conditum esse pridie Nonas Sextiles, in quo Rex multa de pacis conservandæ stu-

(a) lib.36.num.26.

ſtudio præfatus; quoniam de pleriſque edicti capitibus ambigitur, & ad ſe unum ejus interpretatio pertineat, velle ſe controverſorum capitum explicationem ſcripto diſertiſſime complecti. Itaque illud quo Religionis publice exercendæ facultatem nobilibus facit, ſic intelligi vult; ut nobilibus & familiis eorum hoc peculiare beneficium conceſſum intelligatur. His ergo interdictum, ne cuiquam illius beneficii, niſi ex ſubditorum ſuorum numero ſit, copiam faciant, pœna perduellionis in peccantes addita. Interdictum eodem diplomate, ne Proteſtantes, Synodi ſpecie, conventus uſpiam agant, nec pecunias viritim tributi forma aut alio modo exigant; qui ſecus fecerint, pœnam corpore luant. Et quia plerique abjecta ſacri ordinis reverentia & ejurato religioſæ caſtitatis voto, ſuperiorum bellorum tempore, aut etiam poſt pacatos motus nuptias contraxerant, eodem edicto ſancitum, ut viri carceris pœna propoſita uxores ita ductas, mulieres item viros ſuos relinquere, & ad priſtinam vitam reverti cogantur, aut perpetuo exilio multati intra duorum menſium ſpatium regni finibus excedant; ſi neglexerint, vir ad remigium, mulier ad perpetuam cuſtodiam adjudicetur. Quod dixerat de Proteſtantium ſcholis, aliud, ut opinor, edictum eſt, ne ludos habere iidem poſſent in quibus Magiſtri non eſſent ab Epiſcopis aut Vicariis eorum probati, idque leges in collectione monumentorum

Cleri

Cleri Gallicani (*a*). Ibidem (*b*) habes a Carolo ſtatutum die 24. Junii MDLXIV ne Religionis novæ homines aliquid ſuarum functionum peragant iis in locis in quibus Rex commoratur. Præterea in hanc rem multa toto titulo VI. de Hæreticis continentur tomo I. recentioris amplioris editionis; vetuſtioris vero Pariſienſis anni 1675. tomo 6. *pag*. 505., poſt pacis edictum illud ſubſecutæ interpretationes inſertæ ſunt. Bene ergo Perpinianus affirmaverat omnia meliora ab eo ſperanda eſſe: in quam eamdem ſententiam Surius *ſummæ ſpei* puerum vocavit. Quid poſtea egerit edictis præſertim aliis quæ item *pacis* ſeu *pacificationis* vulgo dicta ſunt, nihil attinet dicere. Hic ſolum ea adnotare juvat quæ ſunt a Noſtro commemorata. Nam oratione XI. *pag*. 309. narrat de edicto Regis quo cavetur, *ne quid fiat, neve dicatur, quod ſpectet ad multitudinem concitandam*. Oratione XII. *pag*. 341. meminit ejus edicti, quo miniſtri Calviniani nulli externi eſſe jubentur: *Illud*, inquit, *dico .. ſi ſpectemus bujuſce regni leges, noſtris quidem omnibus etiam alienigenis; novi autem Evangelii Miniſtris, nonniſi Gallis in Gallia diſſerere permiſſum eſſe, cum externi Miniſtri regiæ Majeſtatis edicto id facere prohibeantur*. Eadem oratione *pag*. 362.: *convicia tantum illiberalia, verborumque contumeliæ indignæ no-*

(*a*) tom. I. edit. Pariſ. 1716. pag. 1635.
(*a*) tom. I. col. 1667.

nostro pudore removeantur ; quod & Rex Christianissimus sapienter edixit , & ego sedulo adhuc feci . Quibus verbis de conviciis , contumeliisque decretum significat , ne mutuo ea ingererentur . Postremum hoc quod statutum fuerat *num.* 5. & 11. edicti Januarii MDLXI. leges , & in decreto Pacis MDLXII. *num.* 14. ubi etiam aliud continetur de multitudine non concitanda : quod præsertim oratoribus injungitur decreto dato die 14. Decembris MDLXIII. *num.* 13. (*a*) . Externis pariter hominibus Ministri partes, sive in Calviniana Ecclesia Concionatorem, & Sacerdotem agere,inhiberi diximus edictoMartio mense dato a. MDLXIII. cujus meminit Thuanus . Præter hæc quæ passim in monumentis eorum temporum reperies , juvat hanc historiæ partem Perpinianus . Nam quæ de Præfecti Britanniæ supplicio memorat , & de alterius Præfecti Religione refert , a nemine hactenus , quem legerim , narratum vidi : dubitare vero de illis , cum Scriptor diligentissimus, summa integritate ac fide tunc viveret,sine injuria non possumus . De Melitæ obsidione & victoria Christianorum Historici omnes ad A. MDLXV. ut Surius *pag.*467. , Natalis Comes lib.xv. Thuanus lib.xxxvii., & xxxviii. Sed jam finis sit . Nam ut ille (*b*) ὕδωρ δὲ τυτὶ θεῖ διάττον δρόμον ὐ μ-

(*a*) tom.6.mon.pag.525. (*b*) Synesius *in Dion.*pag.55.

μεμετρημένον, οὐδὲ πρὸς κλεψύδραν ταμιευόμενον. ἀλλ᾽ ἐγὼ μὲν εἰ μήπω παύομαι, ἀλλ᾽ αὐτίκα πεπαύσομαι ..... οὐ μὲν δὴ καὶ εἰς νύκτα γε ἄσομαι : idest ut latinè dicam, *aqua ista nequaquam dimenso cursu, aut ad clepsydram dispensato decurrit. Sed si non desino, mox tamen desiero aliquando : non enim dum nox ingruat carmen est producendum.*

FINIS.

